585694 -
585696 a
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
Mag. St. Dr. | I

E
129

N° 2

Bib. Nov. Vil. S. S. U. ...

Mag. St. Dr.

V
B J
C

585694-
-585696
I

BREVIARIUM CONCIO-NATORIUM,

Super Festa totius anni: In duas Partes divisum.

AUTHORE

R. P.

ADALBERTO TYLKOWSKY,

Societ. JESU Theol. Presbytero.



685695 I

Typis Monasterii Olivensis,

Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR,

Factor, 1686.

585695
I
Mag. St. Dr.
Bibl. Jag.

INDEX
CONCIONUM
Partis Hyemalis.

BRE-

BREVIARIUM CONCIONATORIUM DE SANCTIS.

Pars Hyemalis.

In Festo S. Andreæ Apostoli, CONCIO.

Vidit Andream.

HÆc differentia inter nostros & DEI oculos. Nos in re visa nihil facimus, imò ab illa imaginem accipimus, quæ in nostro pingitur oculo, & sic deinde videmus. DEus prout res videt ita illis dat, vidit Zachæum dedit ejus domui salutem: Vidit Matthæum fecit Apostolum: elevat oculos in cælum deducit vim ut panes quinque multiplicentur, &c. Vidit Andream, quæramus quid illi contulit.

Vera sunt ista quæ dixi. Ut tamen intelligatur, & cur DEus non omnes eodem modo videt, & cur Andream, licet prior ad Christum venerit, non fecerit caput Ecclesiæ, cognoscamus; hoc notari debet. DEus simili modo reparavit atque creavit. Ibi ex nihilo, hîc ex nihilo. Ibi Job.16. *Appendit terram supra nihil.* Et ideò eos supra stabilitatem, ut est Psalm.103. *Appendit terram super stabilitatem suam.* Hoc nihil sunt cardines terræ juxta, 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines terre super eos posuit orbem terræ.* Jam ergo quò magis aliquis sibi est nihil, eò magis in eo DEus agit, cui proprium est facere

ex nihilo, & pro mensura hujus nihili: dat gratias, affert aliquis caliculum nihili, tantundem recipit gratiæ, &c. quanquam hoc totum denique illud resolvitur, *Ita Pater, quoniam sic placitum est ante te.* Hinc si petas. Cur DEus, siquidem omnes videt, non æqualiter dat gratias? Quia inæqualia nihili vasa afferunt. Cur non fecit Andream caput? Quia suum nihilum fortè implevisset de suo, potuisset enim cogitare se primatum illum aliquo modo promeruisse. Fuit enim Virgo, devotus, prior cognovit Christum quàm Petrus, & Petro ostendit, & hoc promovisset tali discursu. Quærunt cur mansit Corona Judaica penes tribum Juda? Respondent. Quia cùm stans instar montium rubrum amare timerent cæteri ingredi, Aminadab de tribu Juda ingressus. 12. tribus significabant 12. Apostolos. Non negavit Andreas Christum. Non interrogavit de præmio, *Ecce nos reliquimus omnia, &c. quid ergò erit nobis?* Sed jam ad ea quæ Andreæ contulit Christus.

1. Dedit illi Spirit. S. specialiter. *Dilexit Andream.* Ex dilectione filii oritur Spirit. S. & quia amor fertur in rem amatam, & anima magis est ubi amat quam ubi amat; itaq; in Andream Sp. S. fuit modo speciali, nec enim specialiter diceretur, *Dilexit Andream.* Nam omnes etiam Apostolos dilexit. Inde Christus etiam in Andrea & in illo suam complet passionem. Nam dum clamavit in cruce, *Deus meus ut quid me dereliquisti?* teste Bedâ in Matth. 27. *Conquestus quia Pater non concessit ei longiorem vitam ut plura posset pati.* Ita Andrea biduò pendete millibus hominum viginti prædicat. Non expresfit Scriptura Christi deciderium ad Crucem: In Andrea Christus exprimit, *Salve crux desiderata, &c.* Hoc est, quod Coloss. dictum. *Adimpleo ea quæ desunt passionibus Christi.* Et propterea, ut prædixit, Sap 18. *Simili pœnâ servus cum Domino affectus, ut populus homo Regi similis passus.*

2. CHRISTUS vocavit Andream, Andreas adduxit Petrum

Petrum & in hoc quasi rexit, Petrus verò Ecclesiam rexit, & ideò S. Andreas dicitur *Ecclesiæ Prædicator & Rector*, aque ita etiam suo modo præest Ecclesiæ, & hoc figurabat, quia Moyses & Aaron fratres erant Principes Ecclesiæ, sed Moyses miraculis clarior, Aaron eloquio. Andreas ut Moyses aggreditur Ægeam missum à Nerone ad Christianos extirpandos: Petrus Judæis prædicat ut est in Actis Apost. Hoc figurabant primæ Ecclesiæ, primi Adam & Eva. Sed Adam dat Evæ os sive costam robustam, ipse locum ossis carne explet debiliore. Christus robur, de quo se jactabat Petrus, *Etiamsi mori me oportuerit, &c.* dedit Andreæ, Petro sua ad tempus relicta infirmitas. Propagavit Ecclesiam in cruce unum pedem extendens versùs Orientem alterum versùs Occidentem Psal. 59. *In Idumæam extendam calceamentum, mihi alienigenæ amici facti sunt.* Passus in ligno Olivæ ut scribit Hippolit. M. & sicut Oliva fructifera in Domo DEI. Illum figurabat Apocal. 10. Angelus insistens terræ & mari, nam ad utrumque robur suum extendit. Vehebantur mari ad ejus concionem homines 39. submersi malitiâ dæmonis, reddit omnibus vitam.

3. Dedit illi Christus, ut esset lux mundi. Lux non metuit exercitus, linguas, cruces, nebulas. Luna soror solis aliquando solem eclypsat, sed mox ab illo mendicat lucem. Ita Andreas non timet adversa, & ipsa Crux ejus luce circumfunditur. Quia scit & docet, quod regnum cæleste sit nummis venale. Aug. tr. 40. in Joan. *Nummus Cæsaris est argentum habens imaginem Cæsaris, nummus Dei est homo.* Opus ut cudatur ut fiat nummus, oraret hoc argentum si sciret per hoc sibi augeri pretium. In hoc illustrat mundum Andreas. Hoc dicit Psalm 25. *Proba me Domine & ure renes meos, & cor meum:* quàm infecilices è contra, quibus dicitur. *Recepisti bona in vita tua.* Putares Andream in cruce infelicem, felix fuit, hoc ipse prædicat. Putares Epulonem inter mensam felicem, infelix fuit, hoc

hoc ipse deplorat. S. Sylvanus Episcopus Nazarethanus à dæmone traductus adulter, at S. Hieronymus publicè de cælo descendens declarat Sanctum. Et velut ademptum ab illo cœlum invitat. Laudatur Alexander, Trajanus, &c. ardent in inferno. Veneremur S. Andream, sed etiam doctrinam audiamus. Non horreamus Crucem, nummus cuditur. Hoc dum persecutor deesset Viri cupidi cæli in se perficiebant. Isa. 3. *Dicite Justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

In Festo S. Francisci Xaverii, CONCIO. I.

Prædicate Evangelium omni Creaturæ.

SAtis longam implerent Concionem soli tituli quos Sancto huic dant partim viri docti & Sancti, partim Ecclesia, partim denique Ethnici. Vocant illum Thaumaturgum, Tubam Christi, Doctorem Gentium, Victorem Idolorum, Angelum, Prophetam, &c. Ethnici verò Neptunū, Deum terræ, &c. Ecclesia Apostolū. Duos assumo titulos & in unū jungo. Doctorem gentium & Apostolū, & hinc formo alterum Paulum, quia uterque à Christo jam glorioso ad Apostolatum vocatus.

Quod Paulum dicam, adducit me ad hoc, quia licet omnibus Apostolis maximas gratias dedit DEus post B. Virginem, ut docet S. Thom. in 1. Ephes. lect. 1. ubi etiam ait *Sicut Apostolos ad singularem dignitatem vocavit, ita singularis dignitatis privilegio ornavit.* Nihilominùs ut idem in Rom. 5. lect. 4. *Specialiter Paulus in omnes gentes Apostolatum accepit:* Ita & Franciscus. Nam Paulus per Prophetam prædictus. *Benjamin lupus rapax, &c.* Franciscum prædixit fore Indiarum Apostolum soror ejus Monialis, prædixit & venturum in

Indias Petrus de Covellar ibi pro fide occisus, antequam ille nasceretur: & dum nasceretur quod factum Anno 1497. Indias Deus reperiri fecit. Paulo ostensus in visione vir Macedo. Franciscus in somno portat Aethyopem ad defatigationem. Paulum vocat *Vas electionis*, in quo videtur alludi ad solem, de quo Eccli.43. *Vas admirabile opus Excelsi.* Ac si diceret sol electionis. In Francisco sol manet, nam quod legimus Psal.71. *Ante solem permanet nomen ejus.* Alii legunt: *In sole permanet nomen ejus*, quia quo sol pertingit portavit nomen Christi Franciscus. Paulo ostendit, *quanta illum oporteret pati:* Et Francisco dum videt instar pluviæ in se de cœlo depluere cruces. Paulus coram Regibus prædicavit: Franciscus coram pluribus quàm sexaginta regibus, linguis triginta. Paulus docuit gentes, hic millies contena millia hominum suâ manu baptisavit. Bozius de signis Ecclesiæ signo 10. Erat is Presbyter Congreg. Oratorii. Sic de Francisco. *Plures nationes & homines convertit, quàm omnes ab initio Ecclesiæ Heretici perverterunt*, Paulus dicebat: *Vivo ego jam non ego vivit verò Christus in me*: In Francisco etiam vivebat, nam effigies crucifixi in arce Xavier, quoties Franciscus aliquid pateretur in Indiis, sudabat: & anno toto cujus ille quâdam Feriâ sextâ moriturus erat, singulis feriis sextis sanguine sudavit. Paulus in jejuniis multis, ille sæpe ternis, quaternis, quinis etiam diebus omni cibo caruit: Paulum volebant ut DEUM adorare: Bonzii suis Comitiis constituerunt, ut inter DEos Franciscus numeraretur, & sacrificium ad illum miserunt.

Paulus aliquando deferabatur nube ad regna dissita: Francisco ipse DEus parabat viam, nam ad Sancianum propter continuos typhones perveniri ex Europa anteà non poterat, cùm illum locum accessurus esset Franciscus per plures annos ille ventus quievit. Ut de illo dici possit Eccles. 43. *In*

cogitatione sua placavit abyssum. Lyra. legit, placavit Oceanum LXX. legunt. *Placavit illam D. JEsus* in cujus societate erat Franciscus. Paulus 2.Cor.1. *Nocte & die in profundo maris*: Franciscus duabus diebus & noctibus, & de illo dici potest, quod Chrysost. de laud. Pauli. *Cum fluctibus pugnans animus è faucibus diaboli extrahebat.* De Paulo Chrysost. hom. 25. in 2. Cor. *Paulus alatus, mare, Græciam, simulque Barbariem, omnemque prorsus quæ sub cælo est regionem quasi volitans circumivit.* Sed Franciscus omnem orbem qui sub nobis est. De utroque dici potest quod Chrysost. de laud. Pauli. *Universas circumeundo regiones imitatus est cursum solis.* Fuit in Italia, Hispania, sed ut Paulus cum Oriente solo usque ad occasum progressus, ita hic cum Occidente usque alterum Orientem. Malach. 4. *Orietur Sol justitiæ & sanitas in pennis ejus* & alius Propheta Isai. 45. *Dedi te in lucem Gentium ut sis salus mea ad extremum terræ.* De Paulo Chrysost. hom. 18. in Rom. *Exiguo concionatus tempore totum orbem attraxit.* Hic decennio regna plurima. Judæos, Turcas, Brachmanas, &c. Chrysostom. de Laud. Pauli, hom. 1. *Quot diebus prædicavit tot mortes pertulit* ille venena, sagittas, pericula latronum, &c. S. Congregatio Rituum de Francisco. Ipse primus, Patavis, Maleis, Jaciatenis, Molucris Evangelium intulit, Antropophagos convertit, in Japone regna sexaginta sex ad fidem adduxit, post mortem in Chinam aditum aperuit, Infantes in ille suâ manu baptisavit qui statim ad cælos evolârunt. Millies mille suâ manu baptisavit, in quo labore centum millia leucarum confecit. Denique sicut Pauli acta nulla enarrare potest lingua, ita nec Francisci. Verbis Philonis de migratione Abrahæ claudo. *Oremus igitur ut ceu columna in domo, sic in humano genere justus homo permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi de publica salute desperandum non est.*

De

De eodem CONCIO II.

Docete omnes Gentes.

DEUS noster non solùm peccatores pro adversariis reputat. *Factus sum contrarius tibi.* Sed etiam peccata eorum pro muro contra se erecto, qui ejus adventum ad illos arceat Isai. 59. *Peccata vestra diviserunt inter me & DEUM vestrum.* Sic è contra vel est ipse in Justo, vel in eo justus. S. Francisco Seraphico dedit sua stigmata, Cor & stigmata Catharinæ Senensi. Visus aliquando S. Augustinus in Corde DEI Patris. Universim, *Dilectus meus mihi & ego illi.* Quid sui dedit Francisco videamus. Sed ut hoc definjam, videndum quid in eo Divinum se magis prodit.

Video imprimis DEI *Omnipotentiam.* Ex operibus autem maximè DEus cognoscitur. Mortuos adhuc vivus sexaginta excitavit, ægros sanavit, dæmones pepulit, idque per literas & alia à se data. Solem horis septem stitit. Cùm in suos Christianos inermes Bagodarum exercitus irrueret, solo illum verbo & vultu repressit. Inter Ethnicorum manus quatuor millia idolorum contrivit. Petro Vallio Mercatori qui sibi pecuniam pro ingressu ad quosdam Ethnicos liberaliter obtulerat ita in cista multiplicavit; ut quoties & quantum vellet semper ad mortem suppeteret. Ardent apud sepulchrum ejus Goæ in India lampades plenæ oleo, effundunt aliquando clanculùm Ethnici sive ex malitia sive ex petulantia oleum & aquam affundunt, ardet perinde lampas. Sed ad viventem Franciscum redeamus. Deciderat illi fortuitò crucula in mare in loco à portu 40. leucis Hispanicis dissito, hoc est nostratibus 30. & ecce dum portum attingit, cancer illi eandem defert cruculam. Cùm S. ministraret Eucharistiam sæpè

visus

visus elevatus à terra, sæpè gygantis magnitudine. Cùm semel veheretur navi & aqua potabilis defecisset. Quâ copiosâ opus erat, nam ejus defectu sexcenti vectores usque mortem, siti adigebantur, tantum marinæ aquæ in dulcem convertit, ut etiam superfuerit quod in diversas deportaretur, sed non sine novo Divinæ omnipotentiæ indicio, nam plurimi diversis ægritudinibus affecti aquæ illius usu sanati sunt. Sed hoc non semel prodigium spectatum, sæpè illum devehentibus per mare aqua deficiebat dulcis, sæpè ille manu, aut etiam aliis intentus attigit pede maris amaram & fecit dulcem. Quidam ludo chartifoliorum imersus totam pecuniam imò substantiam perdidit, & ut est consuetum, in horribiles lapsus blasphemias, accurrit Franciscus, jubet hominem continere linguam, spondet se illius reparaturum fortunam. Accipit in manus chartifolia & permiscet, illis redditis, ait homini, ludum prosequatur, ludit feliciter, omnia recuperat. Tum Franciscus mandat, ne deinceps chartifolia audeat vel contrectare. Jam verò quantum habet in elementa dominium? Contra Tolanos de cælo advocat ignem, aërem pestiferum repellit, ut est Malaca testis ad quam dum ejus corpus alatum subitò pestilentia cessat. Ventos pro nautarum commoditate ire jubet: sub aqua naufragos mercatores ad portum deducit. Impletum est in illo quod de Moyse lib.1. scripsit Philo: *Singula elementa obediebant ei*, Ignem Vesuvii à Neapoli rejecit, terræ motus composuit. Sed quis omnia numeret? Si ergò ex visibilibus mundi ad invisibilia Dei devenitur, & ex creaturis agnoscitur Creator, tum etiam ex operibus quæ soli Deo conveniunt, inferemus speciali modo DEUM fuisse in Francisco, quali modo non fuit in aliis Sanctis, atque illum non cor tantùm aut aliquid ejusmodi quæ partes sunt humanitatis, sed ipsam dedisse Divinitatem, sed hoc ipsum confirmemus ex sapientia.

Cùm

Cùm DEus mitteret Moysen ad Pharaonem Exod. 4. dixit: *Ego ero in ore tuo.* Sed mirum est, etiam Deus loquebatur per os Davidis tanquam Prophetæ, linguam suam cur appellat calamum, Psalm 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis?* Quòd sit *scribæ* facilè intelligitur quia illâ Spiritus Sanctus veluti calamo utebatur. Hugo Cardin. in Psal. cit. *Calamus scribæ, id est, Spiritus Sanctus, quasi dicat, non loquor à meipso, sed à Spiritu Sancto*, & ad scribendum non atramento, sed ipso Spiritu Sancto utitur. Basil. in Psalm. cit. *Lingua justi cordibus credentium verba inscribit vitæ æternæ, non quidem atramento, sed Spiritum DEI viventis.* Sed cur velociter scribentis? Quidquid sit de Davide, in Francisco id apparere, quia omnia fecit velociter intra decennium convertit alterum orbem. Et ut vel celeritèr faceret non raró in pluribus locis simul fuit. Ad unum J. ab Ignatio scriptum paratus erat omnia maria, omnes terras, ab India remetiri in Europam. Hoc calamus erat quia ut scripta calamo Epistola ad plura simul & à se dissita veniebat loca. Sed quid scribebat? hoc quod convenit Spiritui Sancto, qui loqvutus est per Prophetias, plurima futura prævisa à se prophetico spiritu. Quid amplius? id per quod lingua ejus mutabatur in linguam Dei. Origin. in homil. 9 in Matth. 3. Cùm benedicit Deum *Lingua humana esse desinit & transit in sortem DEI.* Somno dabat duas noctis horas, reliquium Orationis. Quid amplius? hoc per quod os ejus mutabatur in os Dei, Jer. 5. *Si separaveris pretiosum à vili, eris quasi os meum*, Chrysost. Orat. 5. contra Judæos. *Quasi os meum eris, id est, os DEI, quasi Christus & simillimus Christo, qui est os Patris & Verbum Patris.* Rupert. *Pretiosum à vili, id est verum à falso.* Abundè id præstitit Franciscus, separavit veri DEI notitiam à falso, & loquendo linguis triginta, cum omni secta disputavit. Brachmannum unâ disputatione

tria millia confutavit. Japonum errores detexit, Pythagoræ falſa dogmata, quæ in illas penetraverant partes eliſit, Indorum Pſeudophiloſophiam evertit. Cùm his totam rem Chriſtianam in illis terris tanquam Legatus Pontificis à latere, totam Societatem tanquam Provincialis rexit. Collegia formavit, Juventutem Spiritu S. implevit, Noſocomia procuravit. O quam mirè in Franciſco eluxit DEI ſapientia. Et hoc eſt ſecundum argumentum quod oſtendit, quòd Deus fuerit in Franciſco. Quid dicam de puritate vitæ quam etiam in ſomnis defendit? Quid de Sanctimonia quæ etiam compulit, ut eum compellarent Ethnici Sanctum. Omitto alia. DEus ſe totum dedit Franciſco, & ſi dedit ſe, etiam ea quæ ſunt Dei dedit. Itaque dedit miſericordiam ante omnia cùm ſit Dei proprium miſereri. Precemur, ut hanc miſericordiam ſupra nos extendat.

De eodem CONCIO III.

Prædicate Evangelium omni creaturæ.

FAtigant ſe Interpretes ſacri quomodo prædicari poſſit omni creaturæ, cum aliqua non ſit vivens, ſentiens, rationalis, opus eſſet miraculis continuis, vel illis cùm V. Beda prædicaret muris, vel cùm S. Antonius de Padua piſcibus, vel cùm S. Franciſcus aviculis. Certum eſt autem prædicationem non ſolùm verbis, ſed etiam exemplo & rebus fieri, hinc omiſſis aliis explicationibus hujus difficultatis ſolùm oſtendam quomodo quatuor creaturis, auro, ferro, igni, aquæ & aëri prædiicaverit S. Franc. Xaver. ita ut in iis reliquerit effectum Evang eli & oſtenderit quid circa hæc faciat Evangeliium.

Quatuor has præcipuè aſſumpſi Creaturas, quia obſtinatiùs Evangelio obſiſtunt. Incipiamus ab auro. Potens hoc

erat

erat metallum, & difficulter potuisset ab altero duci in obsequium Evangelii, sed in Franciscum incidit. Erat illi Pater Princeps consilii Regii Navarræi. Materna nobilitas eximia. Morum gratia, laurea Doctoralis, Ecclesiæ Pampelonensis Canonicatus, vigor ætatis videlicet anni 27. omnia hæc pro auro stabant. Sed primò amicitiam iniit Petri Fabri, deinde Ignatii, cujus etiam se dedit exercitiis, tum primò advertit posse & deberi aurum subjici Evangelio. Si Ecclesiasticum secularem eligo statum, quantùm id onus! Si me trado seculo, &c. Apoc. 5. Viginti quattuor Reges ad pedes Agni projiciunt coronas, cur non sequor Ignatium quem video quotidie? aurum obediat Evangelio, obediet si sprevero. Hoc suadet Evangelium, *Nolite vobis thesaurisare in terra.* Ergo obediat. Cæpit nobilis vir ostiatim mendicare, Xenodochium pro domo habere. Olyssipone dein iturus in alterum orbem cùm solliciti ostent Quæstores Regii, ut illi de viatico providerent, plus molestiæ habuerunt ut illi aliquid intruderent, quàm aliàs mendicos ut iis quantum quantum dando contentos redderent. Miratur Bern. de Consid. l. 4. Gaufredum Episc. Carnotensem quòd per terram auri eundo post aurum non abiit. Franciscus cùm Rex Amaguntii magnam auri vim illi mitteret, non attigit, cùm ora Piscaria ubi margaritæ capiuntur amicissimam haberet, nec unam accepit. Cùm Mercatores Lusitani quidquid vellet offerrent, nihil expetiit. Cùm id exigente Dei causa, à centum Lusitanis auro nitentibus ad Regiam Japonum cum Bonziis pugnaturus deductus esset, statim ad pauperiem rediit. Offert illi Petrus Valius clavim ad cistam in qua servabat triginta millia aureorum, ut acciperet quantum vellet, solùm id accepit, quod in dotem puellæ sufficeret cujus securitati per matrimonium succurrebat. Miratus adeò Rex Bungi hunc in Francisco auri contem-

contemptum, ut DEOS suos contempserit, & literas ad Xaverium de hac re per Nobilem Juvenem dederit, qui & ipse conspicatus Franciscum pauperem & auri contemptorem, dixit *præstantissimum opus est esse hujus Gentis DEUM.*

Ab auro transeamus ad ferrum: & huic prædicavit reipsâ Franciscus illud, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c.* Ferro data est authoritas quando Cherub ad portas Paradisi cum ense ferreo collocatus, Genes. 3. Expendit bene Franciscus adhuc in Europa, quid illi posset in orbe altero accidere, non expavit, imò in corde omnia amplexus martyria, cucurrit ad illa per omnia maria navibus, imò aliquando naufragus pro navi per triduum usus tabulâ. In Brachmanes & Pagodas se immittere, nonne erat in ferrum ruere? cum Bonziorum millibus 5. concurrere Bungi, cum tribus millibus Japoniorum Sacerdotum disputare, qui in id intenti, ut quem conficere non possent argumentis, configerent telis, nonnè hoc erat in enses volare? Et pœne jam Lusitani Xaverium deplorant, ac viso contra eum tumultu fugam Bungo circumspiciebant, & per nuntios monebant, ne ultima expectaret. At ille, *quam pro me curam geritis deponite, non deseram quos in Christo in his terris genui, mihi decretum aut stare hîc aut mori.* Responsum hoc Lusitanos ad Martyrium accendit, & visâ hac fortitudine Bonzii cessarunt accepto. Menci jam ad necem ob repræhensa idola ducebatur, jam præibat. Sed cælum ac terra motibus horridis deterruit Barbaros. Converterat non paucos Franciscus, Bagadarum exercitus ut excinderet idolorum desertores advolat, jam jam periturum erat Promontorium Comorini, & Travancoridis regio, occurrit Sanctus armatis, verbo sistit. Ne eat in Chinas mortem certam memorant, vadit. Hîc parent, Jerem. 1. verba. *Dedi te in columnam ferream.* Proinde servit illi quod Nazianzen. dixit de S. Athanasio. *Persequentibus adamas.* Audi-

Auditur non semel Xaverius clamans: *Amplius, amplius.* Non satis est tibi auro & ferro persuasisse? Non satis. Etiam aquæ prædicandum. Obediat voce Evangelicæ. In Insula Moro cùm argueret Idololatras, ducitur ab iis ad flumen ut in eo mergatur, invenit trabem quam multi loco movere non possent, jecit in flumen & pro rate usus ad ripam alteram. In Ocæano Indico omni ope destituti hæserant nautæ. Sol occumbebant, invocant Xaverium, sol tamdiu subsistit donec se periculo exolvant. Quid menorem aquam marinam in dulcem & medicam versam? Quid reddita secura à procellis maria. Obedierunt prædicationi. *Sequentur signa eos qui crediderint, secuta sunt.* Implentur â Barbaris apud sepulchrum Sancti lampades aquâ pro oleo, perinde ardent. Injicit turbato reliquiarium Ocæano, & statim quiescit, refert cancer reliquiarium, sicut aliàs mersam retulerat Crucem. Cariosæ navi felix iter precatus Sanctus, enavigat navis per fluctus & pyratas. Rogaverat quispiam à Sancto munusculum gratæ recordationis causâ, dedit ille etiam futuram auxilio Corollam precatoriam suo collo detractam. Discedit Malacam, qui corollam obtinuit. Navis absorbetur tempestate, fragmento miser, si miser insidens, nam dum invocat Sanctum nihil molestiæ passus, nullâ fame vexatus, cum Xaverio colloquens quintâ die se ibi reperit salvum unde solverat. Mahometanus quidam eâdem navi vehebatur cum Xaverio, ejus filius cecidit & submersus. Plorat Pater. Promittit Sanctus vivum filium, si Parens velit credere in CHRISTUM, interea navis suum cursum tenet, & ecce die post sexto dum Sol oritur, filius comparet in navi sanus. Convertitur cum omnibus suis Parens.

Hinc ad ignem cui adjungamus aërem. Tholenses Ethnici arce se tenebant munitissimâ, ex qua sævos incursus in novos faciebant Christianos, Sanctus jubet ut serviat Evangelio aër & ignis, & ecce in fædam tempestatem nubes coëunt, ignem & sulfur in arcem spargunt, territi Barbari deprecantur Xaverium, parcit ille & statim redit serenum. Terram non memoro, quæ Sancti jussu mortuos reddidit, commota est, aut quievit, Omittere metalla non possum, de quibus Bartoli in Asia l. 2. Miles quidam inops petiit à Sancto pecuniam, sed illâ Sanctus caruit, porrexit tamen in sinum manum, & nummus recentissimè cusos aureos & argenteos tot eduxit quod egestati hominis sufficiebant. Omitto animalia, pisces, &c. Ita nos hinc sumanus documentum. Inanimes creaturæ obediunt Prædicatori Evangelii, & se in obsequium illius accommodant, ô quantum probrium nos esse refractarios!

In Festo S. Barbaræ Virg. & Martyr. FRAGMENTUM.

Formam corporis quidam adeò reprehendunt ut comparent pomis illis Sodomiticis, quæ plena sunt intus cineris, exteriùs pulchra; comparent sepulchris dealbatis. Verum S. Barbaræ ut est in ejus vita, profuit ad salutem & Martyrium, proinde ostendam modos quibus adhibitis, forma reprehendi non possit.

Imprimis retineat se Virgo formosa domi, sicut hæc sancta fecit, de hac re admonet S. Hieron. Virginem Euchstochium. *Cave ne domo exeas ut velis videre filias regionis alienæ, quamvis Fratres haberes Patriarchas, & Israel Parente læteris,* ut Dina Gen. 34. *Dina egressa corrumpitur. Nolo te Sponsum quæ-*

rere

rere per plateas, nolo te circumire angulos civitatis, dicas licet Cantic.3. Surgam & circuibo civitatem, & in foro & plateis quæram specie devotionis, *quem dilexit anima mea & interroges, num quem dilexit anima mea vidistis? Nemo tibi respondere dignabitur. Sponsus* Christus in plateis *non potest inveniri.* Ex hoc sequitur ne huc illuc jactet intuitum. Bern. de gradib. Humilitat. gr.1. *Duabus causis inculpabiliter levas oculos, vel ut petas auxilium, vel ut impendas, Psalm* 120. *Levavi oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi. Matth.* 14. *Levavit Dominus oculos super turbas &c. Sin aliàs, non Prophetæ, non Domini, sed Dinæ aut Evæ, imò ipsius Sathanæ te imitatorem dixerim, &c. O Eva quid tuam mortem* pomum, *tam intentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia lumina jaces? quid spectare libet quod manducare non licet? Oculos, inquit, trado non manum, non est interdictum ne videam, sed ne comedam.* Sed quò Evam hic discursus deduxit?

Abstineat Virgo á nimio corporis cultu, audiat Cypr. de habitu Virgin. *Quod si Christum continentia sequitur, & Regno Dei Virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu & cum ornamentis, quibus cùm hominibus placere gestiunt, Dominum offendunt non cogitantes esse prædictum Eccl. Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus nihil fecit eos, & Paulus* 1.Cor.7. *quoque gloriosè & sublimiter prædicans dicit, si hominibus placere vellem servus Dei non essem. Continentia verò & pudicitia non in sola carnis integritate consistit, sed etiam in cultûs & ornatûs honore, pariter ac pudore.* 1. *Cor.*7. *Quæ innupta est, sancta sit corpore & spiritu, &c. Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia fucorum nonnisi prostitutis & impudicis fæminis conveniunt, & nullarum fere pretiosior cultus quàm quarum pudor vilis est.* Apocal. 14. describitur: Compta mulier, meretrix erat. Lege Isai. cap.3. Vis placere sponso? Commendet te pudicitia, & ex ipso

ipso habitu agnoscaris esse Virgo. Ornet caput sertum, quòd est signum, te nunquam à libidine victam. Ignota Rebecca ad sponsum perducta est, & placuit. Evam non ornatam tradidit DEus Adæ. Tertul. de habitu mulieris, docet quòd ornamenta dæmones invenerint, & subjungit de gemmis. *Ajunt & de frontibus draconum gemmas erui, sicut ex piscium cerebris lapidositas quædam est, hoc quoque deerit Christianæ ut de serpene cultior fiat, si calcabit diaboli caput dum de capite ejus cervicibus suis aut ipsi capiti ornamenta struit? &c.* Breviter Ambr. libr. 1. de Virginibus. *De adulterio vultûs fucato meditantur adulterium castitatis. Quem Judicem, Mulieri veriorem requirimus deformitatis suæ quàm teipsam qua videri qualis es times? Si pulchra es quare colore absconderis? Si deformis cur te formosam esse mentiris?* Si in oratione frequens, & maximè devota ad Eucharistiam quo huic Sanctæ appingitur. Hæc enim est *vinum germinans Virgines*, hîc ornamenta verarum Virginum inveniet. Purpurissa est sanguis Christi, catenæ monilia, &c. Fugiat otium, S. Abbas Paphnutius dixit in vitis P. P. libr. 1. *Dicunt operantem Monachum dæmone uno impugnari semper, otiosum verò innumerabilibus devastari.* Et Basil. in Psalm 45. *Athenienses nunc nonnulli imitantur vita vacatione ac continuò rei alicujus supervacaneæ inventione intenti. Talis enim vacatio immundis spiritibus est amica.*

In Festo S. Nicolai Episc. & Confess.

CONCIO I.

Homo peregrè proficiscens.

Multa essent de hoc S. Episcopo dicenda. Dignitas ad Episcopatum tanta ut DEus illum miraculosè demonstrarit:

ſtrârit: Miracula facit innumera ut dicit de illo Eccleſia, oratio à gehenna liberare poteſt: &c. dicam hoc tantùm, quòd factus Epiſcopus, factus ſit homo peregrè profectus.

Rem difficilem narrat Paulus Hebr. 1. de Melchiſedech: *Erat ſine Patre ſine Matre*, hoc certè ſoli convenit Adæ. Difficiliùs, quod de eodem addit. *Similis filio DEI*, nihilominùs dicit quòd fuerit *ſine Genealogia*: ut legitur, *Liber generationis JESU CHriſti.* Sed Melchiſedech fuit Sacerdos, hoc eſt Pauli myſterium. Chriſtus cùm actus Sacerdotales egit in Cana Galilæa adſtitit ut Parochus, & ecce Matri. *Quid mihi & tibi mulier?* Prædicabat & ecce. *Qui ſunt fratres mei?* Sacrificavit in cruce, reddit Matrem Joanni. *Mulier ecce filius tuus.* Ita fecit Melchiſedech, ita S. Nicolaus, ita quilibet Sacerdos agere debet, ut poſſit de illo dici. *Homo* quaſi eſſet ſine Patre, *peregrè profectus*, ut nec audire, nec videre poſſet ſuos, & quod procul à ſenſu procul à mente. Non cogitabat quomodo eos ditaret. Diſpenſator erat bonorum Eccleſiæ, in Eccleſiam illa vertebat non in pompas, relictis ſolùm ſibi neceſſariis ut peregrinus peregrè per vias latronibus obnoxias profectus. Dux eſt populi Sacerdos apud affines hærere non debet, in via cæleſti debet proficiſci. Quis frater Nicolai? Miſeri à Conſtantini Præfecto urbis Adrianæ oppreſſi. Quæ ſorores? Puellæ periclitantes de pudicitia. Quæ Mater? Eccleſia; hanc exornat, adit frequenter, ei proſpicit.

Homo peregrè profectus. Quid eſt homo. Reſpondeo ex Pſalm 26. *Timuit Deum omnis homo.* Auguſt. hoc loco. *Qui non timuerunt nec homines fuerunt.* Sed clariùs idipſum Salomon *Time DEum, hoc eſt omnis homo*, igitur, Homo, eſt timere Deũ. Talis fuit Nicolaus, infans domabat corpus jejunio. Quid adoleſcens? Quid hîc de illis de quibus Ezech. 23. *Et violabunt me propter pugillum hordei.* Quid de illis qui coram oculis

Dei agunt, atque si non esset Deus vel agunt ac si illum omninò vilipenderent. Aug. l. c. *Qui non timuerunt, pecora potiùs appellandi*, quæ non agnoscunt DEum. Sed insuper Nicolaus fuit *homo peregrè profectus*, id est, ut suprà explicatum, Sacerdos. Timuit ergò Deum, talibus tractabat Christum manibus, qualibus decet filium Virginis. At verò conquestus est alicubi Ambros. *Nunquam Deus pejus habuit quàm cùm in manus Sacerdotum incidit.* Sed vicissim. *Horrendum est in manus Dei incidere.* Incidit in illas Oza quia irreverentiùs arcam Domini contrectavit. Periit Heli cum sua domo, quia Filii sine timore Dei sacrificium accedebant. Horrendum est Sacerdotibus sacrificium sine timore tractantibus, sed non minùs sæcularibus sacrificio taliter assistentibus aut illud contemnentibus. Drahomiram Matrem S. Venceslai sacrificium irridentem terra absorbuit. Uracam Hispaniæ Reginam domum Sacrificii, id est templum, injuriâ afficientem terra deglutivit. In cælo 24. Seniores depositis coronis procidunt, in terra pulvis contemnit.

Homo peregrè profectus à divitiis quas erogabat, ideò aurum erogatum ostentat. Quòd amemus divitias plerumque provenit ex eo, quia nos ut statuam Nabuchodonosor ad 60. cubitos extendimus, in canes, famulos &c. Ex hac causa Nabal Davidi petenti negavit panem. de Nabal, 1. Reg. 25. *Erat homo ille magnus, &c. convivium in domo ejus quasi convivium Regis.* Dixit verò Davidis nuntiis. *Opus habeo pro tonsoribus ovium, &c.* veriùs dixisset pro conviviis. Tamen divites sunt servi, *quos constituit super familiam ut det illis in tempore mensuram tritici.* Luc. 12. Proinde debent egenis dare. Eccles. 48. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam & redde debitum tuum*, quod ille rogat dum petit eleemosynam. Noli improperare, non laboras, fingis morbum, &c. Prov. 14. *Qui calumni-*

lumniantur egenum exprobrat Factori suo. Chrysost. hom. 34. ad popul. *Accepisti plura cæteris non ut tu solus consumas, sed ut eorum cæteris fias bonus dispensator.* Veniet tempus quando de dispensatore pauperes conquerentur. Conqueruntur & modo nonnulli voce aures DEI penetrante, Psalm. 72. *Quomodo scit Deus & si est scientia in excelso* videsnè ô DEUS. *Ecce ipsi peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt divitias suas.* Non desinit etiam post mortem benefacere Nicolaus, scribit S. Antoninus, quòd è sepulchro illius duo fontes erumpant, unus oleo fluit, alter aquâ, morbis uterque medetur. Sed pauperes quomodo in liberalitate imitabuntur Sanctum? Respondet S. August. in Micheam. *Multa sunt elemosynarum genera.* Sed quæ præcipua, & quâ maximè possunt abundare pauperes? ait idem Augustin. *Sed eâ nihil majus quàm cùm ex corde dimittit proximo.* Hoc est quoddam genus Sacrificii. *Talibus hostiis demeretur Deus.* Gen. 43. Gravia passus à Fratribus Josephus dum illis omnia condonat, insuper apparari jubet convivium, sic præcipit servo. *Introduc viros* Fratres meos *domum, occide victimas, instrue convivium,* cui victimas? si Deo vero, id non debebat per servum, de idolo absit. Victima est persecutoribus ignoscere.

De eodem CONCIO II.

Tradidit illis bona sua.

NUmquid solæ fuerunt tres puellæ periclitantes, nam verè dictum. *Pauperes semper habebitis?* Cur solis illis aurum injecit Nicolaus? nunquid soli tres pueri mortui, cur illos potiùs excitat? nunquid soli illi milites iniquè incarcerati, cur non alios liberat? &c. Idem est de DEI factis; occurret alicui, non tradi bona á Domino sed projici, casu omnia fieri non esse Providentiam, ostendam contrarium.

Remiſerat quondam DEus Prophetam ad domum figuli ut ex ea diſceret arcarna Dei, deſcendamus nos in domum Fabri, fortè hic non procul aberit qui huic peregrè proficiſcenti æquos ſoleavit. Fingamus nos nunquam in officina fabrili fuiſſe. Ingresſis nobis, ecce Faber urit ferrum. Quid hoc? deſtruet. Ecce malleo quatit, quid ipſi nocuit? Ecce forceps adunċta, cur non reċta? Ecce carbonibus uſtis fovet ignem, cur non lignis? Aſpergit aquâ cur non potiùs auget ligna. Poſtquam elaboravit projicit in terram, cur ſuum laborem contemnit? &c. Dum nos ita diſcurrimus ridet Faber. Eamus etiam ad locum in qua naves parantur, fortaſſe hic peregrè profeċtus navi opus habebit, & fingamus nos illas parari nunquam vidiſſe. Ecce clavi ferrei parantur, quid hoc ad navim quæ natare debet? malus rotundatur, quid hoc eſt? funes tot, quorſim? pix ſolvitur, hæc omnia inficiet? &c. Interrea nos faber ridet. Jam ingrediamur, officinam Dei, ecce Joſepho innocenti compedes cuduntur contra S. David gladii fabricantur, Moyſi infanti fiſcella ſtruitur, ut in ea mittatur in mare, Paulo navis frangitur, ut ſit in profundo, &c. miramur hæc, & ſunt qui damnent, Jer. 12. *Quare via impiorum proſperatur?* Imò dicet alter. Deus noſtra non curat, *circa cardines cæli perambulat.* Alter diſcurret. Si Deus nobis vult bene cur eveniunt mala? Si non vult bene, quomodo bonus? Sed *Dominus irridebet eos*, tam ſtulta cogitantes. Miratus es Fabrum quia non intellexiſti, quòd aliter ferrum traċtari non debuit. Miratus es fabricantes navim, quia non expeċtaſti finem & quid ex partibus conſurgeret: Vidiſſes navim, intellexiſſes quid opus erat clavis & malo. Ferrum non fit molle niſi igni, ita multi non emolliuntur niſi calamitate, non ducuntur ad formam reċtam niſi malleo. Cudebantur Joſepho compedes, ſed cùm opus eſt perfeċtū factus hâc viâ Dominus

Ægypti.

Ægypti. Projectus in mare Moyses, sed ut viveret; qui aliter periisset. David persecutionem patitur, sed sic evadit in Virum Sanctum. Paulus mergitur, sed ut eò loci emergat ubi erant electi à Deo qui per illum salutem consequerentur. Si Moyses non fuisset in fiscella non fuisset in aula regia, non habuisset robur occidendi Ægyptium, non inde profugisset, non vidisset DEum in rubo ardenti, non eduxisset cum tot prodigiis populum. Expectemus finem Divini operis, quem conspiciemus post nostram mortem, & videbimus cur aliquid faciat. Percutit unum ferrum ut feruginem excutiat, & nemo est sine illa. Ferro alteri parcit, sed illud abjecit ut inutile. Quod ex his duobus felicius? certè ut dixit Hugo Vict. *Utilius est frangi laboribus ad salutem, quàm servari incolumes ad damnationem.* Hinc deducit S. Gregor. Magn. *Continuus rerum temporalium successus est indicium æternæ damnationis.* Forma seu figura dat ferro pretium, sed non inducitur absque malleo. Invideret aliquis simplex latroni, dum non sibi sed illi Judex afferri jubet poculum vini, & mundum ferri indusium, apparatus hic est mortis, cui isti non datur sperare potest è carcere evasionem. Nec folium de arbore, nec passer cadit supra terram ut nesciat Deus. Ita S. Nicolao Juveni morte Parentes sustulit, sed nisi id fecisset, non pervenisset peregrinando Myrrham, non fuisset factus Episcopus, in Episcopatu tanta non egisset, propter quæ gloriam consecutus. Dedit his puellis dotem, hos à carcere, hos à tumulo liberavit, partes sunt istæ navis, post mortem videbimus totam navim, & cur expediebat, ut Deus ad hos inclinaret ejus animum, non expediebat ut ad alios. Distribuit non projecit bona sua.

Nescimus quid nobis prosit & sæpè in deterius corrigimus. Prov. 14. *Est via quæ homini videtur recta ac novissima ducunt ad mortem.* Via recta videntur divitiæ, fama, &c. & eligimus ista, sed

ſed quia nos ipſi rapimus hæc talenta non DEus dat nobis, non meremur ab illo auxilium, ut illa nobis ad ſalutem proſint. Iſai 57. *Opera tua non proderunt tibi, cùm clamaveris, liberent te congregati tui, & omnes auferet ventus, tollet aura.* Judic. 11. *Elegerunt ſibi Baalim & Aſtaroth*, & tandem adverterunt id non cum ſuo bono, ceperunt clamare ad Deum, *Peccavimus tibi*. Quid ad hæc DEus? *Non addam ut ultra vos liberem, ite & invocate Deos quos elegiſtis.* DEum ſequamur, non illi præeamus. Ita fecit in omnibus Nicolaus. Diligentiam circa res noſtras adhibeamus, ſed continuò illud ſit in corde. *Fiat voluntas tua.* Dat aliis plus, ſed ſicut majorem veſtem majori filio, nec ſi minorem det minori, querelas meretur. Exod. 16. Plus de manna accepit qui plures domeſticos habuit, minus qui pauciores, utriſque ſuffecit. Comædia eſt quædam hic mundus, quid ambis perſonam Regis cui non es ſuffecturus? Permitte, ut qui novit omnes diſtribuat pro viribus cujusque, in id ſolùm incumbe, ut perſonam, quæ tibi impoſita quàm perfecisſimè agas.

De eodem CONCIO III.

— *Euge ſerve bone.*

NOndum Philoſophi concluſerunt poſſe eſſe talem Syllogismum, cujus una propoſitio ſit in unius intellectu, altera in alterius, & tertius concludat. Hodie talem invenio & quod optimè concludat non eſt dubium Chriſtus in hodierno Evangelio. Servus bonus eſt, qui benè utitur quinque talentis. Hæc eſt prima propoſitio. Eccleſia alteram poſuit. Nicolaus talis fuit. Et nos omnes illi applaudendo dicimus: ſervus bonus eſt Nicolaus. Sed cùm applauſus iſte debeat pluribus fieri, eum fuſiùs dicam.

Talen-

Talentum significat pondus, v. g. 25. libras. Sed nullibi exprimit Evangelium cujus rei libras dedit hoc homo proficiscens. 1. Paralip. memorantur talenta auri, argenti, æris, ferri, tandem Zach. 5. etiam plumbi. An quia Deus aliis dat talenta auri, omnia illorum facta æstimantur ut aurea, honorantur, cordi applicantur, &c. Aliis argenti, &c? aliis denique plumbi, cujus exustione purgatur aurum: apud DEUM parum refert, cujus rei dederit talentum modò illo bene utaris, rusticus suo talento bene usus præcedet in cœlo quemcunque Principem suo malè usum. Hinc non tristentur pauperes, rudes, &c. S. Nicolaus videtur ex omnibus talentis habuisse. Æstimatur ut aurum cùm ad Episcopatum nolens provectus, ut argentum cùm suâ sonorâ eloquentiâ uteretur, ut æs cùm velut alienum miseriis in carcere uteretur: ut ferrum cùm Ario resisteret, ut plumbum cùm per humilitatem ad ima tenderet. Patres Justin. Origen. Hilar. Chrysost. Theophylact. nomine talenti hoc loco volunt accipi; non pondus alicujus rei, sed Animam, corpus, bona exteriora & alia ejusmodi, & si per hæc fructum faciamus bene utimur talentis.

Anima nostra est talentum, quod solus dat DEus, ut si Rex alicui suam filiam daret ornandam. Ornamenta sunt virtutes; his si anima voluerit ornari, & nos in hoc desides fuerimus, servi mali erimus, & illam & nos perdemus. Quare monet Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens DEO*, orna ne perdas, cave illi à latronibus, *& contine* non permitte evagari per illecebras, *& congrega cor tuum*, quando evagata fuerit, illam reduc. Vide exemplar in S. Nicolao, dum ad Baptismum fertur & fasciis exolvitur, flectit genu; ecce ornat animam virtute Religionis. Bernard. de S. Nicol. *Electus ab utero, Sanctus à puero,* Flexit genu quasi Deum benediceret, Psalm. 10. *Tu es*

qui

qui me extraxisti de utero, spes mea ab uberibus matris meæ, Deus meus es tu, ne discesseris à me. Factus puer, solùm duas scivit vias, ad templum & ad scholam, &c. Unde moriturus ait: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Recipe animam quam mihi dedisti ornandam. Alterum talentum est corpus nostrum. Fuit apud quempiam servus bene se gerens, honorabatur, sed postquam voluit Dominum occidere, debet durè tractari. Si corpus mansisset fidele sicut fuit in Adamo ante peccatum quando per omnia rationi obediebat, poterat haberi molliter. Sed cùm nos modo vult in infernum præcipitare, cùm tendit ad lasciviam, ebrietatem, acediam. Utendum remedio quod Deus præscripsit: *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Fatigandum labore, fame, siti, &c. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* S. Nicolaus adhuc ab uberibus ita cepit hoc talento uti, feriâ quartâ & sextâ omninò lacte nutricis abstinuit usque ad solis occasum. Totâ verâ vitâ quotidie nonnisi semel & parcè vescebatur. Quid de ejus cura in conservanda virginitate? Certè illi tribuendum, quòd eo nato Parentes spoponderint DEO, non usuros se deinceps matrimonio. Sed non satis mortificare, sed etiam cum anima ad bonum collaborare. Adhæc puer surgebat noctu ad orandum, in aurora ibat ad Missam audiendam, nam qui Missam audire post omnia differt, visus est cuidam DEum post omnia habuisse, non quò quis putatur dignior, priùs ad nos admittitur. Quid de illis qui pransi accedunt Missas, atque si nescirent in Missa Sacerdotem Sacramentaliter, populum communicare spiritualiter: Ideò sicut Sacerdos pro se dicit *Confiteor*: ita Ministrans pro populo. Et Sacerdos post communionem non suo singulari nomine, sed populi agit gratias. *Refecti cibo. Percepimus, sumpsimus, &c.* etiam cùm spiritualiter per desiderium Christus sumitur, debet reverenter sumi.

Tertio

Tertio loco sunt bona exteriora. Horum nos fecit DEUS dispensatores, maximè Ecclesiasticos, ut docet Constit. Synod. & aliquando in persona aliena venit Christus ad nos volens experiri an ita dispensemus, ut ille vult. Non vult ut solis nobis ex illis benefaciamus, aut apud nos maneant otiosa, sed ut demus etiam Fratribus indigentibus, hinc non raro mendicavit Christus in specie pauperis. Præmonuit verò, *quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.* Unde Basil. Conc. 4. de Eleemos. *Esurientis est panis ille, quem tu apud te detines, vestis illa quam in cella tibi servas, calceus ille qui tibi domi putredine corrumpitur: egeni argentum est quod domi defossum habes. Itaque tot injurii afficis, quot tuis rebus dum licet non juvas.* Et hic est usus bonorum temporalium, hoc modo ex illis usura licita percipitur. *Fæneratur Domino qui dat eleemosynam pauperi.* Dedit nobis DEus hæc bona ut viaticum cum quo ad cœlum pervenimus, non consumendum in aleis, canibus, &c. Et qui ita his utitur, Deus ut servo fideli plura committit. Dedit dotem S. Nicolaus filiabus tribus cujusdam nobilis, dedit & aliis, & cùm non supereat, ut haberet quod daret, mutuum contrahebat. Adolescens hæreditatem distribuit egenis. Jam factus Archiepiscopus cùm ejus civias Myrrha fame laboraret, & naves eam præterirent quæ frumentum Alexandriam deponebant, impetravit ut concederent ei tantum frumenti accipere quantum posset accipi, salvâ mensurâ sub qua infusum manibus remaneret, cùm aliàs nollent vendere. Accepit ex quavis navi centum modios, & integrum mansit in manibus ut antè, acceptum verò ita Deus multiplicavit ut sementi civitati in biennium suffecerit. Auget DEus bona servo bene illis utenti. Fugiebat ne esset Episcopus, sed de cælo monitus hâc voce. *Nicolae ad mundi Palæstram tibi redeundum est, si meam coronam expetis.* Hunc ipsum honorem vertit in lucro

Domini. Die ac nocte cuique ad illum fuit liber accessus. Licinius Imper. sæva contra Christianos statuit, illi se opponit Sanctus & ideò vincula & catastos sustinet. Ereptus à Constantino Magno ex carcere, eundem in somno monet, quod Tribunos tres iniquè ad mortem damnaverit. Vadit ad Concil. Nicænum, in eo se opponit Arianis, Melesianis, Baganis. Eusebium Hæreticum confutat. Fana omnia Diannæ in sua Diæcesi evertit. Deus vicissim Isa. 61. *Dabo ei oleum gaudii pro luctu.* Nam præter innumera miracula, oleum medicinale ex ossibus ejus hactenus stillat.

De eodem CONCIO IV.

Homo peregrè proficiscens, &c.

HAbet hanc consuetudinem Ecclesia, ut Festis quàm aptisima accommodet Evangelia. Sic pro Virginibus, *Simile est regnum cælorum Virg.* Pro Mart. *Si quis venit ad me, &c.* Pro Confess. *Sint lumbi vestri.* Pro Doctoribus. *Vos estis sal terræ, &c.* Sic etiam pro S. Nicolao de bonis distributis. Hoc tamen adverto, cùm pro aliis Sanctis assignat, nominat personas, Virgines, Dominos, Patrem, ac hodie solùm dicit. *Homo*, quomodo id Sancto propriè competit? Ostendam propriissimè competere.

Describendo S. Paulus quendam S. Episcopum, ait, Melchisedech sine Patre, sine Matre, sine genealogia, ad similitudinem Filii Dei, Quomodo? id soli Adamo competit, is sine Patre, sed non ad similitudinem Filii Dei, ex terra per ipsum verbum, at Filius ipse Verbum. Deinde S. Ambros. profert nomen & Patris & Matris Melchisedeci. Filius Dei etiam in cœlo Patrem, in terra Matrem habet. Illustrabit hoc illud, quod dicit Christus de Episcopis. *Vos estis lux mundi.* Et bene, quia lucis est proprium manifestare. *Omne enim quod manifestat lumen est.* Videte quid dictum de luce cùm initio mundi eam laudaret.

Vidit Deus lucem quòd esset bona. Lipoman. legit, *quòd esset bonus.* Tertull. *Quòd esset bonum.* Quæ est ista Grammatica? Optima. Quia omnes respiciunt ad vocem Hebræam, Thob, quâ Deus est usus, & significat, bonus, bona, bonum. Sic ergo Deo lux omnis est generis. Insuper addit Lipom. quòd eadem vox significet. *Optimus, pulcher, decorus, beneplacens, sive bonitas,* sic omnia optima luci attribuit. Sic & Episcopis cùm eos vocavit lucem.

Jam ad Melchisedechum. Volebat hunc Prælatum laudare Paulus, & ut solet, paucis multa volens dicere. Dixit: *Sine Patre.* Si dixisset erat ex domo Noë, solùm in mentem nobis venisset, *erat vir justus.* Si filium Japhet, is honorans Patrem, & sic de aliis. voluit verò insinuare plenum omni virtute, dixit sine Patre, &c. Sed ad similitudinem Filii. Quod nomen habet Filius? nullum, quia est idem Deus cum Patre: Quod Deus? de Dei nomine interrogatus S. Procopius â Tyranno, dixit. Ubi non sunt plures ibi nomine non est opus. Sicut Soli, Lunæ, non damus nomen, quia sunt unica in mundo. At si plures soles crearentur opus esset nominibus per quæ distinguerentur, sicut stella alia Arcturus, &c. ita Ethnici cùm plures haberent Deos, alium vocabant Jovem, &c. Solùm apud nos Deus dicitur DEus, & in hoc continetur Omnipotentia, &c. Ita cùm Paulus dixit Melchisedecum ad similitudinem Filii Dei, adscripsit illi imitationem omnium attributorum Dei, est sanctus, sapiens. Si Prælatos dixisset v.g. Stellas non tantùm dixisset, ut cùm dixit lucem. Procedamus ad Nicolaum, cùm illi attribuit Ecclesia *Homo.* Nec dicit, qualis, quis, summè illum laudat. Fuit quis homo in infantia jejunans, est Nicolaus. Fuit tempestates prædicens, domum deserens, humilis esse, est Nicolaus ejusmodi, mortuos excitans, innumera patrans miracula is est Nicolaus. *Homo.* Petamus à Philosophis. Quid est homo? *est animal rationale.* Non solùm quia discurrere

poteſt, ſed etiam quia naſcitur cum quibusdam principiis, quæ vocantur lumen naturæ nec ſolùm cum ſpeculativis, ſed etiam cum practicis, quæ ſi non eadem omnes haberemus diſcurrere & diſputare non poſſemus. Practica ſunt. *Cole DEUM, Parentes honora. Quod tibi non vis fieri, &c.* Et hæc ipſa dirigebant hominem in lege non ſcripta, quæ dum quis ſervabat, ſanctus erat. Et modò ſi inter Ethnicos quis ea ſervat, certisſimò Deus illum in viam ſalutis deducet, etiam per miraculum ut Cornelium in Actis Apoſt. & alios in vita S. Franciſc. Xaver. hæc in Decalogo explicuit in lege ſcripta, perfectiora fecit in lege nova, qui hæc non ſervat non eſt homo. Boëtius doctisſimus & cui S. Thomas pasſim in Theologia innititur, ſic in conſolat. Philoſoph. Piger aſinum non hominem vivit, luxurioſus urſum, &c. Quæramus etiam ex Spiritu Sancto quid eſt homo? reſpondet: *Time DEUM & mandata ejus ſerva, hoc eſt enim omnis homo. Eccleſ.* 12. Quare dum Eccleſia attribuit Sancto, *Homo*, idem eſt ac ſi dicat. Audiſtis quia in lege naturæ juxta dictamen rationis vinculo erat caſtus Enoch, talis Nicolaus. Juſtus Noë, talis Nicolaus. In lege ſcripta & gratiæ S. Joan. Bapt. de quo etiam dicitur, *Fuit homo miſſus à Deo*, talis Nicolaus. In lege ſcripta Moyſes, David, &c.

Et hic unum myſterium cognoſcitis, quare Nicolaum non pingat Eccleſia cum Tribunis quos apud Conſtantinum Magnum per ſomnum à morte liberavit. Non cum revelatione, quòd qui primus ingreditur Eccleſiam, ille ſit Epiſcopus, non alapam dantem Ario, &c. Sed cum tribus fruſtis auri. Quia erat Melchiſedech, quia lux, quia homo. Quid in Melchiſedech ſpeciale? quia panem & vinum fatigato attulit Abrahæ? Cur lucem tantoperè Deus laudavit? reſpondet Baſil. in Hexam. *Quòd Deus vocat lucem bonam, id facit proſpiciens utilitatem ex eadem luce olim ad populum perventuram.* Cur hic *homo* nominatur? quia bona ſua diſtribuit. Quilibet

bet homo est in bonum alterius. Sicut Melchisedech si non obtulisset panem Abrahamo, nulla forsan de illo fuisset mentio in Scriptura; Sicut lux nisi daret omnibus colorem, vitam, gaudium, fortè non benedixisset illam DEus. Ita nisi Nicolaus habuisset charitatem cæteræ virtutes fuissent in obscuro. Sicut sine luce color. *Charitas* est quæ *operit multitudinem peccatorum.* Habeat quis omnes virtutes, ut Paulus in se ipso explicat, si charitatem non habuerit, æs sonans est, & cymbalum tinniens, imò nihil. Charitas in cœlo manet, in quo spes, & fides, evanescunt. Sed Filioli diligamus non verbo sed opere, monet S. Jacobus. Charitas in opere monstranda. Hoc factum in Martino quem universaliter colit Ecclesia, hoc in Nicolao celebrat. Aliorum Episcoporum non est ita cultus universalis, aut solennis.

In Conceptione B. MARIÆ Virgin.
CONCIO I.
Liber generationis JEsu Christi.

CONcepta est hodie Regina Angelorum, itaque immaculata, nam Reginam agere non posset inter immaculatos Spiritus si esset maculata. Concepta est Regina Apostolorum, itaque immaculata, nam non frustra hoc in illa specialiter prædicant, sit Andreas pro omnibus. *Sicut primus Adam de terra immaculata, ita secundus* Adam. Pro S. Jacobo qui hoc festum in Hispanias induxit, loquatur Cresiphon discipulus ejus, ut refert Novati. in umbra lib. 4. exc. 17. *Illa Virgo, illa Maria, præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni macula.* Hoc ipsum Patriarchæ novæ legis deprædicant. S. Dominicus, Ignatius qui se etiam voto obligaverat defendendi hanc sententiam. De hoc ipso

Doctores omnes, de hoc Martyres suæ Reginæ gratulantur. Nomine Virginum & ipsa Virgo S. Joannes Apoc. *Datæ sunt alæ mulieri.* Evolavit supra omnes Virgines B. Virgo ut pote non solùm in corpore, ut cæteræ, sed etiam in anima Virgo, quia sine macula. Hæ sunt duæ illius. Pro Evangelistis sufficiat S. Matthæus, qui ait *Liber generationis.* Et de hoc illum copiosiùs audiamus.

Liber generationis. Quod nomine libri B. Virgo intelligatur, docet Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris ejus in vestitu deaurato*, Chaldeus legit: *Stetit liber & exarabitur in exemplari splendor.* Exemplar & imitatio Dei Patris Virgo, ille Virgo gignit, hæc parit Virgo. *Splendor* est Filius DEI juxta illud S. Pauli: *Slendor & figura substantiæ ejus*, ubi de Filio Dei loquitur. Sic ergo B. Virgo, est liber generationis Christi. Quod si est liber Christi, quomodo in illo macula? in qua splendor quomodo umbra? Quia illi inscribendus erat CHristus, acceleratus usus rationis & juxta quosdam concessa est visio Beatifico, quia hoc decebat, atqui non minùs decebat ut macula deesset, quæ licet deinde aboleretur, mansisset tamen litura. Profitetur hanc puritatem Græca Ecclesia in Mensis 6. Martii. *Tibi intaminato recentissimi nitoris volumini sapientia Divina inscripta.* Itaque fuit intaminati nitoris, & certè quis fuisset honor Filio DEI, si priùs se dæmon inscripsisset, postea Filius Dei scriberetur? Unde ibid. 24. Martii Ode 5. eadem illam Ecclesia alloquitur. Dum scilicet illi annunciat Gabriel. *Esto paratus ô Divinæ munditiei liber, quia tibi Spiritûs S. digito inscribetur Sapientia Divina.* Liber juxta Chaldæos significat inscriptionem dotis quam Sponsæ inscribebat Sponsus. Maculamnè illi Christus inscripsisset? Lex est pro omnibus qui ab Adamo descendunt, ut maculam contrahant originis. Sed L. Princeps de legibus. *Augusta legibus non tenetur.*

Ita

Ita Princeps terrenus Matrem honorat, & Christus nimis honoravisset? Hinc Cyrill. contra Nestorium: *Propter Filium, temerarium est in Maria Virgine, ponere aliquam culpam vel peccatum.* Lex est ut mulier concipiat ex viro & desinat esse Virgo, exempta est ab hac lege. Lex est ut corpore mortuo resolvatur in pulveres, juxta illud. *Pulvis es & in pulverem reverteris*, exempta per pietatem Filii ab hac lege, quidni & à lege maculæ? Hinc Augustin. libr. de Natura & Gratia. Neque mentionem patitur fieri peccati cùm agitur de Beat. Virgine Bernard. Sermon. 4. supra Salve: *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis.* Bonaventur. Sermon. 2. de Beat. Virgine: *Domina nostra plena fuit gratiâ præservativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex conditione naturæ, nisi speciali gratiâ præservata, præventaque fuisset.* Sexaginta in hanc rem affert Patres Poza. Claudat agmen illorum S. Thomas opusc. de expres. salutat. Angelicæ: *Nec originale nec mortale peccatum incurrit.* Sed supra quemvis S. Patrem est consensus universalis Ecclesiæ, quæ festum Conceptioni celebrat.

Si ergo Moyses, quia DEUS illum ut esset Dux populi elegit, tantus est effectus: Si Abraham, quia DEUS illi promisit quòd ex illius stirpe, licet post sæcula, nasciturus esset Christus: Si tabernaculum quia in illo erant sacrificia offerenda sibi tam sanctum esse. Si arcam, quia in illa figura quædam Christi claudebatur tanti esse voluit, ut gravissimè Bethsamitas castigârit, quòd eam ausi fuerint intueri. Ozam Sacerdotem quòd minus reverenter, contingere; quam putas apud illum erat ea quam in Matrem suam destinaverat? Moysen fecit Deum Pharaonis. Abrahamo benedixit, *Numera stellas, si potes.* In tabernaculi constructionem jussit conferri quod quisque haberet pretiosum, pro Arca non permi-

sit

ſit Davidem ut extrueret templum, quia manus in bellis juſtis infecerat ſanguine, aut certè ſi aliquando injuſtè illum effudit, jam pænitentiâ expiaverat. Tantò major eſt Virgo Moyſe, quantò mater præſtat ſervo: tantò major Abrahæ quanto carior mater genitore qui fuit ante mille annos. Tantò honorabilior arcâ, quantò res figuræ præſtat. Plus ergo ab illa ſperemus, quàm in Moyſe Judæi, & illa nos ducet per mare dum ſequamur: Sæpiùs ſit in noſtro ore & corde quàm Abraham fuerit apud Hebræos, & propter illam in nos DEus effundet benedictiones. Plus etiam veneremur quàm illi arcam, & erit nobis melius propitiatorium, & hæc dixi minora de S. Virgine, quia ut S. Th. de Villa nova. *Virginis gloria magis cogitari poteſt, quàm deſcribi.* Sed à quonam etiam ſatis cogitari? S. German. Patriarch. Orat. de dormit. B. V. *Quemadmodum gutta nihil mari adjicit, ita nemo tuarum celſitudinum laudem ſatis extollet.* Bern. ſerm. 4. de Aſſumpt. *De Virginis gloria nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire.* Petr. Damiani ſerm. de Nativ. B. V. *Impar eſt illi omnis humanæ linguæ præconium.* Imò ut Damaſc. Orat. 1. de Asſumpt. *Eam non hominum lingua, non mundo ſublimior Angelorum mens, ſatis dignis laudibus efferre poteſt.*

Recurramus cum fiducia ad hunc *thronum gratiæ*, egemus illâ. Sumus & nos generationis liber, ſed cujus? Peccatorum. Gregor. 6. Mor. 15. *Ex originali culpa fit peccatum actionis, hujus matris liberi ſunt omnes concupiſcentiæ, vitia, & peccata.* Hæc noſtra eſt proles. De libro generationis dictum eſt. *Tota es, macula non eſt in ſe.* Qualis noſtra adoleſcentia, qualis ætas virilis, qualis ſenectus? *Vulnus & vulnus, plaga & livor*, Iſai 1. *Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen facti fuiſſemus ſicut Sodoma.* Niſi Chriſtum, niſi B. Virginem, & ideò fortè ad ſpem in nobis excitandam. Dum ſcribit S. Matth. *Liber generatio-*

rationis. Statim addit. *Filii Abraham* ut argumentemur nobis, si propter Abraham fecit tam multa bona posteris, quid non feciet propter Matrem. Addit statim Isaac & Jacob. Etsi jam duceremur ut victima, substituet pro nobis Agnum suum, Filium suum Mater. Si luctabimur cum difficultatibus ut Jacob dimittent nos cum Aurora, B. Virgo comparebit. *Filii David.* Si fuerimus peccatores ut David dum honorem Arcæ Domini fecerimus, evademus in viros *secundum cor DEI.* Et si reo desint exempla, attingit historiam Manassis, Ruth & Obed, Uriæ & Davidis.

De Eadem CONCIO II.

De qua natus est JESUS.

CUm DEUS sine macula concipi Virginem voluit, plus se illam ostendit amare quam omnes simul alios homines pluris facere: sicut qui sua omnia bona permittit rapi ab hoste, vastari, unam tamen excipit gemmam, hanc hostis ne tange. Omnes alii propter Adæ peccatum permissi sunt hosti, una illa ab ea præservata, & hoc propterea qnia de illa natus est Jesus, quod propter ejus honorem assumpto textu epistolæ hodiernæ quam Ecclesia B. Virgini attribuit, explicabo.

Dicit hodie in epistol. B. Virgo. *Ab æterno ordinata sum* proinde est ab æterno, alioqui si non esset; ordinari non posset: atqui ab æterno est ordinata. Si est ab æterno, sine macula concepta est; & nunquã per originale effecta est peccatrix, si enim fuisset aliquãdo peccatrix, aliquãdo non fuisset, ac proprerea nõ fuisset ab æterno. Peccator enim corã Deo non est & velut nõ esset reputatur. Esther 14. *Ne tradas sceptrum his qui non sunt.* Id est malis, seu peccatoribus. Quia sicut homo non est homo si careat anima, ita ipsa anima non vivit si DEO per peccatum careat. Si

at. Sicut radius perit si à sole recedat, ita perit esse hominis si recedat à DEO, à quo non minùs accipit esse quàm radius à sole. Ab æterno fuit B. Virgo in mente DEI. Igitur nunquam fuit in peccato. Insuper *ab æterno ordinata sum* ad quid ordinata? *De qua natus est Jesus.* Ut Mater esset Dei. Deus enim ab æterno ordinavit ut ejus Filius esset homo. S. Th. 3. p. q. 24. a. 1. Si ordinatum est ut esset homo itaque ut haberet Matrem; & quidem sic ut exponit Suarez tom. 2. in 3. p. q. 27. d. 1. s. 2. priùs ordinata ut esset Mater, postea dona quæ Matri conveniunt sunt assignata, ideò enim tanta illi sunt constituta, quia futura erat Mater. Ita & Bernardin. serm. 51. c. 4. sic alloquitur Virginem. *Tu ò Virgo ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti ut DEum ipsum hominem procreares.* Si uerò in Matrem Dèi electæ maxima alia dona sunt parata, conveniens est ut exemptio ab originali pararetur maximè cum LXX. pro *ordinata*, legant *fundata*. S. Fulgent. ad 18. Prov. *Quod fundatum dicitur nullâ ratione convellitur, quod non convellitur non mutatur.* Si Virgo ab æterno in DEO fundata, convulsa non est per originale.

Ex antiquis antequam terra fieret. Docet S. Th. 1. p. q. 62. a. 3. Angelos esse creatos in gratia gratum faciente, rationem affert ex S. Aug. 18. c. á. in Genes. Quia sicut materialibus creaturis, ut plantis &c. Indita est vis seminalis ad suos effectus: ita Angelis gratia quæ est semen gloriæ debuit dari. Antiquior verò seu dignior Angelis B. Virgo, itaque & illam conveniebat in gratia creari. Theodoret lib. 3. in Cant. *Maria velut electa columba est, non solùm pulchra & immaculata; sed etiam puritate Cherubim & Seraphim antecellit.* S. Aug. de nat. & gra. *Plus collatum gratiæ B. Virgini ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum quem nullum constat habuisse peccatum.* Non vincit silvam ex omni parte, qui

avellit folia, ramos amputat, si radix maneat: alii folia venialium &c. vicerunt: illa ex omni parte, quia vicit radicem, hoc est originale; vicit verò quia *est de qua natus est Jesus.* Antiqvum erat vincere actualia peccata, virgo antiquior. Ista est Arca Noë in quam nec guttula aquæ intravit: Ista Jahel quæ ipsum caput hostis confixit, Ista Judith de qua nemo malum loqui potest verbum. Aug. serm. de Assumpt. B. V. ait DEUS potuit & decuit illum præservare corpus Matris suæ à corruptione, ergo id fecit. Sed etiam potuit, & decuit (sub-sumo) præservare ab originali, ergo id fecit. Ista Esther quam aliàs casuram Assuerus suis sustinuit manibus. Ista est arca quam dum voluit Oza contingere, mortuus est.

Nondum erane abyssi & ego jam concepta eram. Fui in mente DEI viventis, non dicitur à vivente concipi nisi id quod vivit. Sic cum Bethsabee 2. Reg. 11. significavit Davidi se concepisse, dixit se vivum ferre fœtum. Unde & conceptus nostræ mentis sunt vitales. B. Virgo ante abyssos concepta, itaque non mortua per peccatum. *Concepta eram* hoc est cognita DEO, igitur sancta: peccatoribus enim dicit, *Nescio vos.* Abyssus significat multitudinem aquarum, vel infernum, vel peccata. Juxta illud Ps. 70. *De abyssis terræ reduxisti me* Aug. explicat de peccatis. Item Ps. 41. *Abyssus abyssum invocat.* Passim explicatur, peccatum trahere peccata. *Nondum erant abyssi* peccati Adami, quando B. Virgo concepta. Multi docent lapsum dæmonem non solùm propter superbiam, sed etiam propter invidiam. S. Irenæus lib. 5. adu. hær. c. 24. *Invidens homini, apostata à Divina lege factus est.* Idem docet S. Aug. 14. Civit. idem S. Th. 1. p. q. 63. a. 2. invidit, quia revelatum illi fuit, futurum DEUM hominem. Nam. ut S. Th. 1. p. q. 17. a. 5. Quod revelatum est Prophetis, excellentius docet revelatum fuisse Angelis: at verò Incarnatio revelata fuit Prophetis, igitur &

tur & Angeli. Itaque ante peccatum Angelorum constitutum est ut DEUs fieret homo itaque & Mater ejus. Sic fuit & ante peccati & inferni abyssum. De abysso aquarum hic non curo. Unde prior illo, conterit caput pede ut vermem, pede cum vitam intraret. Aug. l. 12. de Genesi ad literam. *Cùm subjectio originalis peccati caput sit diaboli, tale caput Maria contrivit, quia nulla peccati subjectio ingressum in animam habuit Virginis, & ideo ab omni macula immunis fuit.* Meritò itaque in hymno Græc. canitur. *Mortalitas inferni est* B. Virgo. Si ante peccatum Angelorum certo modo B. Virgo fuit decreta, etiam fuit ante peccatum hominum. Unde ait: *Quanda certâ lege & gyro vallabat abyssos, aderam*, velut socia spectans opus DEI. Lessius de perfect. Divinis. *Vallabat abyssos cum certum peccatorum numerum ac pondus patientiæ suæ definiebat.* Sicut postea Judæis dictum, *Implete mensuram Patrum vestrorum.* Non fuit B. Virgo in ore Adam cum pomum comederet. Non cecidit in puteum de quo liberari petit Ps. 68. *Non urgeat super me puteus os suum.* Hieron. epist. 29. De reatu peccati tanquam de puteo etiam parvuli per gratiam Christi liberantur. De toto genere humano dici potest quod Isai. 14. de quodam Rege Babilonis. *Infernus subter conturbatus est in occursum adventûs tui, omnes Principes terræ dicent tibi, & tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es* Cuique sancto dæmon hoc modo insultare potest. *Et tu &c. in iniquitatibus conceptus es, in peccatis concepit te Mater tua.* Sola B. Virgo non timet hoc ludibrium. Saltem tu S. Virgo, eripe per tuas preces nos ex abysso actualium peccatorum, qui sumus Erepti ab Originali per Baptismum.

De

De Eadem CONCIO III.

De qua natus est JESUS qui vocatur Christus.

DIebus festis licet sacras quæstiones proponere. Propono ego. Quodnam festum est antiquissimum & tale, quod si non fuisset nulla alia fuissent festa. Dicet aliquis. Nativitas Domini, quia ex hoc fonte omnia. In vetere autem lege Pascha. Fundamentale vero Resurrectio Domini, quia ut ait Paulus. *Si Christus non resurrexit inanis est prædicatio nostra.* Id est frustra Martyres paterentur &c. Si enim ille non resurrexit, neque illi resurgerent, ac proinde præmium non reciperent. Et sic de aliis. Ego dico quòd Conceptio B. Virginis, & sic deduco.

Quomodo antiquissimum hoc festum? quomodo fuit ab initio mundi? *Iterum introduxit Primogenitum suum in mundum ut adorent eum omnes Angeli ejus.* Scimus quando introduxit semel, cùm scilicet natus est. Sed quãdo altera vice? Qui quærunt quod fuit peccatum Luciferi, ajunt, quia dixit Deus, si voluero ut aliqua Persona ex nobis fiat homo, adorabitis ne hunc hominem? noluit Lucifer; tunc revelavit Deus Michaeli & Angelis clarius ordinem Incarnationis & quod Matrem Christi esset exempturus ab originali. Hæc deduco ex sermone Angeli apud S. Birgittam. Et quia communiter docent quod statim ac Christus à DEO electus, ipsa ante cæteras alias electa juxta illud. *Elegit eam DEUS est praelegit eam.* Unde cognoverunt Angeli tanquam Matrem, & festum fecerunt, ut docet Conc. hodierna S. Vincentius. *Non mirum est si Angeli fecerunt festum de ea.* 2. Fuit hoc festum in paradiso. Postquam Adam cognovisset quod ipse & propter eũ totus orbis periturus, ac si tota civitas propter unũ jugulanda (Habet hoc peccatum etiã non Adami quod propter illud domus aut civitates, imò

imò regna pereant) fuit valde triſtis, tum illi ad ſolatium di-ctum, directè contra originale, *Ipſa conteret caput tuum*, quia de originali fuit ſollicitus; & quia feſta celebrabantur apud ve-teres in memoriam beneficiorum, ut Paſcha, tabernacula, non dubium quin Adam & poſteri habuerint ſolennem hanc diem promiſſionis, & præcipuè cùm aliquâ novâ confirmatione in memoriam reducabatur ut *Orietur ſtella ex Jacob. Rubus ar-dens incombuſtus.* Arca fœderis, vellus Gedeonis &c. Ingre-diebantur templum recolebant. *Sanctificavit tabermaculum ſuum Altisſimus.* Jeremiam in utero, Joannem tribus menſibus ante exitum ex utero, alios in morte cum verum DEum agno-ſcũt: iſtam verò ſtatim atque perfectum tabernaculum, eodem memento quo infuſa anima corpori. 3. Ab Apoſtolis fuit ce-lebratum. S. Andreas immaculatam eſſe docuit. A S. Jacobo in Hiſpania ſcribit Flavius Dexter. A Jacobi prædicatione *celebratur in Hiſpania feſtum immaculatæ & illibatæ DEI Geni-tricis Mariæ.* Et cum neglectus intervenisſet circa hoc feſtum, S. Petrus de cælo deſcendit, ut illius admoneret. In hunc enim ſenſum S. Anſ. in Epiſt. ad Epiſcopos Angliæ. Guillelmus Dux Nortmannorum qui Angliam ſubegerat miſit in quo-dam negotio Elſimum Abbatem Remenſem, qui cùm redit per mare, tempeſtas ſumma exorta eſt, deſperatio, commen-dant ſe B. Virgini, apparet quidam in unda Pontificaliter ve-ſtitus, & ait Elſimo, ſi vis evadere, promitte DEO & mihi, *quòd diem Conceptionis & Creationis Matris DEI ſolenniter cele-brabis*, Petit Abbas, quando? reſpondet ille. *Sexto idus De-cembris.* Quo officio? *Omne officium quod dicitur in ejus Nati-vitate dicetur in Conceptione; excepto quod nomen Nativitatis mutabis in nomen Conceptionis* Docuit hæc antiquitas, quia Eccl. 24. *Primogenita ante omnem creaturam.* Mos erat ut ſcribit Abulen. ut Primogeniti benedicerent junioribus. Levemus ma-

nus id

nus id petendo. Sed si manus nostræ plenæ sunt sangvine, & quidem ejus? Oremus ut benedicat nostris conceptionibus, bonis propositis. Isai 26. *A facie tua Domine Concepimus, & peperimus spiritum salutis.* A facie, nimirum venturi Judicis bona proposita, sed cùm est ventum ad partum, non est virtus pariendi. Quid si à facie dæmonis sæpiùs concipiamus. *Concepit dolorem, peperit iniquitatem?* Multum valet illius benedictio. Herolt. discipulus S. Dominici inter cæteras gratias quæ dantur colentibus Immaculatè conceptam has numerat. Veram Contritionem, consolationē in tribulatione: Paulus Grosius S. Aug. discipulus *Coram DEO novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devotè Mariæ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur.* Denique addit Herolt. Quòd talis in exitu animæ suæ de corpore nunquam à B. Virgine deseretur.

Jam ostendendum quomodo festum hoc sit fundamentum cæterorum. Nemo dubitat si Christus post Adæ peccatum non fuisset natus, nullum festum haberemus, non fuisset verò natus si B. Virgo fuisset Originali maculata. Quod ostendo 1. Est Ratio S. Th. 3. p. q. 27. a. 4. *Virgo non esset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando, quia honor Parentis redundat in prolem.* juxta Prov. 27. *Gloria filiorum Patres eorum.* Quis enim vellet in domo habitare in qua paulò antè erectum est patibulum? quis eam accipere in sponsam quæ paulò antè constuprata est à latronibus? quæ in librum nigrum damnatorum est relata? Cyrillus contra Nestor. *Propter Filium temerarium est in B. Virgine ponere culpam vel peccatum.* 2. Ex eodem Doctore *Quia singularem habuit affinitatem ad Christum, quia ab ea carnem accepit.* Sed si fuisset maculata, tum 2. Cor. 6. *Quæ conventio Christi cum Belial?* noluisset cum illa habere affinitatem. Filium autem cum Matre pro eadem persona sumunt jura l. finali c. im-

li c. impub. Et Ethic 8. c. 5. igitur in Filium redundâsset. 3. Quia sap. 1. *In malevolam animam non intrabit Spiritus sapientiæ nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ex quo S. Th. le. infert, quod si B. Virgo peccavisset venialiter, non potuisset esse Mater DEI. Sed multò gravius est peccatum originale, itaque si illud contraxisset B. Virgo multò minùs fuisset Mater DEI 4. ejusdem Doctoris. *Simpliciter fatendum est, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleretur quod dicitur Cant.* 4. *Tota pulchra es & macula non est in te.* Fuisset autem macula, atque adeo magna, originalis, ac proinde sponsa Christi, atque adeò Mater non esset. 5. Si fuisset maculata non maximè potuisset appropinquare ad principium omnis puritatis, itaque Mater DEI non fuisset. Maximè enim Mater appropinquat ad Filium; quia etiam pro eadem persona cum Matre reputatur: & ut l. c S. Tho. a. 5. *B. Virgo fuit propinquissima principio gratiæ.* Et ut ibid. *quantò aliquid magis appropinquat principio tantò magis participat effectum illius principii.* 6. idem S. Doctor 3. p. q. 31. a. 4. ad 3. *A Christo debuit abesse omnis immunditia, ergo non debuit concipi ex fœmina concipiente cum libidine.* Sed majus dedecus Christi esset si conciperetur ex infecta peccato originali, peccatrice, inimica DEI, quam ex muliere sanctè & meritoriè, atque adeo sine peccato connubio usa. Plurima ad hoc ipsum afferri possent argumenta. Certè ad hoc tendere videtur DEUS cùm prohibet ne fiant vasa sacra ex quo aliquando fuerant idola facta. Hinc non miremur si B. Virgo hoc festum tantoperè promovit, si DEUS maximis illustravit miraculis. Scribit epist. supra cit. S. Anselm. & post eum Claudius Rota in Sanctis Ungariæ cap. 158. de Fratre Regis cujusdam Ungariæ. qui postea fuit Patriarcha Aquilegiensis. Hic cum suasu suorum sponsam accepisset, & antequam pervenisset ad thalamum

com-

commemoràsset sibi quòd eâ die, non dixisset, ut solitus erat Officium B. Virginis, protinùs in aliquem angulum domûs se recepit, ut illud exolveret; cumquè pervenit ad illa verba. *Tota pulchra es amica mea.* B. Virgo illi apparuit. Si ego sum pulchra & decora, quid est, quòd dimittis me & aliam sponsam accipis? Cui ille. Quid vis ut faciam? Tum illa, si sponsam mei amore dimiseris, me sponsam in cœlesti regno habebis, & si Conceptionis meæ festum annuatim sexto Idus Decembr. celebraveris, & celebrandum prædicaveris, mecum in regno Filii mei laureatus eris. In eadem epistola Anselm. aliud refert. Quidam Sacerdos lapsus in adulterium, dum per fluvium Sequanam redit, à dæmonibus submersus, & raptus ad tormenta. Die tertiâ comparuit illi B. Virgo, & dum illum repetit, Dæmones respondent. In operibus nostris est captus ad nos spectat. Tum Beata, imò in meis operibus, quia dum iret per Sequanam meum officium cantavit. Et sic reduxit animam ad corpus. Tum B. Virgo, cave dehinc hoc peccatum, & festum meæ Conceptionis celebra annuatim & ubiq; celebrandum prædica. Tum ipse & eremiticam vitam amplexus, & festum semper celebravit. Quod sequitur refert Anton. Solarius lib. ge venerat. & Invocat. SS. Nicolao Prusense Procurante suus Ordo Cælestinorum suscepit festum Conceptionis cum Octava celebrandum. Tum hic Nicolaus hortum ingressus rosam inde decerpsit, & dixit: *Divina Parens, si gratum est, quòd noster ordo de Octava Immac. tuæ Conceptionis constituit, rosa hæc quam tibi offero, vertente anno recurrente hoc ipso die, viriditatem & pulchritudinem conservet, & ita factum est.* Et certè sepulchro Christus voluit inferri in quo non fuit alter, quomodo Virginem vivus incoluisset in qua priùs fuit dæmon? Ezech. *Hæc porta clausa est. Nemo ingredietur per eam.* Ezech. 43. *Ista lex est domûs in summitate montis, omnis finis ejus in circitum San-*

ctorum. Psalm. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis.* Hinc colligamus quantoperè DEO peccator exosus. B. Virgo non fuisset Mater etsi fuisset tum Virgo, humilis, Martyr, si fuisset in originali. Quid homo? &c.

In Festo S. Thomæ Apostoli, CONCIO I.

Thomas qui vocatur Dydimus.

MIrum est, vocatur Thomas Dydimus, id est gemellus, cujus? Filus posset dici Christi, illius verba sunt: *Eamus & nos moriamur cum eo*, cum Christo. Posset dici noster, quia nobis ostendit viam ad latus Christi. Sed cujus geminus? Isid. ait: *Factus est Christi geminus*, sed quomodo? quæ similitudo? ostendam, det mihi *Abyssus vocem suam.* Thomas idem quod abyssus.

Certum est quòd Thomas quando non credidit gravissimè peccavit. Habuit motiva sufficientia ad credendum, vidit dum quinque panibus Christus pasceret turbas, &c. vidit non pridem Lazarum excitatum; audivit etiam Christum prædicantem se post triduum surrecturum. Quid plus ad fidem requiri potest? non credidit. O crassa hæresis. August. Sermon. de tempore 159. *Sic perdidisti in triduo memoriam Magistri, ut potentiæ non crederes Christi?* vel si credidisti id illum posse, deserere suum verbum putasti. Affirmabant Apostoli se vidisse Dominum. Ille, non credam, in quo illos apud se condemnat ut leves ac temerarios. Sed ipse potiùs amisit judicium dum tam graviter in Theologia errat, nonne scivit quòd fides est propter verbum quod fallare non potest, non autem propter aliquem sensum, qui etiam falli potest, & ille. *Non credam nisi videro, &c. Non fuit cum eis,* ecce quoddam schisma, & hoc est quod genuit illius hæresim; si enim fuisset, credidis-

credidisset. Quomodo ergo Christi geminus? An in eo quod dicit Chrysolog. *Vt Thomas crederet compulit iterum Christum pati?* In quo ergo Geminus?

Rom. 3. *Omnes peccaverunt & egent gloria DEI*, id est egent ut DEUS glorificetur, & hoc est quod in Missa canitur. *Gratias tibi agimus propter magnam gloriam tuam:* Non est opus agere propter gloriam quâ in se DEus gloriosus, sicut nulli agimus gratias quòd sit Nobilis, sed potiùs gratulamur. Quò verò major peccator convertitur major DEI misericordia ostenditur dum eum recipit, atque inde major consurgit gloria. Sicut artifex magis gloriosus si vas planè confractum, quàm si leviter læsum reparet. Maximam verò misericordiam ostendit dum illam Thomæ non merenti exhibet, ut possit dicere: *Inventus sum à non quærentibus me.* S. Anselm. in Loc. supra cit. Rom. v. 3. *Vt DEus magis, magisque glorificetur in tribuendo beneficia gratiæ suæ per remissionem delictorum.* Ita Achano Josue 7. dicitur. *Da gloriam Deo*, fatere sacrilegium tuum, & age pœnitentiam. Magna gloria Deo facta cùm Christus Lazarum suscitavit, sed tamen saltem obliquè rogatus: *Ecce quem amas infirmatur.* Hîc verò non rogatus venit, ultro invitat: *Infer digitum tuum.* Magna gloria cùm venit ad omnes Apostolos, sed major cùm ad unum incredulum. Noluit reparare confractos Angelos ut vasa, Jer. 28. reparavit Thomam ut multò fuerit præstantior quam antea & completum est Isai. 30. in Thoma DEum fugiente: *Aures tuæ audient verba post tergũ monentis*, dum eum veluti fugientem insequitur Christus. Sequitur Thomas sensum, ut Os. 10. *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Venit Christus ut Pater dum audit agonizantem Filium. Sicut Noë manum ex arca extendit ad columbam ut eam reciperet vagabundam. Ostendit vulnera Christus, ac si diceret, non me pœnitebit quòd sim passus. Siquidem tu converteris: nec puta quòd me pæniteat te vocavisse in Apo-

ſtolatum ut me quondam pœnituit quòd Saul Regem fecerim. Tu adimple, Coloſſ. 1. *Quod deeſt meis paſſionibus*, in quantum Capitis infinitæ, membrorum finitæ. Ut hunc locum, exponit Doctor Angelicus.

Ut verò adhuc major gloria in Thoma appareret, non ſolùm recipit in gratiam, ſed majora fortè patrandi quàm ulli Ap oſtolo dat poteſtatem. Dat Prophetiam, nam dum prædicat Indis, decem milliaribus noſtris à mari diſſitam erigit crucem & prædicat. Ceſſabit fides apud vos, & ad idola redibitis, ſed cùm mare hanc crucem alluerit venient mei ſimiles, qui vos ad fidem reducent, quod factum quando S. Franciſcus Xaverius cum ſociis appulit ad Indos. Cùm interfuiſſet nuptiis Regis Indorum, & recogitando ſtultitiam idololatrarum fleviſſet, quidam ei alapam impegit, dixit Sanctus, mox iſtam manum huc afferenr canes: & ita factum. Jam alia videamus. Scribit Baronius ad annum 57. Malioporæ ex eo loco in quo S. Thomas occiſus crux in lapide inciſa fundit annis ſingulis ſanguinem diebus octo ante Domini Nativitatem. Dion. Carthuſ. ſermon. 3. de S. Thoma. In templo S. Thomæ in quo illo jacet in monte lacu circumdato lampas ſemel accenſa toto anno ardet, corpus Sancti eſt integrum, capilli & barba rufi ad criſpi. Octo diebus ante illius feſtum aqua lacûs decreſcit, & dat aditum ad remplum, die verò ſibi feſto aſſurgit Sanctus, accipit de altari hoſtiolas ſacras, diſtribuit communicantibus, ſed ab indignis retrahit, vel ſi eas ſumpſerint ſubitò moriuntur aut convertuntur. Finito templi officio, corpus Sancti ſe in tumulo reponit, & aqua in lacu creſcit. Hæc relata fuerunt Calixto II.

Proinde gemellus Chriſti in operibus. Chriſtus gloriam Patris totâ vitâ quærebat, Sanctus illam auxit non ſolùm in ſe, ſed etiam in toto mundo. Auguſt. in hæc verba, *Niſi videro*

ſerm.

ſerm.156. de verbis Apoſtoli. *In iſtis Apoſtoli verbis utilitas mundi agebatur, & unius interrogatio univerſitatis erat inſtauratio.* Greg. hom.25. in Evangel. *Vt dum in Magiſtro palparet vulnera carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis.* Extraxit Thomas veluti de theſauro de latere Chriſti gloriam DEI, & hoc fidem extrahendo. Sunt adhuc ibi quæ nos accipiamus. S. Thomas de Villanova Con. in octav. Paſchæ. *In illo pectore grandes theſauros invenit Thomas.* Quid nos extrahemus? Fidem etiam, ſed an ſumus infideles? Erant etiam eo tempore qui ſe dicebant fideles, quando pet Oſeam 1. clamabat DEUS. *Non eſt ſcientia DEI in terra.* Verbis creditur, factis negatur. Credimus DEUM vindicem, & ſic agimus quaſi nullus ſit vindicaturus peccata, ſed quid dico? utique tot confitentur communicant, ignoſcite, video non ſequi reſtitutiones, perire odia, &c. Jacob. 1. *Fides ſine operibus mortua*, eſt tantùm ficta imago fidei Gregor. Homil.26. in Evangel. *Ille veraciter credit, qui exercet operando quod credit.* Cogor clamare cum Chryſoſtom. hom.23. ad Popul. *Dic mihi unde potero deprehendere te Chriſtianum eſſe, à loco? à veſte? à ſermone? à cibo? à negotiis? Si Chriſtianus es, Chriſto crede, ſi Chriſto credis per opera mihi fidem demonſtra?* Non paſſus eſt Imperator Ethnicus, ut ſcribit Plut. in Alex. ignavum militem, fortisſimi Ducis Alexandri nomen gerere. *Vel nomen muta, vel te geras ut Alexander.* Quid nobis S. Thomas dicet? *Dedit abyſſus vocem ſuam*, Doctor. Angelic. ſerm. de S.Thoma. *Thomas abyſſus eſt propter nominis rationem quod interpretatur abyſſus.* Quid abyſſus juſtitiæ Divinæ?

De Eodem CONCIO II.

Thomas unus ex duodecim.

SImili planè modo procesſit circa Thomam DEus atq; Mercator, qui videt de gemma rudi fore pulcherrimam, vult

gemmam emere, proponit pretium; Si nolit alter mittit amicum: Si neque hoc, apertâ cistâ ait accipe quantum vis dum mihi des gemmam. Ipse Christus prædixit se resurrecturum non profuit, misit Apostolos, *Vidimus Dominum*, at ille, *non credam.* Quid in Thoma tantopere placuit, dicam.

Nihil in Thoma placere potuit nisi quod ipsemet Thomæ dedit. Quid verò dedit? Veteres olim maximè Judæi dividebant diem, sive esset parva, sive magna in horas duodecim; ex his horis initium habent horæ canonicæ, juxta has horas *exiit conducere operarios in vineam.* Juxta has describitur ejus passio. Christus ipse est sol, horæ 12. sunt Apostoli, & dum sol est in cælo rotundo cùm rotatur circa rotundam terram, omni horâ est æquè altus, nihilominus nobis unâ horâ videtur altior quàm aliâ, altissimus verò dum est in meridies, hoc est veterum horâ sextâ. S. Thomas in Canone Missæ in *Communicantes* sexto loco non sine ratione ponitur, igitur sol in eo fuit altissimus, ita discurrit in Conc. hodierna S. Vincent. non quod propter aliqua reperta in Thoma misericordiam Thomæ fecerit, & illa ipsa in Thoma jam fuerunt mortificata & quasi abolita; & certum est quòd ex sua bonitate Thomam respexerit juxta illud. *Salvum me fecit, quia voluit me.* Videt tamen in eo. Altissimus jam ante fuit Christus in Thoma quoad charitatem, quia sol altissimus maximè calorem facit. Ubi est charitas, intellectus de amato cogitat, voluntas in eum fertur, lingua illum loquitur, auris &c. Sed quis gradus charitatis altissimus? *Majorem nemo habet charitatem quàm ut animam ponat pro amico*, Joan. 8. Volebant Judæi Christum lapidare, abscondit se ab eis, nihilominus Joan. 11. redit in Judæam, mirantur id Apostoli. Thomas: *Eamus, & nos moriamur cum illo.* Tunc impletum est. *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum.* Abyssus Thomas clarè loquitur alio-

aliorum sonus obscurior. Non dubiè hæc charitas in Thoma postea crevit, & eam Christus expolivit. Thomas *unus.* Unitas maximè servit Christi intentioni: *Oro ut unum sint.* Venit congregare electos hoc verò opus difficile, sine magnis motibus fieri non potest, sicut si quis vellet in unum campum colligere Indos, Gallos, Polonos, &c. cum illorum terris. Isai. 43. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te; dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Apoc. 5. *Redemisti nos Domine DEus ex omni tribu, lingua, populo.* Et ut istam unitatem perficerent. Jam olim DEus viros eligebat, atque etiam inter viros spargebat, Tob. 13. *Ideo dispersit vos inter gentes quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, & faciatis eas scire, quia non est alius præter eum.* Ideò Angelus Persarum restitit Dan. 10. ne populus ex Perside rediret, quia proderet Persis. Thomam fecit unum, & ad gentes maximè remotas misit, ut uniret, quod & fecit. Christus non permisit se tangi à Magdalena, voluit à Thoma, ac sic diceret, unias te mihi & gentes aggreges. Videte quanta sit res, ad Christum si Pater filios, Dominus adducat famulos.

Vnus ex duodecim, Unam civitatem seu potiùs domum quæ simul esset civitas, erecturus erat Christus, sed quæ omnes à duodecem ventis collectos caperet, in qua unum esset templum, quia licet essent plura, in omnibus idem eidem sacrificium offerretur. Unum prætorium, in quo una sententia, *Ego te absolvo.* Fidei confessio una. *Ascendit Dominus super occasum,* super lapsum Thomæ. Hic meam civitatem ædificabit. Dedi multum Joanni licet clauso pectore cum super illud in cœna recubuisset, tibi latus aperui, arcana mea vidisti, propter fidem ultra Europam & Asiam ad terras ignotas. Vidisti me redivivum. Prædica confidenter quòd resurgent mortui.

Chry-

Chrysost. in 11. Joan. de S. Thoma sic ait. *Infirmior aliis, postea factus est omnibus fortior, qui solus orbem terrarum percurrit,* terras, oceanum, insulas. Ubique miracula. Maffejus de rebus Indicis & Osorius narrant, quòd ingentem arborem quam plurimi elephanti loco movere non poterant alligatam cingulo traxit per leucas decem, deque illa, nam tanta erat, templum extruxit; tum Christo pro latere aperto lanceâ, pro eò, lanceâ confixum reddit latus. Tursellin. in Vita S. Franc. Xaverii lapis sepulchro S. Thomæ impositus annis singulis fundit sanguinem quasi adhuc volens sanguinem toties Christo reddere. Eamus & nos cum illo moriamur.

De Eodem CONCIO III.

Non credam nisi videro.

VIdete quid peccatum faciat, quomodo non cujuslibet mentem dejiciet, si Thomæ, qui sub ipso Christo studuit Theologiæ, ita obscuravit? *Non credam nisi videro.* Utique *fides ex auditu,* non ex visu? non enim credimus quæ videmus, sed quæ audimus. Habuit sufficientia proborum virorum testimonia. *Non credam,* Errat sicut in nocte. Christus velut Gedeon vasi fictilis aperit fracturam, illustratur. Jud. 7. Factus fuit pannus rudis & ecce, Cant. 7. *Comæ capetis sui sicut purpura Regis juncta canalibus.* Vellera sunt rudia, sed postquam infusus color canalibus, ac ipsa sunt in colorem missa, fiunt Regis purpura. Tunc exclamat. *Dominus meus & DEus meus!* Plenum est latus Christi thesauris, accedamus cum Thoma & de illo accipiamus.

Sed latus Christus non exhibuit Thomæ nisi quando se univit Apostolis. Non expectet latus Christi qui se à fide Apostolorum divisi, vel à communione eorum per ex communi-

municationem resectus. Ezech. 37. Non priùs in ossa intravit spiritus vitæ quàm se unierunt simul. De aliis S. Judas *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Et *Thomas erat cum eis*, tum latus illi in tenebris posito patuit, & impletum est. Psalm 76. *DEum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Accepit inde fidem Thomas, dum manibus exquirit, & ipse illustratus totum orbem illustrat. Nam ut Stapletonus in tribus Thomis. In Europa Germaniam, Daciam, Sueciam, illustravit: In America Indos. In Asia, Parthos, Medos, Bactrianos. In Africa ut Chrysostom. loquitur, *de albavit Aetiopes.* Nos jam fidem habemus, fructum saltem fidei ex latere Christi referamus. Sanguine hujus lateris redempti sumus, 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno*, Quid inde sequitur? hoc quod August. *Postquam cognovi me pretio saugvinis Christi redemptum nolui me ampliùs exhibere venalem.* Vendebamus nos antea dæmoni, & pro quo? videamus cujus pretii sumus. Alterum sequitur, si tantus est morbus peccati ut non nisi Christi sanguine curari potuerit. Caveamus. Bern. de Nativit. *Filius DEI jubetur occidi, ut pretioso sanguinis ejus balsamo vulneribus meis medicina fiat.* O homo. *Affer manum*, vide quid facis dum peccas. Fide circa peccata agamus non vulgi opinione, major est & certior fides, illa præeat. Gen. 29. *Non est in loco nostro consuetudinis ut minores antè tradamus ad nuptias.* Sapientia mundi quæ est minor sequatur fidem.

Accipiamus etiam de latere Christi ejus Sapientiam. Quod nihil in mundo DEus permittat nisi ut ex illo bonum eliciat. De hoc peccato Thomæ Augustin. serm. 156. de temp. *Quàm bona ignorantia quæ erudivit incredulos?* Greg. 26. hom. in Evang. Sicut Joseph permissus est dubitare, ut tantò major testis esset Virginitatis B. Virginis: Ita permissus est labi Tho-

mas ut tantò major esset testis. Bern. homil. 2. super Missus. *Plus nobis Thomæ dubitatio ad fidem profuit, quàm cæterorum Apostolorum fides.* Chrysol. *Non dubitatio, sed Prophetia fuit, qua è plagis Domini firmaretur resurrectio.* Cyrill. & alii P.P. Græci. *Non infidelitate magis quàm summo amore turbatus, quia oculis suis Dominum non videbat.* Ex aliis S.S.P.P. patet quomodo DEUS ex hoc malo Thomæ elicuerit bonum. Ex ultimo S. Cyrilli, quòd in Thoma non solùm fuerit peccatum, sed etiam amor Christi, quod in hunc modum explicari potest. Abiit Pater à Filiis peregrè: Interea dum unus ex Filiis abest, venit Pater, & rursus abit, narrant illi Filio Fratres, fuit hic Pater. Ille, scio quantùm me amet, non est possibile, ut meus Pater me nòn viso iterum abiret, proinde, non credam hìc illum fuisse nisi videro. Redit ergo iterum Pater & ait. *Noli esse incredulus.* Fui in hoc loco. Viso Patre Filius non excusat suam incredulitatem. Sed statim ruit in amplexum *Dominus meus, &c.* Ita juxta hos P. P. evenit Thomæ. Et certè dum se Christus distribueret, Magdalenæ dedit pedes, Latroni bono dextram, Joanni pectus, Petro claves suæ domûs, Thomæ latus. Quod est amoris. Per duodecem amor vadit. 1. Per intellectum, quia quem amamus de illo etiam cogitamus. 2. Per voluntatem, quia omnia precamur illi bona. 3. Per memoriam, quia recolit amor accepta beneficia. 4. Per linguam, quia de dilecto libenter loquitur. 5. Per oculos, quia si illum offendit, plorat. 6. Per amores, quia libenter audit si quid dicatur de amato. 7. Per manus, quia libenter dilecti amicis & domesticis largitur. 8. Per pedes, quia libenter ad eum currit. 9. Per totum corpus, quia quidquid in se dilecto displicere advertit, emendat. 10. Per bona externa, quia & hæc ut dilecto placeat, abjicit. 11. Per bona animi, famam, honores, hos abjicit. 12. Tandem ipsam corporis vitam abjicit pro honore dilecti & in hoc gradu stetit S. Thomas.

Pro

Pro Conclusione id adduco quod S. Cæsarius Arelatensis reliquit hom. 27. *Verendum est, ne illam vocem ad vasa iniquitatis Christus prolaturus sit. Scilicet. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te impio pietas Divina passa est.* Videamus ne id nobis contigat in mortis hora, unde non jam fidem, amorem, sed damnationem hauriamus.

In Nativitate Domini nostri JEsu Christi, CONCIO I.

Natus est hodie Salvator.

PLanè ita mundo contigit atque Genes. 37. Rubeno cùm advertit Josephum à Fratribus venditum: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Promissus fuit Christus Adæ in Paradiso. Moritur Adam, *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Moritur Adam, *Puer non comparet.* Moritur Moyses, David, &c. *Puer non comparet.* Interea ut August. in Enchiridio: *Massa generis humani damnata voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur ad illud extremum cum illis desertoribus & vitiatoribus supplicium.* Tandem *Natus est hodie Salvator.* & cum *puer comparet* securè ad Patrem redeamus.

Hanc Nativitatem ita discribit, Tit. 2. *Apparuit gratia* sicut Ruben magnam inivisset gratiam apud Jacobum, si reduxisset Josephum. Ambros. in Tit. *Patris æterni gratia quia solus venit.* Sed quomodo illum Patri reddemus qui nunquam recessit à Patre, est enim eadem natura, & DEUS cum Patre! reddemus quia solus venit. *Testatur hoc præsens dies currens per anni circulum, quòd solus è sinu Patris mundi salus adveneris.* Sed non tecum Pater qui à te dividi non potest? Cur non spiritus Sanctus

Sanctus, qui à te ita procedit, ut nunquam recedat? 1.Reg. 21. *Venit David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem & obstupuit Achimelech, &c. Quare tu solus, & nullus est tecum? At David, Rex præcepit nemo sciat hanc rem.* Cur non pater incarnatus, cujus eadem est Divinitas? Nemo sciet hanc rem. Credere debet, non scire August. 20. Civit. 26. *Gratia DEI non potuit gratiùs commendari, quàm quòd Filius DEI indueret hominem.* Noster jam est. Gregor. homil. 8. in Evangel. *Mundus nascente Domino describitur, ut omnes nos suæ inscribat æternitati: in Bethlehem in domo panis editur ut se panem cum vita ad omnes venientem monstret: patenti in hospitio se collocat ut nulli clausas suæ humanitatis fores ostendat.* Unit se nobis simili etsi non omnimodo atque anima corpori. Diligit anima corpus, illi compatitur, pōdus ejus fert, non avellitur ab illo volens. Quod est plus, *exinanivit semetipsum* & dedit nobis: sibi quasi nihil reliquit, insuper apparuit *gratia erudiens nos* vel ut Græcus legit. *Illuxit gratia ut Pædagogus.* Antea docebant nos creaturæ esse DEum, esse unum, esse bonum &c. Jam docet natus Puer. Clem. Alexandrinus in Pædagogo. *Humanæ naturæ Pædagogus Verbum Divinum omnibus sapientiæ machinis conservare infantes aggressus est.*

Antequam illum Patri reddamus ab illo discamus. Erudiebant creaturæ & docebant esse unum DEUM, at mundus plures sibi finxit. Erudiebat Moyses sed de præmio cælesti non dixit. Proinde suspirabat Cant. 8. *Quis mihi dat te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, ibi me docebis?* appare foris & intus doce, suge ubera & ostende quæ nostra est vera Mater, scilicet Ecclesia, quæ fides ad salutem. Ethnicorum impiæ. Judæorum jam defecit. Aristoteles permisit plures, Plato uxores promiscuas. Diogones aliorum famam rodire permisit. Synagoga ut Noe arca, Chrysost. hom. 3. de pænit. introivit in illam lupus, exivit lupus &c. at in nostram Ecclesiam intrat lupus & fit ovis, malas con-

consuetudines ut alteram naturam, mutat in alteram; jam non immolant hominem, non nubit Patri filia &c. Quærit Greg. Thaumat. Orat. 1. de Annunt. Cur Christus in præsepi positus? & respondet *In mensa jumentorum cælestis panis propositus est, ut homnes instar pecorum irrationales mistici cibi participes redderet.* Quid inde? ut nos DEOS faceret, ut desinamus esse quod fuimus, incipiamus esse quod ipse est, ut ait Hieron. in Tit. 2. Ostendit Christus præmium, sed simul ostendit certam ejus spem. Exod. 22. Nocturnum licebat furem deprehensum occidere, non autem diurnum. Olim qui peccabat velut in nocte furabatur, non erant remedia. Radulph. Flaviacen. l. 4. in Levit. *Cum peccatori ortus est sol justitiæ quisquis eum abs spe veniæ excluserit, desperationis mucrone furem confodit, & homicidium perpetrat* Anselm. lib. 2. cur DEUS Homo cap. 20. *Tibi dicit æternus Pater accipe Vnigenitum meum & da pro te. Ipse Filius, tolle me & redime te. Denique sacer spiritus sume meam sponsam Iesu matrem in spem tuam. & securus aducentum Iudicis expecta* Ita & Aug. serm. 8. de verbis Apost. *Non liberaretur humanum genus, nisi sermo DEI dignaretur esse humanus.* Et ut spes nostra sit firma, hic puer in se peccata nostra recipit. Quid putatis si aliquis hosti sævo se ad omnia supplicia offerat, ne sui cives ociderentur, primus homicida Cain. Gen. 4. *Ejicis me hodie à facie terræ, & ero vagus & profugus; omnis igitur qui invenerit me occidet me.* Suscipit hoc in se Natus Puer. & quasi è cælo ejectus paret neci & ait, ero vagus mox fugiam in Ægyptum non habebo ubi caput reclinem, nemo me defendet Jer. 14. hoc miratus. *Expectatio Israel, Salvator ejus in tempore tribulationis quasi colonus futurus es in terra, & quasi vir vagus* quæ hujus causa? *Populus dilexit movere pedes meos, & non quievit & Domino non placet.* Dilexit movere pedes ad pomum vetitum, ad peccata: ego meos movebo ad recipiendum illa in me Micheæ. 7. *Iram Domini portabo,*

rabo, quia peccavi ei, donec causam meam judicet scilicet in cruce. Abjicitur ergo ut juventum in stabulum quia peccavi &c. quomodo? Aug. in Ps. 21. *Delicta nostra delicta sua fecit* sicut victima pro peccato Adam caput fuit generis humani in quo omnes peccârunt, ego nascor caput ejusdem generis ut à me requiratur pæna Ps. 30. Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus Tit. 3. *Apparuit humanitas DEI ut gratiâ ipsius hæredes simus secundum spem vitæ* O quam verum est quod dixit Tertul. adv. Marcionem *Christus miscuit in se DEVM & hominem, ut tantum homini conferet, quantum DEO detrahit.* Et quid si homo contemnat hanc charitatem, & addat ad vulnera ejus? quid si eam à se repellat? Ejulabat Judic. 18. Michas rogatus à Danitis quid illi esset? *Deos meos quos mihi feci & sacerdotem tulistis, & omnia quæ habeo, & dicitis, quid mihi est?* Quid si nobis insultet dæmon. *Vbi est Deus tuus,* quem volens perdidisti;

Invento hoc Puero ad Patrem securè redeamus. Septem ejus excellentias Paulus 1. Heb. recenset. Est hæreditas universorum, sive omnium hæres; admisit nos in suos cohæredes possumus id petere. Est factor sæculorum, & eorum quæ sunt inter sæcula, illius igitur est cælum, & hoc nobis offert. Est splendor gloriæ, procedit á Patre sicut radius à sole, igitur cum sole jungitur, & si in nobis est etiam nos jungit. Est figura substantiæ sicut sigilli æqualis Patri sigillo. Portat omnia verbo virtutis suæ. Verbo portat non humero igitur & nos deportabit. Peccatorum purgationem fecit, itaque non vereamur sanctum. Sedet ad dexteram Majestatis in excelsis sedet ut Patri par, ad dexteram ut ab eo in honore habitus; itaque illum Pater non impediet nos recipientem Jer. 3. *Saltem à modo voca me, Pater meus* cum hoc munere securi dicamus Patrem, dicamus Isai 74. *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos verò lutum.* Nos ut lutum maculamus nomen tuum tu nihilominus

nusPater, nos generando & regenerando in singulas horas per conservationem. Sed ut Chrysost. in 2. Joan. *De luteis aureos nos baptisma facit.* Aurei efficimur. S. Leo serm. 1. de Nativit. *Gloriosum est à DEO natos in authoris sui imaginem refulgere.* Aurum igne non consumitur, & nati de DEO adversis: non cedit sive pluviis perfundatur sive frigore vexetur.

De Eadem CONCIO II.

Libet hodie cum S. Athanasio serm. de Nativ. Chr. apud Metaphr. admirari. *Qui in excelsis liber est, in terris describitur: illic DEI filius, hic servus: in cœlis dives, humi pauper, in cœlis adoratur, humi pro eo vectigal solvitur: involvitur fasciis qui solvit omnia: nutritur lacte, qui nutrit universa: qui emittit fontes sugit mammas.* Plura ejusmodi afferri possunt, ut immensus jacet in præsepi, infinitus parvis involvitur fasciis: immutabilis fit infans &c. Ex his solùm ad considerationem sumo, quod attulit S. Joannes, *Verbum caro factum.* Homines non solum hæc verba habemus quæ lingvâ formantur & aure percipiuntur: sed etiam alia quibus mens nostra loquitur & illa audit, & dicuntur *verba mentis* de his Ps. *Compungimini in cubilibus vestris, quæ dicitis in cordibus.* Ecce in corde loquimur, proinde sunt etiam verba interna. Inventus quidam qui voluit affirmare, non esse DEUM: non est ausus tamen id ore dicere sed solum mente, audivit tamen DEUS hoc ejus verbum Ps. *Dixit impius in corde suo, non est DEUS.* Eodem modo mulier Hæmoroissa, *dixit in corde suo, si tetigero fimbriam vestimenti ejus.* Tale verbum & DEUS habet, est enim intelligens, alioqui non potuisset res intelligentes creare, quia causa non potest dare effectui quod ipsa non habet. Comprehendit ergo intellectu suo DEUS omnia ita ut quidquid in illis cognosci potest cognoscat: comprehendit etiam seipsum, hinc oritur verbum.

Sed

Sed à nostris verbis differt, quia apud nos verba innumera & tot quot sunt cogitationes, DEUS in uno verbo cognoscit; omnia apud nos verba pereunt, & semper nova oriuntur in DEO manet idipsum unum verbum; apud nos verbum mentis habet initium, & quod modo est antea non fuit, apud DEUM *in principio erat Verbum*, nunquam esse incepit, nunquam non fuit. Denique nostrum verbum differt à nobis, nec meum verbum est ego ipse, & à nobis dividitur cum interit, at verò *apud DEum erat Verbum, & DEus erat verbum*, quia quod in DEO est DEUS, alioqui non esset Ens simplicissimum, & actus purissimus. Unum DEUS loquitur per totam æternitatem verbum, nec illud loqui cœpit aut desinit. Hoc verbum est DEI Filius. quia Filius est qui procedit vivens à vivente ut à principio conjuncto, in similitudinem naturæ procedit in maximam similitudinem quia est idem DEUS: procedit vivens quia si est DEUS est vivens, à principio conjuncto, quia dat illi totam suam substantiam. Procedit, quia est actus Dei licet immanens. Ab æterno verò est quia est *splendor* Patris ut vocat Paulus, sol verò est Pater: at si fuisset ab æterno sol, ab æterno splendorem dedisset. Chrysosto. de hoc Pauli verbo *splendor* in c. 1. Hebr. *Ostendit Filium à Patre procedere, sicut procedit radius à sole: & sine mutatione, & esse coævum Patri sicut radius coævus est soli, & inseparabilem cum à Patre, sicut radius non potest avelli à sole* Est Patri æqualis, quia ut Paulus l. c. est *figura substantiæ* DEI. Græcus legit, *character, sigillatio* sicut sigillum in cera expressum est æquale sigillo metallico v. g.

Hic ergo DEUS verbum propter hominem factus est homo. David se appellavit canem mortuum cùm nondum esset Rex respectu Regis Saulis, certè infinities minus est homo respectu DEI. Jam ergo si homo quia ipsi est mortuus canis, vellet fieri canis ut canis mortuus resuscitaretur, quid hoc

esset

esset! at DEUS factus est homo ut mortuus homo vivat. O magne DEus: decuit ne te id facere! ah obstupesco! & tandem dico, decuit; quia id non factum necessitate sed voluntariè & ex amore. Ita 1. Reg. 15. Cùm impius occubuisset Absalon David cum decore ait: *Quis mihi det ut ego moriar pro te?* Angliæ Rex Edvardus partâ memorabili Cresciacensi victoriâ, de qua Annal. Flandrici lib. 13. & Bzov. ad ann. 1346. dum in expugnanda urbe Calesio se diu fatigasset, tandem ad hoc rem deduxit, ut Calesium dedere se constituerit & legatos ad Regem miserit, assensit Rex, addito, ut sex præcipui cives, quia tamdiu protracta obsidio, sibi traderentur, ut de illis se vindicaret, obtulit se pro salute civium, aliàs omnes periissent, in victimam primus Eustachius à Fano Petri, deinde alii quinque hi laqueos collo, manu claves civitatis gestantes sine pallo, caput & pedibus nudi ad Regem inclementem processerunt, qui vix, ac vix tandem uxori suæ petenti vitam illorum donavit. Decuit id facere Eustathium, quia amore Patriæ, decuit DEUM, quia amore nostri, & ideò quanto amore dignus! Propterea non impedit hoc opus DEUS Pater, imò ut homo sit verus suus Filius, creat animam. Non impedit Spiritus Sanctus imò obumbrat in Virgine, ut hunc DEUM hominem pariat. Sed quid hoc facto quærit Filius, quærit ut nobis sit bene, quærit ut & nos non solùm vivamus, sed & Filii DEI & Fratres ejus efficiamur. *Dedit eis potestatem filios DEI fieri.* Et quia hæc adoptio est filiatio, naturalis enim est impossibilis. Quia verò adoptio apud homines plerumque non subsistit, nisi filius naturalis moriatur, & Filius DEI mori constituit quanquam illa cælestis hæreditas cùm sufficiat omnibus, hâc morte non indiguerit. Hunc ipsum amorem aliâ similitudine propono. Momordit alicujus Regis mancipium serpens opus est theriacâ, sed deest,

quia serpens deest ex quo conficiatur. Rex se substituit in locum serpentis, ut ipse conteratur & de illo fiat theriaca, & sic ille moriatur dum vivat mancipium. O inæstimabilis amor! Momordit nos serpens in Paradiso: at Filius DEI. *Sicut exaltatus est serpens in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Nec putemus quòd hoc semel fecerit, & modò sicut Pelicanus sanguine pullos à serpente occisos vivificat. Et modò in ventrem Ceti se projiceret ut Jonas. Et modò ut Joseph in servitutem iret, ut nobis fratribus succurreret. Volebatis ut propter vos abnegaret Matrem & Fratres, fecit. *Et quæ est Mater mea & Fratres mei?* Volebatis ut pro vobis esset sine domo? fuit. Et hoc totum alacriter, ita enim annuentem ad ista Patrem alloquitur Psalm. *In capite libri, scriptum est de me ut facerem voluntatem, DEus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Jam judicemus an non rectè dixerit Augustin. *Qui te non amat Domine quia creasti illum, dignus est inferno: Sed qui te non amat, quia redemisti illum, dignus est mille infernis.* An non justa sit quorundam Theologorum sententia, quòd acriùs in inferno homines patiantur, quàm dæmones pro quibus non est natus Christus? Sed nos Verbo DEI nostris verbis sæpè illudimus, promittimus amorem, damus odium. Notum est vobis peccatum Achan, quod abstulerit regulam. Lectio Hebræa quòd *linguam*. Non gratis olim Ægyptii pingebant linguam supra saxum, vidisti linguam, sperabas te visurum pectus, cor, & ecce saxum, loco manuum saxum. Ps. Iudæ maledictio, Psalm: *Fiant immobiles sicut lapis iste.* Horologium Ezechiæ fuit figura Christi. Ut justum sit horologium oportet ut cum sole concordet: nos etiam sumus in horologio vicissitudo cum vicissitudine nectitur. Ut rota cum rota, si modò non respondemus soli Christo amore, sonabit nobis in morte quam non putamus horam. Efficiat in nobis Christus

factus

factus in similitudinem. Quod virga Moysis facta serpens, quæ serpentes Magorum devoravit, absumat nos illius amor. O Christe, O DEus homo. *Virga virtutis* Paternæ, absume hos nostros colubros! Dixi de Incarnatione Verbi, claudo verbis Augustin. *Dixi vobis, sed quid dixi? de DEO dicere præsumpsi? talis est DEus ut nec de eo dicere possimus, nec silere debeamus.*

De Eadem CONCIO III.

Transeamus usque Bethleem.

PLanè ita est factum inter Filium DEI & homines, ut si quis vellet accipere in uxorem aliquam, mittit legatos, munera: ex parte interea sponsæ redduntur contumeliæ, despectus. *Magnum hoc est Sacramentum* dicit Paulus de Matrimonio, *ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Mittebat Filius DEI Prophetas, sed alios ex iis occiderunt, &c. Dabat munera, nam quidquid boni à Deo præstitum est, ut eductio ex Ægypto, Manna, Sacerdotium, victoria hostium fuit ex meritis futuri Christi. Demum *ex nimia charitate misit Deus Filium suum*, volumus id videre, cum Pastoribus; *Transeamus in Bethleem*, inveniemus *puerum pannis involutum* ne ullus majestatem ejus extimescat. Attamen Judic. 13. Apparuit Angelus Manue significans nativitatem Samsonis, ille statim, *quid agemus de puero?* dabo consilium quid de nato puero debemus agere, ubi illum invenerimus.

Qui agnoscit quantus sit hic puer, timebit dicere, faciam illum sponsum animæ meæ, sed disputatum olim an possit amicitia esse inter servum & Dominum, hominem & Deum & Aristot. in Ethicis id negat. Et ratio in præsenti esse potest. *Amicorum sunt omnia communia*, igitur & regnum Filii Dei, sed quis velit sustinere socium regni. Jud. 9. Achimelech septuaginta

ginta fratre super uno lapide obtruncat ne socios regni habeat, Salomon regni initia sanguine Adoniæ maculat, 2.Reg.2. Jacob & Esau Gen.16. nondum nati pugnant de primogenitura. Idem in nativitate sua faciunt Phares cum Zara. Sed inprimis, illi concertârunt, quia illorum modica hæreditas, quam si unus habuisset, alteri defuisset. At sicut Augustin. tract. 2. in Joan. *Christus non timuit habere cohæredes, quia ejus hæreditas non fit angusta. etsi multi eam possederint.* Jam vero quod attinet *Amicitia non datur nisi inter æquales.* Sciens bene DEI Filius quod nos simus nihil. Philipp.2. *Exinanivit semetipsum.* Jam erimus pares. Sicut si Rex ambitet cum paupere amicitiam, pauper diceret, ego non possum esse amicus, quia non sum par, Rex verò: ut simus pares, fiam ego æquè pauper atque tu, de cætero sicut ego te amo, ita me tu ama. *Transeamus Bethleem*, ubi Majestas, omnipotentia, immensitas, &c. Pauper est per omnia. Jam clamemus, Psalm. 13. *Surge Domine in requiem tuam.* Amplectere amicitiam quam quæsivisti, in ea quiesce. Tu exinanitus nos nihil. Sed mirum est dum se Rex propter mendicum exinanit, mendicus Rex vult videri. Judicate hanc insaniam! Quid habes, ô homo, divitias, nobilitatem? ab hoc habes qui se propter te exinanivit. Idque non tam es nobilis quàm natus ex nobilibus, & fortè es spina in horto liliorum, fortasse *onager in montibus.* Phocam DEus fecit Cæsarem quia pejorem illo non invenit. Habes aliquod bonum, fortasse per hoc *recepisti in vita tua*, & nihil tibi superest in alia, & ita cum lite inflas, non vis esse amicus hujus pueri, sed fortè ut Lucifer, *similis ero Altissimo.* An se ita hic Puer exinanivit? Isaias dicit: *Vidi Dominum.* Quid præterea? *Generationem ejus quia enarrabit?* Jeremias viso illo. *A a ô Domine nescio loqui.* David Psalm. 69. *Te decet DEus hymnus in Sion.* Alia versio legit: *Te decet silentium*, præstupore nimiū

tui.

tui. Tantus est DEus, ut quotquot de illo sumpserint, nunquam illum exhauriant. Sumant creaturæ bonitatem, pulchritudinem, robur, & sumant in perpetuas æternitates, & sufficiet in mille & mille alias æternitates. Cognitâ utcumque DEI naturâ Philosophi veteres fingebant alios mundos, quia videbant DEUM se velle communicare, & ab uno mundo communicari plenè non posse. Et tandem egit DEus ut ille qui postquam omnia sua dedit amico, tandem cor sibi extrahit, ac illud donat, humanitati se univit. An adhuc amore indignus? Parum est, omnia quæ vides, tibi dat. Quid diceret massa luti, si id præstare potens quispiam acciperet in manus, dicendo. Lutum non habes vitam, do tibi vitam; non habes oculos, aures. manus, pedes, &c. do tibi: non potes de rebus judicium ferre, falsum à vero discernere, honestum nosse, do tibi ut hoc possis, formo te insuper in pulcherrimam figuram, omnia quæ sunt in mundo tibi trado ut de iis tanquam dominus disponas, & quia si vel ad momentum è mea dimitterem manu statim in lutum aut minus luto redires, manu semper meâ tenebo. Et quia sine me nihil potes agere assistã oculo tuo & colorabo, ut videat, auri ut audiat. Præterea tibi potestatem, ut fias mei similis, immortalis cum impatibilitate, nihil timeas, &c. Sed quia hæc felicitas ut sis beatus tibi non contingit, nisi priùs propter te fiam massa luti, fiam libenter. Quid putatis, an talis ab eo luto amari deberet? quid si lutum non amaret, quid si odisset? quid si linguam in ejus contumeliam verteret? &c. O homo, ô lutum quid agit? nihil à te DEus pro suis beneficiis petit, nisi ut illum ames, & per hoc sit tibi bene. O lapis non homo, si non amas? Exinanivit se DEus propter te, non Angelus factus etsi hæc fuisset magna exinanitio, sed homo subjectus fami, siti, morti. Et inter homines non formam Regis, sed accepit servi. Credisne hæc homo? & credis quòd propter te facta?

Sed utique etiam homo cum amore occurrit Christo venienti. Unde enim illud. *Rorate cæli?* Ita est. Occurrit. *Et non erat ei locus in diversorio.* Paucorum fuit vox *Rorate*, omnes hospitio excluserunt. Statim initio mundi dum formaret hominem dabat illi amoris pignus. Tertull. de resurrect. cap.25. *Limus ille jam tunc imaginem indutus Christi futuri, non tantùm opus DEI erat, sed etiam pignus.* At homo illi rebellionem reddidit. Gen.28. *Vidit Iacob scalam, & Dominum innixum scalæ.* Hebr. legit. *Pedes habebat in scala veluti descensurus.* Et ecce qui præcipuè illi debebant occurrere per scripturas quærebant locum nativitatis ut eum traderent Herodi occidendum, neque enim de hac mente illius dubitare poterant. *In Bethleem Iudæ, sic enim scriptum est, &c.* Cant.2. Vocabat matrem ut de illa nasceretur. *Surge propera amica mea speciosa mea & veni.* Sic enim Rupert. in hunc locum, in persona Matris. *Tanquam præsenti loquebatur mihi, mequè jubebat surgere, ac properare, id est, nasci, & hospitium ventris mei præparare.* Surrexit Mater, quid homines? *Cognovit bos possessorem suum, &c.* nemo accurrit, refovet. Properavit ipse, nam cùm Gabriel mittitur nuntius, & nondum finitâ fere legatione, jam Filius DEI descendit. Bernard. homil. super Missus. *O Angele, transiliit qui te misit & nimio pervolans desiderio pervenit ad Virginem.* Statim nimirum ac Virgo consensit. Quid homines? fecerunt apparatum, erexerunt palatium? Verbis Bernardi ad Robertum Apostatam Epist. 1. poterat uti Dominus. *Contra juris ordinem cogor revocare læsus eum qui me læsit, spretusque requirere contemptorem, injuriam passus injuriatori satisfacere, rogare denique à quo rogari debueram.* Sic Domine tu nobiscum, nos tecum. Clamabat Franciscus Seraphicus. *Amemus hunc parvulum, amemus.* Sed *non amat qui in eum peccat.* Gen.37. *Nolite peccare in puerum. Frater enim & caro nostra est.*

In

In Festo SStephani Protomartyris, CONC.

Lapidas eos qui ad te missi sunt.

Cùm lapidatur Stephanus, JESUS stat ad dextris DEI. Quid hoc? An, quod dixerat, potest DEus ex lapidibus facere filios Abrahæ, ad faciendos ut artifex consurgit, cùm tantùm vidit lapidum imbrem? An cùm cælos pulsari audit, surgit ut videat, quis pulset. An venienti ad se occurrit Stephano, & sic *apparet ejus humanitas?* An veluti Princeps alteri intentus operi, si fortè audiat clamorem tolli in platea, assurgit, & prospicit per fenestram, ut quid sit rei videat? An veluti Dux ut militem animans ad pugnam ostendit vulnera, quæ ipse in alia pugna pertulit & tamen victor evasit? Omnia hæc.

Facit ex lapidibus Filios Abrahæ, & ad hoc adhibetur Stephanus. Erat ibi unus lapis durissimus, qui ut omnium manibus jaceret lapides omnium lapidantium custodiebat vestimenta, hic erat Saulus. Pro illo dat pretium Christo Stephanus ut eum faciat Abrahæ filium, Augustin. serm. 1. de S. Stephano: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset.* Inde *in capite* Stephani *corona de lapide pretioso*, quia de conversis à se dicit Paulus: *Vos estis corona mea.* S. Thom. de Villanova conc. hodier: *Stephani lapidati Martyris est duritiam cordis emollire.* Unde Ambros. l. 5. hexameron. cap. 6. Os Stephani contulit cum ore piscis illius quem Christi jussu cepit Petrus & in ore illius staterem invenit, quo solvit naulum. Sed stater Stephani non soli suffecit Paulo. Audi Nyssenum orat. de S. Stephano: *Stephanus oratione peccatum eorum, quod sceleratis manibus sanguinarii quasi exarabant, delebat.* Et Oecumenius in Act. 7. Asserit, non solùm Pauli, sed omnium lapidantium peccatum,

tum, propter ejus orationem dimissum, nec solùm eo tempore, sed etiam postea Stephanus fecit Judæos ex lapidibus filios Abrahæ. Nam cùm inferrentur in urbem Majoram insulæ Majoricæ S. Stephani reliquiæ, sunt à Judæis lapidibus impetitæ. 540. fuerunt, ut scribit Engelgrave conc. hod. isti lapidatores, ne unius lapis pervenit ad sacras reliquias, interim Synagoga illorum fulmine est exusta, & ipsi facti filii Abrahæ, quia receperunt baptismum. Extendit hanc vim Sanctus etiam ad Ethnicos, scribit S. Augustin. 12. Civitat. Moriebatur quidam Ethnicus, nec ullo modo converti voluit. Sed statim ac ejus filia Christiana flores ex altari S. Stephani sumptos pulvillo ejus supposuit, exclamavit: advocate Episcopum, Christianus sum: Professus fidem Christi, mortuus.

Stat Christus ut videat quis tam vehementer cælos pulset. Cæli usque ad Christi ascensionem ita fuerunt obserati ut nec porta appareret ac si essent integrè fusi ex ære. Job. 37. *Fabricatus es cælos qui solididissimi sunt velut ære fusi.* Unde hoc? Creavit DEus omnia & in ditionem homini tradidit. Sed ubi hic rebellavit, vastavit hæc omnia velut hostilem terram, & solùm tantum reliquit quantum homini sufficit ad vitam, minuit claritatem soli, lunæ, stellis: virtutem herbis, insuper cælum clausit, Levit. 26. *Si non obedieritis mihi, addam correctionem vestram septuplum, daboque vobis cælum sicut ferrum, & terram æneam.* Quod licet de posteriori tempore dictum, bene tamen priori aptari potest. Tum creaturæ factæ sunt in occasionem peccati. Honores stimulant superbiam: divitiæ avaritiam, sanitas luxuriam: bona aliena invidiam: cibi gulam: adversitates iram: tempus denique acediam. Inde Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit servituti subjecta.* Ascendit Christus, cælos ardenti suo amore solvit, jam homo factus melior quia DEI affinis, Psal. 59. *Cùm egredereris DEus in conspectu populi tui, terrá*

mota

mota est, cœli distillaverunt. Jam ad portas accessus patet, *pulsate aperietur. Aperite portas.* Pulsat Stephanus petendo gratiam, pulsant & Judæi ut descendat in eos vindicta, fit pulsus insolitus. Damian. serm. hodier. *Clamor lapidantium crudelitatis: clamor Stephani erat amoris & pietatis.* Prospicit Christus, aperit Stephano portas, veni primogenite. Hinc intelligite, cur de Stephano dicitur: *Lapides illi torrentis dulces fuerunt,* quia ad illorum strepitum porta cæli aperta est. Hinc de eo, Gregor. Nyssen. *Veluti teneris floribus circumfusus in dulcem simul & beatum somnum delapsus est.* Hoc nobis dulces faciat pro cœlo labores. S. Thomas de Villanova. *Transit citò quod cruciat, permanet æternum quod coronat.* Qui non laborat pro cælo ita agit ut ille, qui dicit, Eripiam Turcæ regnum; interea nec milites colligit, nec arma parat, imò Lucifero similis. Certum est quòd ille de cælo ideò decidit quia DEO similis esse voluit. Quærunt Theologi in quo similis esse voluit, non in natura, nec enim tam erat stultus ut hoc attentaret, & tandem S. Thomas ait: Quia ut Deo debetur beatitudo, ita ille ob excellentiam suam voluit sibi esse debitam. Hinc pater quare Christus Petro disuadenti sibi passionem dixerit Christus, *Vade post me Sathana,* quia voluit ut Christus non laborando pro cælo illud acciperet, quæ fuerat mens Sathanæ, nempe Luciferi.

Assurgit ad novum Christus spectaculum, ad quod etiam nos invitat Damian. conc. hod. *Curramus ad spectaculum ad quod currit, qui exultat ad currendam viam ut gygas.* Certè magnum spectaculum. Maxim. Taurinens. conc hod. *In illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam charissimos suos, Stephanus Domino commendabat inimicos.* Et quidem non solùm inimicos commendasse, sed etiam cum lachrymis pro suis supplicâsse tortoribus, scribit S. Aug. conc. hod. Quærit S. Thom.

2.2. q. 83. a. 12. Cur mentali orationi adjungamus vocalem? & respondes. Id fieri ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione. Id maximè in Stephano patet. Mirum est, non assurrexit Christus cùm Stephanus vincebat quinque Academias, Cyrenensium, &c. Non assurrexit dum viduis prospiceret &c. atqui erant magnæ virtutes, assurrexit dum lapidatur. Quia videt quid novum. Christus in cruce dixit sitio, sitis est appetitus potûs, passionem suam appellavit calicem, igitur illam appetiit,& plus adhuc pati voluit, ita Stephanus appetiit etiam hoc ne mors ejus vindicaretur, imò gratia conferretur occisoribus, qui est summus gradus fortitudinis, ac Christo dignus spectatore. Fortitudo est media inter timorem & audaciam & versatur circa aggredienda & sustinenda adversa. Sed quid horum majus? Quid difficilius? amittere quæ jam possidemus, an quæ non habemus velle consequi? certè primum est difficilius, ideò in sustinendis adversis quæ nobis famam vitam tollunt, major fortitudo. amittebat vitam, sanguinem Stephanus, summa est fortitudo, sed quanta dum non clamabat. *Vindica sanguinem*, cujus vindictæ jus possidebat? imò clamabat: *Ne statue illis hoc peccatum*, hoc est, 1. Corinth. 4. Quod de passis multa dicit: *Spectaculum facti sumus DEO, & hominibus, & Angelis.* Hoc est, de quo laudat suam Sponsam Ecclesiam. Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea.* Clypeorum est pati hostiles ictus, non hostes ferire. Hic est rubus ardens incombustus in quo vult DEUS videri. Hinc Christus consurgens ostendit Stephano suas plagas. Et ego per plagas vici, non time plagas, triumphabis honori tibi erunt cicatrices. *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Dominus es, potes condonare ut tuis condonasti crucifixoribus. Græcus textus habet. *Ne imponito illis hoc peccatum.* Ne imponas ad pœnam veluti jugum, juxta illud Thren. 1. *Vigilavit*

lavit jugum iniquitatum mearum, in manum ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo. Jugum, quia cum DEO agimus omnia, peccator concursum ejus in malum detorquet, Post jugi labores crescit seges, post peccatum vindicta, seminat peccator voluptatem, metit dolorem. Theodoretus legit: *Ne ordines contra illos peccatum ut aciem militarem.* Ita in cap. 7. Actor. 59. Quia peccatum videtur nobis servire, sed ubi ad conflictum venitur est contrà: ita peccatum contra te erit in morte. Orat Stephanus, gaudent suo peccato Judæi velut milite, rogo ne in illos vertatur Basil. legit. *Ne ponas ob oculos peccatum eorum.* Orat Stephanus, illi non habent pro peccato quòd me occidunt, nec tu habe, illi post tergum cogitationem majorem facti posuerunt, & tu pone. Lorinus: *Ne statuas tanquam infamem columnam peccatum eorum.* In hac columna scribuntur omnes peccati circumstantiæ, & legentur in mundi fine. Gaspar Sanchez. *Ne stare facias contra eos fulmina.*

In Festo S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, CONCIO.

Vidit discipulum, quem diligebat IEsus.

Audistis ne aliquando quòd manens ipse castissimus, & cum dolore suo & cum Matris suæ, ipse agonisans, genuerit sibi Fratrem & non infantem, sed annorum circiter viginta. Idque suo sermone? Hoc contigit hodie. Christus in cruce moriens, inter summos dolores suos & matris, de suo sanguine, genuit sibi Fratrem Joannem. *Mulier ecce filius tuus!* Et quòd verè Joannes sit factus B. Virginis filius & Christi frater, habes pro hac re Pet. Damiani: *Sicut dixit Apostolis. Hoc est corpus meum, ita dixit Matri, Hic est Filius tuus, & sicut ibi factum fuit corpus, ita hîc Filius.* Nempe adoptione speciali.

ciali. Hoc ipſum docet S. Thomas de Villanova. Hanc Fraternitatem conſideremus, & quid eam conſecutum.

Mirum dixi quòd Chriſtus genuerit ſibi Fratrem Joannem, ſed dicam admirabilius, quòd iſte Frater eâdem vixit animâ quâ Chriſtus, ita Eccleſia: *Ecce puer meus electus, poſui ſuper eum Spiritum meum.* Quod ipſum quaſi explicaret Dionyſ. Areopag. cùm ait: *Anima plus eſt ubi amat quàm ubi animat.* Jam verò. *Hic eſt diſcipulus quem diligebat IEſus.* Itaque anima Chriſti fuit in Joanne, natus Joannes ex verbo. Quia ſi per verbum Chriſti renaſci poſſumus, etiam naſci. 1. Petr. 2. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum DEI,* Luc. 8. *Semen eſt verbum DEI,* & eſt tam fæcundum ut ex illo creverit, cælum, terra. *Dixit & facta ſunt.* Præparabat ad hoc Joannem Chriſtus cùm ſine illo ferè nullibi eſſet, in Thabor, in monte Oliveti, in cœna ultima ſuo pectori admovit.

Hinc fratrem noluit ſua celare arcana, ait de illo Iſidor. cùm in pectore recumberet. *Raptus eſt ad tertium cælum.* Unde Evagelium ita ſcripſit, ut illi competat. *Aquila tulit medullam cedri,* non corticem, non ramum. Origen. *Ioannes raptus ſupra omne cælum intrat in cauſam cauſarum,* de Joannis ſcriptis eſt illud. *Mandragoræ dederunt odorem.* Naſcitur hæc planta ſimilis homini, ſed caput deeſt. Similis homini Joannes, ſed non eſt caput quod illius poſſit intelligere ſcripta. Uno verbo, ut ait S. Thomas de Villanova ſermone hod. *Revelavit illi ſecreta perſonæ, ſecreta regni, ſecreta domûs.* Sed quomodo? Ambroſ. Serm. 18. *Etiam Chriſtus in pectore Ioannis recubuit.* Secretum eſt Regni illius prædeſtinatio. Cùm vidiſſet in cælo 12. lapides etiam nomen ſuum in uno ſcriptum vidit Joannes. Recubuit Joannes in pectore Chriſti, ſicut cùm quis venam auri quærit, & eâ divite repertâ, ex illa ſumit. Recubuit Chriſtus in Joannis pectore, ſicut Phænix in rogo amoris de-

quo

quo ipse moriens suscitaturus erat Joannem, in rogo doloris, quia B. Virgo Christum in lætitia genit, Joannem in dolore obtinuit sub cruce, planè altera Rachel, quæ Josephum Salvatorem Ægypti sine dolore protulit, Benjaminum juniorem cum magno dolore, & vocavit Benjaminum, id est filium dexteræ. Quia dextera Christi in cruce operabatur virtutem. Christus est Patris dextera, & Spiritus S. *Digitus Paternæ dexteræ.* Recubuit supra pectus ut olim Jacob petram supposuit capiti & visiones vidit, ita Joannes pectus Christi, & in eo ut in loco proprio quievit, ut planta Orientalis in sua terra, ut piscis in aqua. S. Thom. proœm. in Joan. *Licet reliquis Apostolis & Sanctis DEus dederit sapientiam, Ioanni verò maximè, cui secreta sua revelavit*, Psalm. 67. *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Vocavit alios Apostolos, *Principes Zabulon & Nephtali.* Joannes adolescentulus, quia teste Hieron. vix annos viginti attigit cum factus Apostolus.

Ita in his secretis profecit ut cùm Ezechiel describeret factam quadrigam ex animalibus factam, quæ currum gloriæ DEI vehebat, aquilam supra animalia locaverit. Gregor. in Ezech. 1. *Locus Aquilæ non juxta, sed desuper describitur, quia Ioannes super cæteros Evangelistas dum Verbum describit, excelluit.* Sed magis id ipsum explicat Damiani serm. 1. de Joan. *Illud Ioannes attigit, quò non Prophetæ, non Patriarchæ, non denique quispiam ab ipso primordio cognoscitur in carne positus aspirâsse.* Revelavit illi Christus secreta regni, meruit sibi regnum, ostendit hoc Joanni in Apoc. ibi quæ de Episcopis statuit. Scribe Angelo Ephesi. Ibi statum Ecclesiæ, plagas in mundum venturas, ibi electos, præmia Martyrum, Virginum, &c. de Antichristo, de Hæresibus, Religionibus. In Evangelio aperuit ipsi suam Divinitatem, quod quantum sit, testatur Prochorus ejus discipulus; indixit Ecclesiæ Asiaticæ triduanum iejuinum, post ipse

ad montem cum Prochoro secessit: tunc audiri tubæ ac tonitrua de cælo, & vox sonuit de cælo. *In principio erat Verbum, &c.* Hanc Joannes excepit.

Sed mirum est quòd Joannes non de hoc gaudeat, sed solùm: *Discipulus quem diligebat IEsus.* Habuit certè & aliqua quæ de se scribebat, cùm de Magdalena non sit omissum quòd fuerit peccatrix, de Matthæo quòd sederit in telonio, de Petro reprehenso. Sed solùm scribit, *quem diligebat.* Potuit scribere quòd fuerit Virgo, quòd illi mira sint revelata. Mysterium hic est. Faciamus miracula, omnes opes & scientias, imò & Prophetias habeamus, nihil hoc totum, nisi nos diligat Jesus, nisi prædestinati simus, non in hoc *gaudete,* quòd dæmonia ejiciatis, sed quia *nomina vestra sunt scripta in cælo.* Hoc Joannes vidit, de hoc gaudet, cætera sine hoc nihil prosunt. Quid ergò nos de honore, nobilitate gaudemus? quid hæc respectu eorum de quibus Joannes gaudere noluit? Signa prædestinationis possunt ex Joanne colligi. 1. Esse Virginem 2. Esse Filium per devotionem B. Virginis. 3. Crucem Christi non deserere. 4. In pectore Christi per crebram S. Communionem recumbere. 5. Dilectioni proximi studere, hoc S. Joannes senex unicè commendabat cùm jam loqui plura non posset. Tertull. de Pænit. *Sumus unius regni, civitatis, domestici DEI, Fratres, sed quia inter nos potest esse lis?* 1. Corinth. 12. *Unius corporis membra.* Unde Christus: *Pater oro ut sint unum, sicut ego & tu unum sumus.* Et rursùs. *In hoc cognoscent vos quod mei discipuli estis, &c.* Non in multa Oratione, non in miraculis. Reliquit nos suo testamento fratum nostrorum tutores, ut hoc modo fiamus & illius hæredes. Dimittamus propter Christum offensas: Joseph dimisit Fratribus propter Jacob. Gen. 51. Non est tamen danda anima pro amico, ut dedit pro Eva Adam: hæc charitas nobiscum ad cælum ibit. 1. Cor. 12. *Charitas nunquam excidit.*

In

In Festo Innocentium, CONCIO.

Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus.

QUærere quis posset, cur S.S. Innocentium festum celebratur, clara sunt merita Joannis, Stephani: at istorum quæ sunt? Mereri non poterant, quia & Infantes & non baptisati: & si vixissent, fortè aliqui illorum Pharisæis juncti fuissent, fortè clamavissent cum aliis *Crucifige*. Deinde mortui quidem pro Christo, sed illi id non expetierunt, sine voluntate autem nullum est meritum. Ad hanc quæstionem, ut Innocentes defendam, respondebo.

In primis Baptismo aquæ opus non habuerunt, cùm sint baptisati suo sanguine, qui etiam verè est Baptismus, & hoc modo Philosophi qui cum S. Catharina passi; baptisati sunt, tollit enim Martyrium & peccatum originale, & si quæ sunt alia, ita ut Martyr si tamen dolebat de peccatis, rectà in cælum evolet. Et ex Christi meritis cælum occupat. Jam quod illorum attinet Martyrium. Jam antea conceperat Herodes animum occidendi Christum, audiverat enim à Judæis, mittendum Messiam qui illos è servitute exemisset, regnum interim illorum occupabat, sic metuebat ne Christus hic esset, his rationibus: audivit miracula quæ Christo nascente contigerant, audivit de prophetia Simeonis. *Salutem ex inimicis nostris, &c.* Quæ sibi adscribere poterat, cùm se sciret non gratum esse Judæis, & tyrannum. Sed rebellis propriorum filiorum illum detinuit. Maximè verò illũ perculit cùm Magi venerunt quærendo novum Regem, cùm scripturas Iudæi exponerent, jã natum esse Messiam, noluit tamen Ierosolymis egredi, ne illo absente Judæi aliquid molirentur; & ad concilia versus. Providendum

videndum eſt de ſecuritate meo thronò, dubitari non poteſt, ſi natus ſit Judæis Meſſias, gens hæc quid non facit? certum etiam quòd in Betlehem natus, ſed quis ille? nati ſunt etiam ibi alii. Concluſum, occidatur, & quia neſcitur, quis ille, omnes à bimatu & infra occidantur, neceſſariò & ille peribit. Sed quomodo id fieri poterit ſine tumultu? Judæi vel abſcondent filios ſi negotium odorati fuerint: vel ſi apertâ vi agemus, tumultus inſtat horribilis. Arte opus. Non multò ante Cæſar Auguſtus cùm juſſit deſcribi orbem, mandavit ut totus diſtrictus Betlehemiticus ſe in Betlehem ſiſteret. Paruerunt, hoc habito exemplo & modò juſſi confluent, miles interea copioſior mittatur Betlehem veluti causâ ſecuritatis, illi veniant inermes. Sed quomodo id ipſum? Avidi ſunt pecuniæ Judæi. Ego Herodes veluti præmium daturus quòd ſe non miſcuerint tumultibus qui mihi erant cum filiis, incipiam à Betlehem. Sit hæc dies feſta. Et ut videar etiam obligâſſe hanc gentem in futurum, etiam infantibus pecuniam numerabo, & ab his incipiet largitio, deinde ad majores procedet. Adducant nunc Matres infantes a bimatu & infra in Betlehem, majores ſe interim domi contineant, tum miles irrumpat nec parcat. Placuit conſilium, tum fidiſſimas militum convocat turmas, & ait. Quo ſint res loco meæ ac veſtræ videtis, ſi pereo nec vos ſecuri, nec vivo dum alter auditur Rex Judæorum. Obſtringit deinde fidem, nec periculum eorum petit, victoriam fore ſine cruore, dum enſibus non parcant ac omnes infantes à bimatu & infra tollant, in his certè etiam novum Regem periturum. Sibi relinquant, quomodo infantes in unum locum convocentur, hoc facto fit cædes.

Jam ad Martyrium Innocentum, de quibus S. Auguſt. *Ille de veſtra corona dubitabit qui parvulis non prodeſſe Baptiſmum exiſtimat.*

existimat. Ad sanctitatem requiritur voluntas, quia virtus est in medio, inter extrema vitia medium sine usu rationis degi non potest, & qui debilioris sunt rationis, facilè in extrema impingunt. Sed ad sanctitatem quæ est ex baptismo non est opus voluntate, quia in eo sanctitas datur, non propter virtutem baptisati sed ex meritis Christi. Sicut tamen est opus ut maturus homo voluntariè suscipiat baptismum, ita & Martyrium, sed in infante hoc non requiritur. Sic isti sancti licet non habeant propria merita, habent Christi, & magis æstimari debent, quò nobilius est Martyrium, hoc vero in his nobilissimum. Stat quispiam Rex in acie, pugnat ejus quispiam miles fortiter contra hostes; suos tuetur, alter assistit Regi, & cùm hostis ad Regem penetrat ut eum occidat, defendit, pro eo se exponit. Quis plus fecit? certè qui Regem servavit. Ita planè est. Alius Martyr pugnavit veluti pro militibus Christi, subiit Martyrium pro justitia, pudicitiâ, fide, &c. Sed isti occisi sunt ut ipsius Christi vitam defenderent, isti ferrum ipsi Christo paratum exceperunt. Rursus, duo coloni afferunt Principi fructus diverso tempore, unus statim initio æstatis, alter in fine, cujus sunt gratiores? Certè idem est apud DEum, gratissimi primi. Ipse jussit Deut. 26. *Cùm intraveris quam terram D. Deus daturus est tibi, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, &c.* Videte Parentes cui vestras primitias offerunt Filii. Christus Matrimonium inivit cum Ecclesia, hoc est, nobiscum, expectat fructus, quos illi damus? Propterea speciatim gaudet de his Innocentibus. Apoc. 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, & sequuntur Agnum quocunque ierit.* Quem locum illis applicat Ecclesia. Obtulit hoc primos suos fructus Christus DEO Patri. Hinc etiam illorum meritum quale in illos cadebat æstimemus. Magni meriti est compescere blasphemum cum suo periculo, magni, periurum; at

hic non ita persona Christi patitur; quanti erit Christicidam avertere.

Æstimemus ergo hos Innocentes, & quia vicini sunt Agno, oremus ut nostras illi preces proponant & suas illis interponant.

In Circumcisione Domini.

Vocatum est nomen ejus JESVS.

PLanè ita cum mundo fiebat, sicut cum aliquo homine: mittuntur ei, quotidie, victus, vestes, munera quærit à quo? dicitur à tuo Patre, non scio quis ille, quomodo vocetur, ô si scirem? hoc Jacob desideravit Gen. 13. *Dic mihi quo appellaris nomine?* Hoc Isajas 26. *Nomen tuum in desiderio animæ meæ.* Hoc totus mundus sapientiorum nomine, quorum Salomon. Ecclef. 39. *Nomen ejus requiretur à generatione in generationem.* Hoc Moyses. Quis es Domine, quod nomen tuum? solùm illi dicitur. *Ego sum qui sum*, ac si diceretur, quid ad te, nomen meum mihi. Hodie tandem, & se ostendit, & nomen *Vocatum est nomen ejus JESVS.* Sine dubio cùm hoc instar magni doni faciat, multa in hoc contineri bona, saltem conabor evoluere aliqua. Nomine suo judicat quem antea dederit thesaurum, quem homines non agnoscebant. Scilicet tempus. Ergo thesaurus est tempus? Interrogate animas in Purgatorio quantùm darent pro hora temporis, quâ se per pænitentiam ab illis pœnis exoluerent, interrogate damnatos, interrogate, quid darent? omnes thesauros mundi, omnem sanitatem, nobilitatem, honores. Itaque tanti est tempus. Sed ignorabant ejus valorem, itaque eum ostendit cùm nomen suum initiis annorum velut notam pretii apponit; atque si diceret tantùm valet tempus atque ego. S. Bernardin. fer 4. post Dom. 4. Quod

Tempus

Tempus tantum valet quantum DEVS, quia in tempore bene consumpto comparatur DEVS, Si tantum valet, ergo in eo est, quod de nomine JESU dixit Bern. 15. in Cant. *Habes ô anima electuarium in vasculo quod est JESV nomen.* Igitur si bene utamur tempore, medicinam in illo habebimus. Continet hoc nomen victoriam. David lapide Goliathi caput confregit, quare? & unde hæc vis. Joan Cartagena lib. de SS. Trinitate 1. hom. 9. *In medio lapidis quo David prostravit & interemit gigantem inventum fuit SS. nomen illud JESV.* Per hoc nomen vicit Michaël Luciferum, Apoc. 19. *Vicerunt propter testimonium verbi quod habebant,* Bernardin. de Busto exponit, *propter nomen JESV.* Ad hoc confugit Moyses cum ingentem vidisset exercitum Amalecitarum, constituit Ducem, qui ut scribit S. Ambr. vocabatur Auxes, & vocavit illum Josve. Quod idem est ac JESUS quid factum? & hostes debellat, & Soli ac Lunæ imperat. Basil. hom. de Transfig. *Sol & Luna steterunt ob reverentiam nominis quod gerebat.* Recepit munitiones idem ludendio ad canendo, & suaptè muri Jericho corruerunt. David ubi suam militiam describit, quâ omnes in circum debellavit, sic ait. *Alii in curribus, alii in equis, nos autem in nomine Domini* &c. Continet hoc nomen ne nobis bestiæ noceant. S. Ignatium M. Leones metuebant attingere, quia in corde suo scriptum habuit nomen JESU. Non nocebant aquæ, imò si opus fuerit cedit mare viâ. Scitis quid egerit Moyses cum Pharaone. Sed quo usus instrumento? virga. Exod. 4. *Reversus est Moyses in Ægyptum portans virgam DEI in manu sua.* Cur dicitur virga DEI? Abulensis in 4. Exod. quæst. 10. de hac virga narrat. Crevit in terra Madian, in horto Jethro soceri Moysi, à nullo rescindi potuit nisi à solo Moyse, qui etiam in illa sculpsit nomen DEI. Hinc virga DEI, quia nomen DEI, seu JESU in illo sculptum. Dixi initio felicitatem temporis in JESU nomine conti-

continneri, & ex illius usu fluere alia bona. Quomodo tandem bene utendum tempore? hoc modo, quem indicat hodie JESUS. *Fecit* DEUS *hominem ad imaginem suam.* Sciebat quod homo in multis esset aberraturus, proposuit illi imaginem suam, velut Pictori aliqua originalis imago proponitur, ut illam aspiciendo suam conformet: sed quia hæc imago DEI non patuit oculis, homines ad eam parum attendebant, hinc tot errores. Proposuit hodie visibilem in JESU, hanc aspiciamus, in nobis protuberat superbia, non est in JESU, tollamus. In nobis lutum lascivit, ignis iræ, contractura invidiæ, &c. Incipiamus à superbia Ps. 39. *Aures autem perfecisti mihi.* Hieron legit, *perfodisti*, signum mancipii erat, Perfossa auris. Nam ut est Exod. 21, Tempore Iubilæi omnes à servitute dimittebantur, sed qui in servitute voluit manere auris ejus circum liminari subulâ affigebatur, id planè apparet in circumcisione, quæ dabatur in stigma peccatori, assumpsit sponte Christus personam peccatoris, ecce datur illi stigma. Hic domat superbiam. Dices, hic me affecit convitio, despexit, detraxit. Vide imaginem, quid gravius potuit Christo accidere, quàm instar peccatoris signari? Voluit hoc propter te licet non merebatur, tu qui millies mereris, renuis? Ps. 8. *Quid est homo, quod memor es ejus?* si nihil mali egisses solum quod sis homo, notas omnes ob originale mereris, jam enim & DEO rebellis, à castris ejus ad hostem profugus, omni misericordiâ indignus, omni pœnâ dignus. Hebraicè homo *Enos*, explicat hanc vocem Hieron. *Adeò malis obrutus ut nulla sit spes evadendi.* Post Adam nulla spes alia nisi vel limbi vel inferni Iob. 17. *In profundissimum infernum descendet anima mea.* Si ita miser homo ob originale, quid si peccata alia accesserunt? Et quid sine DEO potest, & quomodo DEus illi adesse debet? itaque humiliter in omnibus DEI auxilium petas, de tuis viribus nihil præsumes

sollici-

ſollicitè interim rem tuam geres, ſed totam ſpem in DEO repones. Cogita, ſi reperiſſes aliquem in luto à quo ſuffocabatur, nudum, vulneribus conciſum; & illum extraheres, mundares, veſtires, ſanares, hæredirate donares: an non jure ab illo exigeres ut tibi deinceps obediret, mandata humiliter acciperet? plus DEUS fecit quando nos de nihilo extraxit & millies plus quando naſci & fundere ſangvinem pro nobis voluit, & non obediemus ejus præceptis? Aſpiciamus hanc imaginem, & nos emendemus: & tempus nobis illa præſtabit quæ dixi. Aſpiciamus, Pſ. 2. *Apprehendite diſciplinam.* Hieron. legit. *Oſculemini Filium.* Dignine ſumus Domine ut nobis in exemplar venires, poſtquam ad prius non attendimus. ô Fili DEI, pedes tuos oſculamur. Pænas merebamur, tu præmia proponis. Si quis dum nobis, flagra, rotæ, parantur, nos ab his liberaret, hoc modo, eritis liberi me ſolum imitemini, nec talia faciam quæ facere non poſſitis, certè eius manus oſcularemur, & ipſum omni modo imitaremur, ſi quis pro nobis partem horum faceret.

De Eadem CONCIO II.

Conſummati dies octo.

SI tantum aufugeret tempus minus de illo queri poſſemus, ſed dum ipſum fugit nos ſecum rapit, & dum ipſum perit nos interimit. De hoc eſt queſtus Hieron. ad Heliodorum. *Quotidie morimur quotidie immutamur.* Omnis hora nos carpit. Menſes ſunt ſicut illi larvati ſatellites duodocem Magdeburgenſium; hi enim cum geſſiſtant inimicitias cum Burchardo ſuo vigeſimo ſeptimo Epiſcopo, & tandem fictâ pace deceptum carceri intruſerunt obſcuro, collocatis in eo prius duo-

decim larvatis cum fuſtibus, qui eum veluti ſpectra impetebant donec conficerent. Quid de hoc & fugitivo & tam noxio faciemus, includam carceri, & vobis ipſis cuſtodiendum dabo, fortè jam non carpet, ſed edomitus bono noſtro ſerviet.

Sed quo carcere tempus poteſt teneri? ferrum, marmora, conſumit &c. Si arenâ clepſydræ conſpergatur, velut Athleta viſâ arenâ fortius evadit, pulſat campana horologii ut mortuo, ille currit. Stylo horologii ſolaris non retinetur, mutat illum in ſcipionem curſorium, interea eſt tanti, ut Nazianz. cum magna veritate dixerit *Minutiſſimi temporis DEUS à nobis rationem reponet.* David illud coronam apellat, quia continuò voluitur. Pſ. 64. *Benedices coronæ anni,* claudatur tamen illud ſed in quo? in gutta ſangvinis Chriſti quem hodie effudit. Dominari poteſt ejus ſangvis tempori. Hiſtoria ſcholaſtica dum ſcribit de illo quod contigit 3. Reg. circa templum Salomonis, in cujus fabrica neque malleus neque ſecuris audita, narrat quod Salomon filium ſtruthionis lagenæ vitreæ incluſerit, attulit ſtruthio vermiculum, quem dum lagenæ applicuit, ſtatim rupta eſt: notavit hoc Salomon, conquiſivit ejuſmodi vermes, dicebantur Zamir ſive Comir, illorum ſangvine loco malleorum frangebat & æquabat marmora, & ſic evitabat ictum mallei. *Vermis & non homo* Chriſtus, ſangvis ejus rupit in morte petras etiam tempus retinebit. Nomen JESU ut eſt apud Sybillam cumanam continet tribus vicibus octo, quod idem eſt ac 24. horæ diei, & octavus numerus ſignificat beatitudinem dimidium hujus numeri, 12. menſes, duo octo juncta quaſi anni quadrantem continent, tria octo ſimul juncta, annum prope & dimidium, ſeptima dies quietis, octava beatitudinis in qua ligatum eſt tempus neque amplius eſt præteritum aut futurum, ſed ſemper præſens. Si enim JESUS Græcè ſcribatur cum literæ græcæ eædem ſint numeri, producitur

888. Ita-

888. Itaque ter beatitudo, & ter à fugacitate ligatum tempus. Videte jam quid tempus agat æternitati collatum seu in DEO clausum æterno?

Jam quod ut fluvius currebat, clausum corona & in seipsum redit. *Benedices coronæ anni.* Videte quas herbas in hac corona invenietis, quem dabunt odorem? gloriarine poteritis *Christi bonus odor sumus?* an verò possit nobis dici Exod. 5. *Fecisti fætere odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus?* Apoc. 12. Juvenitur in cœlo corona duodecem stellarum, quasi signorum Zodiaci, an in hoc corona sit Caper fætens, furib udus sagittarius, retro progrediens cancer? an verò libra justitiæ, virgo castimoniæ &c. Videte Ecclesiastici an in hoc serto sit libra? qui beneficia erigunt in sacerdotes sua transferuntpeccata sicut 1. Reg. 15. Saul in Samuelem, porta quæso peccatum meum. Unde peccatis populi vestimini & Oseæ. 4. *Peccata populi comedes.* Dicirur sacerdoti, quot animas sub cura habes pro tot peccatis gemere debes. Unde Greg. *legatur in hom. diei S. Adalberti. De manu tua requiram sangvinem animarum* Vsitatum, est symbolum ab Ægyptiis sumptum tempus exprimere per serpentem caudam suam in ore habentem. An quia juventutis via tortuosa ut serpentis? sed tamen serpens pellem suam deponit, deponite iuvenes cum viri facti estis. *Fuistis tales &c.* An quia homines ad verbum DEI claudunt aures? Ps. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, & aspidis surdæ obturantis aures suas ne andiant vocem in cantantis sapienter.* Unde Basil. orat. in Adolescent. *Quibus te verbis curabo? Regnum DEI non curas, gehennam non metuis, quæ super est medicina?* Sed quomodocunque te serpenti sociaveris, efferabitur quando non puas, & te occidet. Audi Paulum Heb. 10. *Irritam faciens legem Moysi sine ulla misericordia moritur, quantò magis deteriora mereri putatis supplicia, qui Filium DEI conculcaverit.* Sicut

Debora

Debora Judic. 5. *Conculcavi anima mea* &c. *Et sangvinem testamenti pollutum duxerit.* Quid est polluere 4. Reg. 23. docebit, Josias qui idola polluit. Sed veniet dies octava, & si dies millies octo vixeris, imò annos. Clamabit Christi sangvis de terra quem conculcâsti. Jam hic non decem millia talenta repetentur, sed his pretiosior sangvis Christi. Utinam nobis contingat, quod Isai 28. *In illo die erit Dominus corona gloria, & sertum exultationis residui populi sui.*

Quod Job dixit. *Transierunt sicut naves*, servit tempori, sicut in naven jam hic jam ille ingreditur, & ubi portum attigit navis, illis expositis ligatur, ligavi tempus in JESU sangvine. Non nascitur navis, ipsi illam fabricamus, si infida sit, ipsi in culpa sumus, nectamus illam ex lignis solidis; & velut de serto dicendum sive Corona, non inseramus flores fætidos. *Ego flos campi & lilium convalium.* Sed hic flos JESUS, Salvator, ut eum innectamns, curemus nostram salutem. Sed quid est Salvatorem innectere? est illum imitari. Bern. serm. de Circumcis. *In Nativitate Domini habemus quod imitemur.* Est paupertas tanta, ut pro illo involvendo cum non haberet B. Virgo alias fascias, ut scribit S. Antonius 1. part. tit. 15. Velum capitis detraxerit. Est abstinentia, nam ut scribit S. Vincent. non habuit lac B. Virgo quod infanti daret, suspexit in cælum, & miraculosè impleta sunt ubera. Non habuit calorem quo refoveretur, admovit B. Virgo bovem ut illum suo halitu calefaceret. Est humilitas, in medio animalium positus est Dominus cœli & terræ, jam hic infra formam servi descẽdit. Guerricus Abbas serm. de Annunt. *Vicisti Domine, vicisti superbiam meam, ecce do manus meas in vincula tua, accipe me servum sempiternum.* Sed ad circumcisionem eamus, in hac punctum honoris versatur quod nos tanti facimus. Hic plane Ps. 97. *Cantate Dominum canticum novum quia mirabilia fecit.* Fecit, exhibuit

se

ſe ſtigmati peccati, ac ſi eſſet peccator. Carthuſianus in dictum Pſalmum ait. *Defecerunt laudes David.* Conferamus Circumciſionem cum cruce, qui crucifigitur non eo ipſo peccatorem ſe profitetur; at verò quo circumciditur. Unde apud intelligentem, quid ſit peccatum, circumciſio eſt quid maximum; inſuper circumciſio repræſentabat totam paſſionem Chriſto, & dum illam ſuſciperet, integrum uſum habuit rationis, benè omnia intelligebat. Quia revelata Abrahæ de- miſſio DEI, quòd eſſet futurus homo verbis illis, Gen. 17. *Ponam fœdus meum inter me & te*, ùt Ambr. lib. 2. de Abraham. cap. 3. Cecidit in faciem deoſculaturus eam terram, quam Meſſias calcaturus erat. Si revelato myſterio Incarnationis, ùt ſcribit Laur. Juſtinianus de Annunc. B. Virgo, *ſolo proſtrata dixit: Ecce ancilla Domini* quid ad Circumciſionem? Suſcipiet quis perſonam ſervi, ſed non admittet ſtigma. Quid nos ad hæc Chriſtiani? Tertullian. lib. ad Scapulam dixit. *Nos non aliunde noſcibiles niſi de emendatione vitiorum.* Et Salvianus, lib. 4. de gubernatione. *Dæmoniacam eſſe Fidem non pœnitere.* Ligatum eſt tempus in gutta ſanguinis Jeſu. Igitur æternitas eſt. Concludo hiſtoriâ quam ponit Cantipratanus lib. 1. Apum, cap. 3. Dum Conradus Hildemienſis Epiſcopus diſponeret ſe ad dicendam concionem ſolitarius: ſtatuuntur ſedes velut in tribunali, & venit Chriſtus, conſidet, adducitur quidam in veſtibus Epiſcopalibus, more ſolito Eccleſiæ, degradatur à Chriſto, & veſtibus exuitur, tandem carnifici occidendus traditur, & acclamatur: *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Hoc eodem tempore in Germania mortuus quidam Princeps Epiſcopus. *Dum tempus habemus.* Juravit Angelus in Apocal. *Non erit tempus amplius.*

In Epiphania Domini, CONCIO I.

Invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus.
Matt. 2.

COncilium Ephesinum, prout est apud Emmanuel. Sa in cap. 1 Joan. num. 68. sic explicat mysterium Incarnationis. *Sermo humanus cùm induerit literarum elementa fit visibilis & tractabilis, sic Verbum DEI tractabile invenitur.* Ex quo ita formo. Sicut verbum hominis quamdiu est in mente, soli illi homini est notum: sic aliquando Filius DEI soli DEO erat notus: sicut clàm per vocem profertur, jam audiunt qui sunt simul, qui erant in Synagoga, erant in eadem domo cum DEO, audiebant de Filio DEI mittendo, per Prophetas, idque pauci audiebant, quia populo hoc mysterium non explicabatur. Cùm scriptum est in charta verbum, jam quis vult legere potest, si publicè pateat, legebant Pastores, legere alii contempserunt. Venerunt hodie Magi ad legendum, & quid legerint, dicam.

Descripsit Propheta, quòd Gentes essent lecturæ hoc verbum. Isai. 30. *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Erunt subter omnem excelsum, & super omnem collem elevatum rivi, currentium aquarum in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres:* currebant rivi lacrymarum, cùm multi pueri interficerentur, quod factum quando ceciderunt turres, id est, tres Magi procidentes, adorârunt Christum. Idem Abacuc 3. *Aspexit* Messias, *& dissolvit Gentes, & contriti sunt montes sæculi*, tres Magi, *incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Iter æternus non habet, cùm ex Patre nascitur, quia in eodem manet; sed cùm induit carnem, facit iter, peregrinatur. Utraq;

Pro-

Prophetia admodum obſcura, nec ulli clarè indicatum, quòd Gentes eſſent recepturæ Meſſiam. Poterat hoc quidem conjicere Gedeon, cùm primò vidiſſet ſolùm vellus plenum pluviâ, hoc eſt, ſolam Judæam notitiâ Dei; poſtea vellus ſiccum, & circa illud pluvia plena omnia. Poterat Heli, cùm audiiſſet arcam DEI in manus Gentium deveniſſe: celabat qui aliquid de hoc intelligebat. Quia notum erat odium Judæorum verſùs Gentes, ſeu nationes diverſas, nota invidia, ut ſi cognoviſſent ad illas, ad te, tranſiturum Meſſiam, ipſam Scripturam S. exusſiſſent quæ id promitteret futurum, ùt putat Eutimius.

Non ſolùm Judæis Deus promiſerat Chriſtum, ſed etiam Gentibus. Num. 24. Prophetat Gentibus Balaam. *Videbo eum ſed non modò, intuebor illum ſed non propè.* Quia expectandi erant mille quingenti anni, ut Chriſtus naſceretur. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga ex Iſraël, & percutiet Duces Moab.* Ex hac natione fuerunt iſti Reges: obſervabant hanc ſtellam ex monte dicto Victorialis, tandem eâ nocte quâ natus eſt Chriſtus, apparuit ſtella non in cœlo, ſed in aëre, tam clara ut etiam de die videretur. Addit S. Chryſoſt. quòd in illa ſtella erat imago Pueri habentis crucem in fronte, & cùm Magi vellent illam ſtellam adorare ùt DEUM, Auguſt. ait, quod monuerit eos Angelus ne id facerent, ſed verum DEUM quærerent; ſed & internè illos illuſtravit. S. Leo ſerm. 1. de Epiphan. *Dedit aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum.* Ita cùm Judæi indignè agunt, cum Chriſto eodem tempore excitantur Magi qui illum honorificentiſſimè adorent. Tum conſilio Magi ſecum inito. Iſte eſt Rex, quia prædixit Balaam, *conſurget virga*, id eſt, Sceptrum, offeramus aurum. Eſt DEUS, quia ſtellæ illi ſerviunt, thus illi debetur. In ſtella monſtratur ùt homo, & quidem cum cruce, quæ mortalem indicat; demus

demus myrrham. Ecclesia dicit. *Magi videntes stellam, dixerunt ad invicem,* &c. S. Fulgentius serm. de Epiphan. *Attende quid obtulerunt, & agnosce quid crediderunt.* Insuper, ut ait S. Vinc. hodie. *Credo etiam, quia Rex qui portabat aurum, voluit indui de panno aureo; & ille qui portabat thus, de purpurâ albâ: & qui myrrham, scarlacâ rubeâ.* Stella, quæ duxit Magos, non fuit ex stellis quas videmus, ùt docet S. Th. 3. p. q. 36. a. 7. Sed fuit de novo creata in aëre vicino terræ. Et Aug. contra Faust. *Non ex illis erat stellis, quæ ab initio creatæ itinerum suorum ordinem, sub Creatoris lege custodiunt, sed novo Virginis partu novum sydus apparuit.* Progressi Reges, intra dies tredecim, &c. absolverunt milliaria 180. Cùm oportebat ad latus declinare, stella declinabat: cùm montem ascendere, ascendebat: cùm quiescendum, stabat, &c. Sed cùm Judæam intrârunt, stella disparuit. Tum consultabant, tandem concluserunt: saltem eamus Jerosolymam, ibi intelligemus. Judæi suum Regem ostendent. Sed ô Reges! scitisne quòd Herodes dominetur, de alio Rege quæri non sinat? Iverunt eò, & qui tunc sermones in Jerusalem! tum impletum est. *Fortitudo Gentinm veniet tibi.* Fortissimi Reges non cadunt animo. Herodes dissimulat, ut intelligat, quis iste sit novus Rex, & illum tollat. *Didicit ab eis tempus stellæ,* & vocavit doctissimos Judæorum, quid de hoc sentirent. Ostenderunt ex Scriptura promissum sibi Messiam, Regem Magnum: tempus adventûs ejus inesse: Eum nasci debere in Bethlehem, & tunc impletum. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo.* Tu illos docebis, illuminabis. Tum egerunt Judæi, ùt ait Aug. serm de Epiph. Sicut fabricatores Arcæ Noë, *qui aliis vas, quo salvarentur, ministrârunt, ipsi diluvio perierunt.* Exierunt Jerosolymis Magi, stella de novo comparet. O quantum gaudium! Disparuerat stella, ut ad Scripturas recurrent, magísque in fide solidarentur, & Judæi qui

illas

illas exponebant, fierent inexcuſabiles. Venerunt in Bethleem; Cives ſe negant ſcire alium Regem præter Herodem. Stella hæc omnibus parebat. Ut dicit S. Maxim. hodie non prodeſt obſtinatis Judæis. B. Virgo adhuc in eodem ſtabulo degebat in quo pepererat. Stella ſupra ſtabulum ſtetit, inſtinctu interno cognoverunt Salvatorem, adorârunt. Moniti in ſomno ne redirent ad Herodem; poſtea baptizati à S. Thoma, & facti Epiſcopi, &c. Jam invenerunt ſcriptum in carne DEUM. Andr. Cretenſis, Orat. de Aſſumpt. B. V. *Ipſa* B. V. *eſt liber verè vivus Verbi Paterni, tacitè inſcripti vivifico calamo Spiritûs S.* in carne, ex illa ſumpta Verbum Divinum eſt ſcriptum. Videamus quid legerint.

Hoc ſine dubio, quod ſcriptum erat. *DEUS, Filius DEI, Sapientia Patris.* Et certè mira Sapientia. Miratur S. Auguſt. quæſt. 83. de Novo Teſtamento, cur S. Matthæus, cùm enumerat Genealogiam Chriſti, omiſerit Oc[illegible]m, Joam, & Amaſiam Reges; utique Joram genuit Oc[illegible]m, Ochozias Joam, hic verò Amaſiam, ùt patet ex 4 Reg. 9. tum Amaſia Oziam. Ille verò ponit, Joram genuit Oziam: & reſpondet, id feciſſe Matthæum, ut, expunctis tribus impiis Regibus, hodiernis tribus Sanctis locum relinqueret; & eorum locum occuparent, ſicut Matthias Judæ. Nam Ochozias idola erexit, Joas templum ſpoliavit, ſub Amaſia, ob ejus ſcelera, vaſtata Jeruſalem. Non fidamus, quia nati ſumus ex Catholicis, ſi malè vivamus, & hoc quod habemus, *auferetur à nobis, & dabitur Genti facienti fructum.* Hinc illi in quantam humilitatem devenerunt. Repellis, Domine, tuum dilectum populum ob ſcelera eorum, & nos ex idolatris aſſumis, &c. DEUS tu es magnus, quomodo in tuo conſpectu ſtandum? Hic & nos legamus, quod eſt Rom. 11. *Si naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat, qui cùm oleaſter eſſes, inſertus es in olivam.* Fras

 arbor

arbor ſylveſtris, recepit te in ſuam miſericordiam, ſed non pepercit meliori, vide & tu. Non curant Reges Majorum alicujus præclara geſta, ſi ipſe fiat proditor. Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ.* Prælati, 1. Petr. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem*, &c. Clerici, *Sint lumbi veſtri præcincti.* Divites, *Date, & dabitur vobis*, &c. Sed quomodo hi Reges poſſunt inter Genitores poni? Nemo ibi ponitur, niſi quocunque modo ſignificabat Chriſtum, ut Achaz horologium, Thamar gemelli qui notabant duas gentes. Ruth ſpicas poſt meſſem colligit, quia derelictos Chriſtus erat collecturus. Rahab, ſuâ terra relictâ, vadit ad terram promisſionis, &c. Et ita hi tres Reges ſpectant, quia non jam per figuras, ſed clarè oſtenderunt Chriſtum.

Quid adhuc iſti Reges legerunt in Chriſto? Quod eſſet homo pauper.; Obtulerunt munera Et modò eſt pauper in membris, *ſed apertis theſauris* S. Th. in Matth. tum primò aperuerunt, cùm ad Chriſtum venerunt. Alii diſſipant in via, nihil ſupereſt quod dent Chriſto. Theſauros ſuos aperuerunt. Non poterat illis objici, quod Liberius Papa Conſtantio Imp. qui illi aureos mille miſerat: *Tu Eccleſias orbis terræ expilâſti, & nunc mihi ut damnato & egenti offers eleemoſynam, abi primùm, & fias verus Chriſtianus.* Expendunt auro pretioſius tempus, ùt ille de quo Bernardin. de Buſto, ſerm. 29. Quidam Florentiæ totus mundo deditus, nullum tempus dabat Pœnitentiæ; incidit in morbum, uxor vocat Sacerdotem, prævenit alius & ſe cum illo clauſit in camera ſpecie Sacerdotis. Sed deinde nec iſte Sacerdos, nec corpus ægri repertum. Viderunt Pauperem, contempſerunt omnia, & agnoverunt, ad hoc dari opes ut quis ſibi per illas emat cœlum. Viderunt ſe perinde morituros ùt pauperes, & ne in crucem æternam incidant, muneribus agendum.

Sed

Sed quis nobis daret ſtellam, quæ nos ad Chriſtum duceret? Datur, nec una. Stella eſt proſperitas: quid putatis, etiam perſecutores ſunt ſtellæ? Vidit Joſeph Patriarcha undecim ſtellas, & hi erant Fratres qui erant vendituri illum in Ægyptum. Præcedunt nos iſtæ ſtellæ, non ſequimur. Job 9. Claudit DEUS ſtellas *ſub ſignaculo*; producet illas aliquando. Pugnabunt hæ, *Jud.* 5. contra Siſaram ſtantes in ordine ſuo. Sacramenta ſub ſuis vexillis, dignitates ſub ſuis *&c.* Job. 34. *Rebelles lumini.* Dan.13. *Declinaverunt oculos ſuos, ne videant cælum.*

De Eadem. CONCIO II.

Matt. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

QUòd contigit 3. Reg. 1. hoc ipſum hodie video. Promiſerat David Salomoni Regnum, ſed illud præripere tentavit Adonias; hoc cognito David, tres mittit Principes, qui proclament Regem Salomonem. Promiſit DEUS Chriſto. *Tibi dabo Gentes hæreditatem tuam.* Uſurpavit hanc ſibi Princeps hujus mundi, mittit DEUS hodie tres Reges, ut Chriſtum proclament Regem. Audiamus hanc proclamationem.

Ex diſpoſitione Patris regnum mundi pertinebat ad Chriſtum: Sed per ſeptem ſuos Duces Lucifer illud occupaverat. Primus erat Leviathan. Job 41. *Ipſe eſt Princeps ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Alterum ſupra avaros poſuit, id eſt, Dæmonem, Mammona. Tertium ſupra luxurioſos, Aſmodæum de quo Tob. 6. Quartum, Beelſebub ſupra invidos, qui Judæos contra Chriſtum incitabat. Quintum, Beelphegor guloſis dedit. Pſ. 105. *Initiati ſunt Beelphegor, comederunt ſacrificium mortuorum.* Sextum, Baalberith iracundis, Judic. 9. *De fano Baalberith conducit ſibi viros dominans omnibus.* Septimum, Aſtaroth dedit Regem

gem Acediosis. 1. Reg. 7. *Auferte Deos alienos, Baalim & Astaroth de medio vestri.* Hoc totum describitur, Apocal. 7. Vidit mulierem, in cujus fronte scriptum Babylon. Bestia quæ illam portabat, habebat capita septem, quæ sunt montes septem, super quos sedet mulier; & Reges septem sunt qui cum Agno pugnabunt, & *Agnus vincet eos, quoniam Dominator Dominatorum est Rex Regum.* Procedunt è contra Reges hodierni, & ingrediuntur Jerusalem, ut in ea proclament Christum Regem. Mirum est, quòd Herodes id patiatur: sed clarè confitentibus Christum non deest DEI clara protectio. Ivit Sponsa in Cant. quæsitum Sponsum. *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem; nunquid quem diligit anima mea vidistis?* professa est clarè se Christum quærere, nihil passa: exivit deinde ubi id non est professa. Quid factum? *Quæsivi illum & non inveni, invenerunt me custodes, & percusserunt me, & tulerunt pallium meum.* Ambr. in Psalm. 118. serm. 7. *Quâ ratione suprà non tulerunt, hæreo repentè: nisi fortè quia ibi interrogasse se dixit. Nunquid quem diligit anima mea,* &c. Projecti Pueri in fornacem, Dan. 3. non adusti sunt Pueri, neque Rex, qui etiam fornacem accessit, benedicens DEUM. Quare hoc? Chrysost. tom. de tribus pueris. *Necessariò ab ipso igne cognoscitur, qui Dominum cœperat confiteri.*

Interrogat Herodes Magos, cur venistis? *Venimus adorare eum.* Convocat Rabbinos, ut tantò sit clarior Christi promulgatio. Micheæ 5. *Et tu Bethleem,* &c. Regnat apud illos Beelzebub. Non legunt Textum integrum; sequitur enim. *Egressio ejus à diebus æternitatis:* quod si legissent, fortè Herodem ab infanticidio deterruissent. Sed hoc erat non DEI, sed Principis placito servisse, & ita in Judæos gladios Herodis strinxerunt. Videbant etiam Judæi stellam. S. Maxim. serm. in Epiphan. id asserit. Venerunt Reges ad stabulum; & ùt idem S. Maxim. *Stella emittebat novos & clariores radios, ac si diceret: hîc est*

est Rex quem quæritis. Ingrediuntur, & DEUM ac Regem profitentur; unde hoc? S. Paschasius in Ps. 144. *Dicitur JESVS in vultu & oculis quidquam habuisse sidereum, quo Divinitas permulceret pios, & terreret reprobos. Aliàs eum nequaquam Apostoli sequuti fuissent ad unam jussionem: nec qui ad comprehendendum eum venerant prostrati, mox solâ voce corruissent.* Adorant Christum, & impleri incipit Ps. 72. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes servient ei.* Factâ hâc promulgatione, procidunt Reges, & Summo Regi dant munera. Aug. sermon. 1. de Nativit. *Adhuc in manibus matris portabaris, & jam Rex orbis agnoscebaris.* Postquam Magi denunciârunt Christum Regem; jam & ipsi ab Evangelista vocantur Reges. Aspexerunt stellam, proclamârunt Regem. Leo, serm. 1. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi fecit & inquiri, & se inveniri dedit requisitus.* Habemus jam Regem, non admittamus alium. *Non regnet in nostro mortali corpore peccatum.* Offeramus munera, dum Regem agnoscimus. Chrysol. serm. 103. *Indevotus, satis est vacuus adorator, probat hoc Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrhâ, Christi cunabulis inclinatur.* Saltem pro Christo ita faciamus divitias, ut malimus iis carere quàm graviter peccare. Hieron. epist. 34. *Elias ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio.* Offeramus thus amoris. Cantic. 3. *Sponsa tanquam virgula fumi ex aromatibus.* Hieron. *Benè virgula fumi concremata intùs incendio amoris*, scilicet in corde. Theophilact. in Luc. 18. *Docuit Publicanus percutiendo pectus, unde procedat oratio.* Offeramus myrrham patientiæ, hæc Sacerdotibus facit similem. Scivit David quod illi non liceret edere de panibus propositionis, edit tamen, quia patiebatur tunc Saulis persecutionem. Hieron. in Sophon. 2. *David non erat de Sacerdotibus, nec illi licebat comedere panes propositionis, sed quia persecutio Saul virtutum illius profectus erat, propterea in fuga sua dum nescit, subitò Antistes*

tistes efficitur, & accipit panes propositionis, & non violat mandatum DEI. Denique cum S. Leone, serm. 2. de Epiph. *Quem Magi Infantem venerati sunt in cunabulis, nos Omnipotentem adoremus in cœlis; ac sicut illi de thesauris suis mysticas species muncrum Domino obtulerunt: ita & nos de cordibus nostris, quæ digna sunt, DEO promamus.*

In Festo S. Sebastiani Mart. CONCIO.

Beati eritis cùm vos oderint homines. Lucæ 6.

NOvum quid; *Beati eritis cùm vos oderint homines.* Beatitudo felicem facit; ideò Philosophi aliqui ponebant illam in honoribus, alii in divitiis, alii in voluptate & similibus; sed in odio quis posuit? Christus, ergo ita est. Ergo inde Beatus est Sebastianus, quia odio habitus: Hanc propositionem defendam.

Contra illam dici potest. Quod viro bono non debet accidere, non est beatitudo; Afflictio verò & odium hominum non debet accidere: igitur in ea non potest esse beatitudo. At si ita esset, cur diceret vir justus? *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Certè justo non vult malè DEUS, imò verò vult benè. Et sunt mala sagittæ Domini. Ps. 44. *Sagittæ tuæ acutæ.* Ps. 7. *Sagittas suas ardentibus fecit.* Sunt verò signa salutis. 1. Reg. 20. Jonathas dixit David: *Si dixero, sagittæ intra te sunt, pax tibi; si sagittæ ultra te, dimisit te Dominus.* Hoc est Ezech. 9. Signum Tau, in quo à morte liberamur. Domini sunt sagittæ; quia non solùm ad bona, sed etiam ad mala, dum non sint peccata, hæc enim solùm permittit, concurrit DEUS, & illa vult, ut morbos, dolores, & similia. Isai. 45.

Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, bonum intellectum, *& creans tenebras*, ruditatem, *faciens pacem & creans malum*, bellum. Item, Ecl. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Item Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Mala enim pœnæ infert DEUS, vel ut nos sanet, è peccatis educat, ob quem finem etiam Medicus dat amaras potiones, secat, urit, Ps. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt cum conversione* scilicet ad DEUM. Vel hæc mala immittit DEUS, ut præservet à peccatis. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet, &c. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* Vel illas DEUS immittit, ut quis magis in virtutibus proficiat, ut S. Jobo. Igitur cum præservari vel eripi à maximo malo, aut etiam ad majus bonum promoveri sit felicitas, etiam pati erit felicitas. Præterea felicitas est posse aliquid DEO pro ejus in nos beneficiis reddere; hîc verò redditur. Christus pro nobis effudit sanguinem, pro illo martyr effundit. Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Ille pro me bibit de manu crucifixorum, ego pro illo de manu me odientium. Ille Luc. 12. *Positus est in signum cui contradicetur.* Ego *quasi signum ad sagittam.*

Jam quo ex dictis modis beatitudo pervenit ad S. Sebastianum? Si vitam Sancti consideremus, non videtur quòd DEUS illi in pœnam sagittas immiserit. Dicit de illa vetus legenda; *Erat vir totius prudentiæ, ex universâ morum honestate præclarus*, inprimis devotus, & cùm DEUS illi bona contulisset, quotidiè gratias agebat; nam primo fuit incola Narbonæ, tum Mediolani, demum Romæ Præfectus militum. Et quia maximè conciliat victoriam spes in DEUM, nihil suis viribus tribuendo, cùm iret ad bellum, totam fiduciam reponebat

nebat in DEO; discant hoc milites Spes in DEO dat victoriam, videte eos qui orbem totum debellârunt. Cyrus 1. Esdræ 1. DEO cœli ædificari jussit templum, &c. Quid DEUS Isai. 45. *Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*, &c. versu 2. 3. 14. 15. dedit illi regnum Persarum ratione Patris, Medorum respectu Matris: deinde bello totius orbis dominium. Videamus Græcorum. Alexander DEUM verum invocavit, victimas & vota pro se jussit offerri, ut scribit Josephus de antiq. Jud. libro 11. Videamus Romanorum. Et isti DEO verose commendari expetierunt. 1. Machab. 12. Muretes ut Leun. hist. lib. 5. Christianos Turca vicit, sed priùs coram DEO vero unigenito cecidit, oravit, spem in DEO posuit. Idem fecit Amurates contra Ladislaum in Hungaria, idem Tamerlanes contra Bajazetem. Denique nullum est bellum, in quo, fidendo suis viribus non DEO, quis vicerit. Hinc semper victor Sebastianus. Circa seipsum etiam erat perfectus, nullus in mensa, vestitu luxus, ordinata domus. Erga proximum charitas magna, defendit pupillos, dabat eleemosynas. Justitia erat summa in eo, hæc enim est altera virtus quæ tribuit victoriam, non jam adduco pro hac re aliquem Prophetam vel Apostolum, sed audite Totilam Gothum ferum, cujus verba Procop. lib. 3. de bello Gothico hæc ponit. *Majores nostri victoriis orbem implevêre non tam ferro quàm justitiâ fulgente, qui tamen ubi æquitatis violavêre jura, quanquam centum millia veterani militis habuerint, à septem millibus Græcorum victi sunt, exutique fortunis. Nos parva manus, viginti millia Romanorum cæcidimus, caput orbis sub pedibus habemus, & aderit deinde secundis cum auxiliis nobis DEUS, si à rapinis, cædibus, & libidine fœminarum nobis temperemus: tunc enim Gothica castra præceder justitia, justitia autem bellorum temperat sortes.* Uno verbo ita virtuosus fuit Sebastianus, ut

Conc.

Conc. hod. dixerit de illo S. Vinc. *Etiamsi non fuisset Martyr, fuisset excellentissimus Confessor.*

An verò in Sanctum permisit sagittas, ut eum â peccatis præservaret, si hæ non fuissent illi infixæ? hoc soli DEO notum, qui scit sub quavis conditione quid futurum fuisset. Certè si mores Divi spectemus, à lapsu illi metuere non possumus. Ex verbis proditur quo sit plenus, sic avarus de lucris loquitur, &c. *Voces sunt earum quæ in anima sunt passionum notæ.* Matth. 17. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Unde si Sanctus benè fundatus fuit in DEO, timere ille non potuit. Fuit summa Christianorum persecutio, ille in domibus, in carceribus fidem instruit, ad Martyrium roborat. Torquebantur Romæ Marcus & Marcellinus fratres, ut Christum abnegarent, accedebant uxores illorum & proles idipsum urgendo, & jam prævalere incipiebant. Tum Sanctus. *O Fortissimi milites, ô divini prælii bellatores, per nimiam virtutem pervenistis ad palmam, & nunc per misera blandimenta coronas deponitis sempiternas?* &c. Ita corroboravit ut non solùm illi, sed & qui ad seducendum illos venerant, Martyrium susceperint.

Superest ergo ut dicam sagittas infixas Sancto ut Jobo, ut eum majorem facerent sanctum. Job. 6. *Sagittæ Domini in me sunt.* Postquam sanctos illos Fratres confortavit, renunciatum id Cæsari. Vocat Cæsar: es Christianus? Sum. Es proditor. Semper fui fidelis, tum minatur Sancto sagittas nisi deserat Christum. Eligit Sanctus & configitur, ut instar erinacei appareret, ut mortuus deseritur, sed à Christianis vivus reperitur, qui eum in domum quandam deferunt, sagittas extrahunt, & curant. Paulò post Domitianus & Diocletianus eunt ad idola adoranda, occurrit illis Sanctus dicens. *DEUS me suscitavit ut reprehendam vestram malitiam.* Tum jussu Cæsarum in hippodromo fustibus contusus moritur, corpus

in canalem sordium subterraneum abjicitur. Quod nisi contigisset Sancto, neque in Ecclesia tam fuisset gloriosus, neque contra pestem Patronus, contra quam sagittæ ejus sunt antidotum, ut passim Christiani experiuntur.

Quid nos respectu Sancti? Ps. 63. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*; Non jam bonorum spoliatio, vulnera, mors nos impetunt, sed irrisionibus, dicteriis à DEO revellimur, lenes nobis DEUS dat medicinas quibus nos peccatis exolvat, præservet, faciat meliores, & plagas putamus graves.

In Festo S. Agnetis Virg. & Mart.

CONCIO.

Quæ paratæ erant intraverunt ad Nuptias. Matth. 25.

CHRISTUS regnum cœlorum ordinavit in modum Reipublicæ Romanæ. Omnes cives Romani erant Quirites, omnes nobiles: tamen alii fulgebant coronâ civili, alii navali, & murali, alii vallari, &c. ita in cœlo omnes sunt Reges. Apocal. 22. *Regnabunt in sæculum sæculi.* Tamen alii fulgent coronâ (quas vocant Aureolas seu Laureolas) Doctorali, alii Martyrum, alii Virginali; & certum est quòd S. Agnes habeat duas posteriores. Videamus utra illarum major in Sancta.

Has coronas indicavit Exod. 25. *Facies mensam, in ipsa coronam, & super ipsam alteram coronam.* Assident Sancti mensæ coronati ut Reges, Christus *transiens ministrat illis.* Sed apud aliquos præter communem coronam est alia corona; & in

in nullo ſunt plures quàm tres, quia coronæ dantur certantibus, triplex verò ſolùm certamen eſt: contra mundum, diabolum, carnem. Doctor vincit diabolum, cujus fraudes detegit; errores in quos inducit, aperit. Martyr vincit Mundum, ejus bona, etiam ſuum corpus deſerendo. Virgo carnem. Item, in homine tria ſunt præcipua: Eſſe rationalem, hoc captivat Doctor in obſequium fidei: Appetitus iraſcibilis qui impellit ad avertenda à nobis mala, de hoc triumphet Martyr: Appetitus concupiſcibilis quo ferimur in ea, quæ ſunt grata ſenſui, de hoc Virgo. Jam quæ aureola ex duabus in B. Agnete major? In ſe qnidem quæ major iſtarum trium corona, ex duobus concludi poteſt. Quia Doctor circa veritatem verſatus quærit res digniſſimas: Martyr circa rem difficillimam, ſed non ita diuturnam: Virgo rem difficillimam, ſed per annos plures. Quid horum majus? ſit ſanè mundus contra quem pugnat Martyr; ſit ſanè dæmon contra quem Doctor, ſed horum hoſtium jam à Chriſto fractæ ſunt vires. Joan. 16. *Ego vici mundum.* Apocal. *Alligatus eſt Sathanas*, quia Chriſtus cum his pugnavit; ſed bellum nunquam iniit cum carne, nunquam ab ea laceſſitus. Igitur hic hoſtis non eſt fractus, ac proinde cæteris robuſtior, atque ex hac parte præſtat cæteris laureola Virginalis. Quodſi aliquis Sanctus duas vel tres habeat, illa in eo major erit pro qua impendit plùs laborum.

Pro aureola Virginali hic labor Agnetis. Conſpexerat eam aliquando filius Præfecti urbis Romæ, qui honor ſecundus poſt Imperatorium, & ita adamavit, ut vellet habere uxorem, miſit munera. Ad iſta Agnes. *Diſcede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa ſum.* Quomodo aliæ ſtultam, aliæ propterea ſuperbam dicebant, ſuſtinuit Agnes, & iſte labor erat alter. Illa in hoc prudentiſſima. Deuteron. 16. *Munera*

excæ-

excœcant oculos sapientum, & mutant corda justorum. Tertius: votum fecit castitatis annos habens duodecim. Tum in febrim lapsus Præfecti filius, agnitum à Medicis, quod propter amorem, & Patri aperuit quòd Agnetem adamaverit. Pater solatus, promisit illam fore uxorem vel concubinam. Vocata Agnes ad Præfectum venit cum Parentibus; tractatur de matrimonio. Sed Agnes: *Ipsi sum desponsata cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* Præfectus ubi advertit esse Christianam, ad terrores versus. At illa: *Annulo suo subarrhavit me Dominus*, &c. Tum Præfectus jussit illam duci ad lupanar, & proclamari, ut qui vellet abuteretur illâ, & sic occideretur. Ecce quartus labor Agnetis. Ducta est nuda, sed subitò capilli in tantum creverunt, ut texerint totam; ubi deducta est, circumdata est ab Angelo lumine, & veste induta candidissimâ, & tunc potuit dicere, Isai. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me Dominus vestimentis salutis.* Quintus labor. Intrabant plures Juvenes, sed territi lumine recedebant; sed Præfecti filius, qui audaciùs irruit, à dæmone suffocatus. Audito hoc Præfectus, increpat Sanctam ùt veneficam. At illa. *Ille cujus voluntatem volebat perficere, in eum potestatem accepit.* Tum orat Præfectus: si non es venefica, resuscita filium. Fecit, & ille factus vivus exclamavit. *Vnus est DEVS in cœlo, & in terra, & in mari, qui est DEVS Christianorum.* Et hîc duo fecit Beata, suscitavit istius corpus, suscitavit & animam, quod est priore majus; nam Augusᴛ. in Joan. 14. *Majus est de impio justum facere, quàm cœlum & terram creare.* Idem asserit S. Th. 1. 2. quæst. 113. art. 9. Ex quo patet à contrario, quod qui alium in peccatum inducit, plus mali facit, quàm si cœlum & terram destrueret. Hæc S. Agnes pro laureola Virginitatis.

Jam pro laureola Martyrii. Voluit hoc miraculo viso Præ-

Præfectus liberare Agnetem: ſed obſtiterunt ſacrificuli. Ideò ipſe receſſit, & Vicarium ad hanc cauſam ſubſtituit Aſpaſium. Hic juſſit Agnetem exuri, ſed flamma relictâ Agnete miniſtros Aſpaſii combuſſit. Ecce primus labor. Tunc Agnes. *Omnipotens, adorande, colende*, &c. Jam labor ſecundus. Aſpaſius jubet Sanctæ guttur gladio transfigi, & ſic mortua. Jam judicate, pro qua laureola plùs fecit Agnes. Ego tali argumento pro laureola virginitatis concludo. Ipſa propter virginitatem etiam ipſum ſubiit martyrium; itaque majorem habet laureolam virginitatis quàm martyrii. Et hanc cauſam puto, cur de virginibus hodie legatur Evangelium. Et quia per oleum intelligitur charitas, oleum ejus non defecit, quia nec amor DEI ſive charitas deficit, ideò parata introivit ad Sponſum. Oſtendit ipſa id Parentibus apud ſuum ſepulchrum orantibus. Viderunt enim exercitum ingentem virginum prætereuntem cum magno lumine ac palmis, inter quas Agnetem ad dextram, habentem agnum candidiſſimum, quæ ſubſiſtens dixit. *Videte, ne me quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi.* Propter hanc viſionem fit ſecundò Feſtum S. Agnetis.

Sed antequam hinc recedam, aliquid ſumam de oleo Virginis ſapientis, & quoddam arcanum cœli indicabo. DEUS cùm ad cœlum prædeſtinat, ſimul deſtinat cum quibus & quantis meritis quiſpiam cœlum accepturus. Itaque non dabit gloriam, niſi tantum afferamus nec minùs meritorum. Scimusne jam nos tantum habere, cur itaque torpemus? Veneruntusque ad portam Sponſi Virgines fatuæ, ſuntne admiſſæ quia defecit oleum? Plùs, dico, intraverat alter jam ſponſi cameram; ſed quia defuit veſtis nuptialis, ejectus eſt. *Amice, quomodo huc intrâſti?* plus meritorum afferre debet Sacerdos quàm laicus, plus Prælatus quàm Sacerdos, *cui plus datum, plus*

ab eo requiritur. S. Gregor. docet quosdam non posse salvari, nisi mundum deseruerint. *Instanter operare quod sua manu potest.* Addidit Virginitati Agnes Martyrium.

In Festo S. Francisci Salesii. CONCIO I.

Tradidit illis bona sua. Matt. 25.

ORigenes lib. 2. in cap. 2. ad Roman. Episcopus lucem cœli. *Et lux cœli, & Doctor ad illuminandum eos, qui in scientia cæci sunt.* In quo alludit dictum Christi, *Vos estis lux mundi.* De luce inventa in Scriptura. 1. Gen. 1. *Vidit DEUS lucem quòd esset bona.* 2. Quòd mala opera malorum detegit. 3. Quòd omnia verè sine fuco ostendat. Quia onus magnum commisit Episcopis, oportet triplicem Sanctitatem habeant. 1. Personalem: ut, etiamsi non essent Pastores, adhuc essent Sancti. Secundò, ut sint Sancti in regenda domo sua. *Qui enim domum suam regere nescit, quomodo reget Ecclesiam DEI?* Tertiò, ut habeat sanctitatem Pastoralem. Ex his Pastori nulla sine altera sufficit ad salutem. Comprehendit hæc omnia 2. Tim. 1. *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere DEO,* ecce primum. *Operarium inconfusibilem,* ecce secundum. *Rectè tractantem verbum veritatis,* ecce tertium. Et in his omnes sancti laudes continentur, quas aggredior.

Curavit Sanctus vitæ personalis sanctitatem, & in ea summus evasit. Præceptis DEI & Ecclesiæ intentus, operibus misericordiæ, quia non tantùm damnatur qui agit malè, sed qui etiam non agit benè, ùt patet ex Matth. 25. ubi propter solam bonorum omissionem, jubentur ire in ignem æternum. Quia verò præcipua sunt peccata, in quæ solent labi nondum in statu constituti; luxuria & detractio, ab iis Sanctus diligen-

gentissimè cavit. Votum castitatis fecit Laureti Juvenis, & implevit. Talibus magna promisit DEUS. Isai. 56. ùt legit S. Gregor. *Hæc dicit Dominus Eunuchis*, qui voto facto sibi potestatem ademerunt. *Qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ volui, & fœdus meum coluerint, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* de quo Gregor. Pastor. p. 13. *Quo apud Patrem loco habeantur ostenditur, quia in domo Patris, videlicet æternæ mansionis, etiam filiis præferuntur*, proinde ad cogitationes vehementer Sanctus attendebat, conscientiam sæpiùs de die inspiciebat. Quia ut Greg. libro 6. cap. 1. in Reg. *Nil faciliùs quàm libido vincitur, si omnis immunda cogitatio devitetur, tantò faciliùs disperdi potest, quantò unusquisque cogitare alia quàm carnis oblectamenta potest.* De cætero dixit DEUS, Gen. 6. *Non requiescet Spiritus meus in homine, quia caro est.* Et quæ mala non supervenient, si Spiritus S. defuerit. *Sine tuo Numine nihil est in homine innoxium*, sequentur innumera peccata. Adhibuit ad hoc Sanctus jejunia; quia S. Evagrius ut est in vitis PP. *Super omnia monebat Fratres, si qui fortè studium gererent, vel humiliandi corporis, vel phantasias ab eo dæmonum repellendi, ne in bibenda aqua largiori mensurâ uterentur.* Quid diceret de aliis potibus? A detractione summè cavit Sanctus, quia hæc non dimittitur nisi factâ restitutione famæ, & ùt docet S, Th. ex genere suo est mortalis, & tollit cognitionem veritatis. Greg. lib. 8. ep. 45. *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant? atque in oculos suos terram excitant, ut unde plùs detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant?* Tantum verò est crimen, ut dixerit Abbas Ipericius in vitis PP. libro 2. Monachis perpetuò jejunantibus. *Meliùs est comedere carnes & bibere vinum, quàm comedere in vituperatione carnes Fratrum.* Quæ eadem verba habet S. Ephr. in Parænesi. Addebat opera bona, orabat frequenter, mortificationes addebat, visitabat infirmos, occupationibus suis in-

intendebat, & quidem ſtudiis adeò, ut, expletâ Philoſophiâ, & Theologiâ Doctor in utroque Jure evaderet. Uno verbo, *ſollicitè* curavit ſeipſum *probabilem DEO*. De vita, non de Nobilitate judicabit DEUS, &c. *Vidit DEVS lucem, quòd eſſet bona*. Qui boni ſunt, videbit illos ut bonos diſpenſatores bonorum ſuorum.

Fuit Sanctus illuſtri genere, vocabatur ut eſſet in Sabaudia Senator, quo ſpreto, Genevenſis Eccleſiæ factus fuit Præpoſitus. Nam cùm illi ſemel equitanti ter gladius exciderit, & ſemper in terra crucem deſcripſerit; monuit illum ad Eccleſiaſticam vocari diſciplinam. Hic jam non ſolùm de ſua, ſed etiam ſuorum ſalute ſenſit ſibi imponi ſollicitudinem. Nam non ſatis eſt ad ſalutem, ſi quis ſanctè vivat, familiam verò habeat diſſolutam, erunt hæc aliena peccata, ſed quæ in caput ipſius recident. Ipſe exemplo in omnibus præibat. Turbatus Rex Herodes, turbata cum illo Jeroſolyma; de quo Bernard. ſerm. 3. in Epiph. *Nec mirum, ſi turbatur Herodes. Sed quòd Jeruſalem, civitas DEI, quæ eſt viſio pacis, cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, Fratres, quantùm noceat iniqua poteſtas? quomodo caput impium, ſubjectos quoque ſuæ conformat impietati?* Ipſe ſuos ad Miſſam audiendam convocare, ipſe Feſtis ſolennibus ad S. Confeſſionem & Communionem; nulla pati verba obſcœna, perjura, blaſphema: ipſe de noctibus ſuorum ſcire, nulli interea merces detenta, ſed neque otioſus detentus. Nulli contumeliæ irrogatæ, ſed juſta caſtigatio non dilata. Greg. in 2. Reg. c. 3. *Notandum eſt* de Heli, *quia qui iniquè agentes filios non corripuit, iniquitatem feciſſe reprehenditur, quæ in æternum victimis, & muneribus nequaquam expietur. Quæ ergo erit diſtinctio iniquitatis propriæ, ſi irremidiabilis eſt negligentia curæ alienæ?* Sed qui debet corrigere ſuos, oportet illum *Operarium eſſe inconfuſibilem*, ut nihil ipſi opponi poſſit quo confundatur; ſit ſpeculum ſine macula.

Omnes

Omnes illum inſpiciunt, & facilè ſi quid eſt nævi advertunt. Sint Cant. 5. *Labia ejus diſtillantia myrrham probatiſsimam.* Sint ejus *Manus tornantiles aureæ*; faciat ipſe bonum, quod jubet alios facere, ſit in eo quod dixit Euſeb. hiſt. 6. cap. 3. *Quale habet verbum, talem & vitam.* Nam ut Nyſſen. orat. in obitu Baſilii. *Quis ignorat quòd omnis oratio ab operibus disjuncta, vana per ſe ſit, & non ſubſiſtat?* Neque tamen ſit nimis ſtrictus, ut nec diſſolutus. Hier. ad Fabiolam. *Super humerali rationale copulatur, ut non ſit laxum, neque diſſolutum.* Verba Domini ſunt ùt virga Moyſis, quæ quando in terram projecta eſt, fuit ſerpens, nihil aliud edidit niſi ſibilos: quando in manus ſumpta, quando addita verbis opera, fuit ſcipio & fulcrum. Vult ſuos pœnitere, ipſe agat pœnitentiam, &c. 1. Timoth. 4. *In omnibus exemplum eſto fidelibus.* Ad hoc advertit Pſ. 7. *Exurge Domine, in præcepto quod mandâſti, & Synagoga populorum circumdabit te.* Remigius in l. c. *Appare, & manifeſtare in præcepto. quod mandâſti primis Parentibus in obedientia & humilitate, ut per illam converteres eos ad te.* Præcepiſti obedientiam, da illius exemplar tuo Patri: & dedit. *Factus obediens uſque ad mortem.* Idem de jejunio, oratione, amore inimicorum, tunc *Synagoga populorum* circumdedit eum, paruit dictis. Quare Chryſoſt. *Qui facit quod docet, ille verè docet: qui autem non facit, non alium docet, ſed ſeipſum commendat.* S. Auguſtinus, cùm ad Statum Eccleſiaſticum aſcendit, de domo ſua fecit Monaſterium, & ajebat, ut dicit Poſſidon. non debere cum Clericis habitare affines etiam proximas. Ad Sacerdotium raptus non intruſus, latitabat per triennium in eremo, illud fugiendo.

Non priùs S. Saleſius à Granerio Epiſcopo aſſumptus ad Coadjutoratum, quàm dediſſet ſpecimen laboris Epiſcopalis, & merito dignus aſſumi debet, & quomodo dignitas, cujus nunquam conſpecta eſt dignitas? miſſus à Granerio ad vindicandos

candos ab hæresi Calvinistica Caballicenses, & alios finitimos Genevæ populos, multa ibi perpessus, sæpè ad necem conquisitus, calumniis oneratus, denique 72 millia hæreticorum ad veram fidem reduxit. Assumptus à Granerio veris & Canonicis causis, eique mortuo successit. Tum verò prioribus habitis jam gradibus sanctitatis ad tertium, qui perfectior est quovis monastico, enixus. Primam curam habuit S. Canonibus satisfacere per omnia, prædicare tanquam proprium, ut est, habuit. Diœcesin annuatim per se invisere. Synodos quotannis celebrare. Nullam domi suæ fœminam aut hæreticam pati. Sacrum, si posset, quotidie facere; si non posset, audire. Judicia spiritualia exercere, in Cathedra frequens esse. Confirmationis Sacramentum per totam diœcesim circumferre. Templa & Altaria consecrare, nulla tempora ab Ordinandis vacua transmittere. Testamentorum executionem urgere, decentiam in vestitu & moribus à Clero exigere, publica persequi peccata, providere ut Hospitalium administratio, Monialium clausura secura essent. Nihil innovare, dies fori è diebus festis tollere, jejunii observantiam urgere, Theologos & Canonistas ad latus habere, & cum iis crebrò conferre. Seminaria revidere aut erigere. Rationes Visitationum evolvere, & medicinas malorum meditari. Causidicos qui oppressis iniquè Clericis adessent, suo ære alere; de ratione scholarum inquirere, pluralitati Beneficiorum obviare, ne in loco indecenti sacrificium offeratur, cavere, denique quidquid S S. Canones præcipiunt, exercere. Confecerat in subsidium hujus curæ sibi aliquot catalogos, quibus relegendis omni septimana dabat certas horas. In primo: erat necessitas, & reditus cujusque suæ Ecclesiæ ut illi prospiceret. In alio: vita, mores, doctrina, merita, uniuscujusque suorum Clerici, ut meritos proveheret. In tertio: viduæ egentes, & orphani, & alii miserabiles

rabiles, ut illis consuleret. In quarto: vitia publica persona-rum, ac hæreses, ut illis occurreret, quos omnes Catalogos juxta Visitationes quotannis restaurabat. In quinto: Eccle-sias non consecratas, non confirmatos Sacramentaliter, ne illos omitteret. In sexto: lites circa patrimonium Ecclesia-sticum. In septimo: Oeconomia, ut videret ne alicubi sub-diti gravarentur, aut etiam officio irrationabiliter deessent. In octavo: gratiæ & dispensationes concessæ variis, & earum usus vel abusus. Hæc omnia juxta summum ordinem. Jam aliæ fuerunt consultæ rationes circa ædificia, familiam, ex-pensas, &c. Clericis ferè implebatur aula, nec ullus in ea cri-mine notatus, ad mensam sacra lectio fiebat; casuum & re-rum Spiritualium conferentiæ. Nihil vanum, nihil sæculare, nullæ expensæ non sanctæ, nulli data sine justa causa dispen-satio, nullus nisi auditus & convictus pœnæ destinatus, idque servato juris processu. Incurrebant in Diœcesim hæretici & mali Catholici, tantò ille fortior, memor quid scripserit Gre-gor. in Evang. *Tranquillitatis tempore plerumque ad gregis custodiam sicut verus Pastor, ita mercenarius stat, sed lupus veniens indicat quo quisque animo ad gregis custodiam stabat, &c. Fugit non mutando locum sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit, & tacuit. Qui-bus benè per Prophetam dicitur Ezech. 13. Non ascendistis ex adverso, neque opposuisti murum pro domo Israël; ut staretis in prælio Domini.* Fuit in eo summa charitas erga oves, sicut Greg. l. c. legit. *Si-cut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & cognoscor à Patre, quia animam meam pono pro ovibus meis, id est, eâ charitate quâ pro ovibus morior, ostendo quantùm diligo Patrem.* Bona in reparationem Ecclesiarum ac apparatum, in successum pauperum expende-bat, in quo justitiam aliquomodo & eleemosynam explebat. Basil. serm. 3. in divites avaros. *Quantùm cæteras antecellit chari-tati esurientem, pascere ex ipso Conservatore conspice, qui, cùm alia sæpè præ-*

præterit humana incommoda, tamen esurientes respiciens, ait: Misereor super turbam; idcirco in extremo judicio. Esurivi, & non dedistis mihi, &c. Ille dotem periclitantibus, ille ingenuis ad studia impensas, ille captivis lythrum, &c. Et DEUS admirando modo augebat opes. Hæc fuit Sancti Pastoralis sanctitas. Hoc modo *rectè* tractavit *verbum veritatis*; illi possunt verba S. Paulini attribui. *O verè sal, quo præcordia nostra, ne poßint errore sæculi vanescere, condiuntur,* Illi possunt Isai. 52. *Quàm pulchri super montes,* super solium, *pedes evangelizantium pacem!* de his pedibus dici potest Ezech. 1. *Pedes eorum pedes recti.* In concionando illi potest attribui, quod Hieron. de Augustin. *Contra flantes ventos ardore fidei perstitisti.* Charitas Sancti in omnes se diffundebat, dabat eleemosynas corporales, dabat & spirituales, sed ut illas ad finem mundi daret, instituit Ordinem Sanctimonialium à Visitatione B. Virginis nuncupatum, additis constitutionibus sapientiâ, discretione, & suavitate mirabilibus. Libros aliquot conscripsit tam suaves, tam ordinatos, tam claros, ut ad perfectionem Christianam non tam currere quàm volare faciat. Denique nullam boni Pastoris omisit partem. Fuit in eo summa erga Sedem Apostolicam obedientia, summa humilitas cum affabilitate conjuncta, summa abstinentia, & rerum mundi contemptus. Priùs fecit omnia quàm docuit, quare *magnus est in Regno cœlorum.* Magnus inter Doctores, quia docuit. Magnus inter Monachos, quia novum Monialium ordinem instituit. Magnus inter Martyres, quia plurima ab hæreticis perpessus. Magnus inter Confessores, quia in omni virtute ad mortem perseveravit.

De Eodem. CONCIO II.

QUI vult considerare, quomodo DEUS dimiserit illustriores in sua Ecclesia personas, legat Ephes. 4. *Ipse dedit quos-*

quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Miratur Hieron. & Haymo, cur Prophetas, &c. solos ponit, Pastores verò simul cum Doctoribus. Et respondet Hieron. *Quòd, quicunque sunt Pastores, iidem debent esse Doctores.* Sed ex l. c. idipsum colligitur, quia quinque sunt fines, propter quos Pastores instituti, seu quintuplex illorum officium; ita enim ibi consequenter S. Paulus. 1. *Ad consummationem Sanctorum.* 2. *In opus ministerii.* 3. *In ædificationem corporis Christi.* 4. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei.* 5. *Vt jam non simus parvuli fluctuantes.* Ad hæc quinque sunt Sancto data bona Domini; videamus, quomodo per illa fecit lucrum.

Debet inprimis uti bonis Domini Pastor, *in consummationem Sanctorum*, id est, ad sancta consummanda, quæ erant pars nobilior templi, quæ solùm semel in anno Sacerdos summus ingrediebatur. De his enim hìc loquitur Paulus. Unde legit & explicat Chrysost. *Ad completionem, omniumque partium justam absolutionem.* Unde Pastor debet templa sæpè & suos accedere, veluti murum cum funiculo videre, quis malè emineat lapis, quis introrsum recesserit, ubi incrustatura decidit, ut resarciat. Ad quod circa suos opus scientiâ, ideò simul sit Pastor & Doctor. Eminent hæretici, plus volunt sapere quàm tota Ecclesia, oportet illos cum aliis coæquare: ad quod opus malleo verbi DEI & scientiâ, aliàs non erit Pastor & Doctor. Jer. 23. *sicut malleus conterens petras*, de verbo DEI dicit. Eminent extra muros, Ambr. epist. 79. *Qui cùm in domo Domini habitare non possint, conventicula sibi quædam præparant.* Amos 1. *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* In quæ verba Greg. Pastor, p.3. *Galaad acervus testimonii, Ecclesiæ prægnantes animæ, Hæretici mentes Fidelium, quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant, perversâ prædicatione perimunt, & scientiæ sibi*

nomen extendunt. Contra tales est opus verbo DEI, quo errores rerum revellantur, ùt fecit S. Salesius in Rhætiis & in Helvetis, & plura qnàm 70 millia cum muris Ecclesiæ coæquavit. Sunt alii lapides qui introrsum abierunt, qui præ pusillanimitate viam virtutis fugiunt, his animi addendi. Sunt tepidi, qui ornamenta virtutum non quærunt; his dicendum cum S. Sylvano, ùt est in vitis P P. *Ante omnia præ oculis habeamus ultimum diem, & momentis singulis æternorum suppliciorum tormenta formidemus. His enim causis anima se incipit agnoscere, corpusq́ jejuniis ac vigiliis deprimens, ipsam mœrore luctuque continuo perseverat, donec Spiritûs S. calore succensa supernæ contemplationis mereatur auxilium.* Et hoc fecit Sanctus, & in vita suo verbo, & post, facit libris. Qui hoc non præstat, non est Doctor, ac proinde nec Pastor. Gregor. Pastor 2. c. 5. *Pastores non solùm sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad illius membra miserando descendunt. Hinc Moyses crebrò ad tabernaculum intrat & exit.* Quare non solùm debent nosse vultum pecoris sui, sed ut ibid. Greg. *Tales sese qui præsunt exhibeant, quibus subjecti occulta quoque sua pandere non erubescant: ut cùm tentationum fluctus tolerant, ad Pastoris mentem, quasi ad matris sinum recurrant.*

In opus ministerii. Opus Pastorem esse in continuo ministerio: consecrare Ecclesias, &c. orare pro suis, ùt faciebat Paulus, Philipp. 1. *Testis est mihi DEUS, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* Alioqui quomodo pretium laboris sine labore accipiet? De Pastoribus dicit Hugo. *Ad operandum sunt dati isti, non ad otiandum; ad onus, non ad honorem.* Quare omnia debent alia relinquere, & soli ministerio incumbere. Gregor. Pastor, p. 2. c. 7. *Nonnulli velut obliti, quòd Fratribus animarum causâ Prælati sunt, toto cordis adnisu, sæcularibus curis inserviunt.*

Cùm

Cùm subditus proficere spiritualiter appetit, in ejus exemplo qui sibi prælatus est, velut in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite in cassum membra vigent, & in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Ita tempore S. Gregorii acciderat. Videamus Sanctum, an se ulli alteri negotio quàm ministerio impenderit? Putabat sibi dictum Act. 1. *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quos assumpsi eos.* Interrogabat se. Ad quid vocatus es? hocne tuum opus, in quod es segregatus? Tuum est ministrare. Nemo sæcularibus se implicans negotiis, &c. Quid respondebis Pastori supremo? Opus ad hoc ministerium & doctrinâ, & labore. Quid respondebo, cùm dicetur mihi. *Custos, quid de nocte?* Stetine pro populo sicut Aaron cum thuribulo, ut placarem iram DEI? Itane ferventer oro, ut DEUS dicat mihi quod Moysi, Exod. 32. *Dimitte me, ut irascatur furor meus?* Tum lustrabat omnes defectus Ecclesiæ suæ, omnes angulos Diœcesis inspiciebat, remedia procurabat. Necessitatibus tam spiritualibus, quàm temporalibus succurrebat. Ezech. 44. *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient.* Explicat hoc loc. cit. Greg. *Capilli in capite, exteriores sunt cogitationes in mente.* Non debent ali, neque tamen radi, ut de illis nihil supersit, quando necessitas exigit.

In ædificationem corporis Christi. Caput est Christus; membra Fideles. Caput formatum à Spiritu S. membra facta à DEO, debent à Pastore perfici. Facta sunt per peccatum ex his membris aliqua membra dæmonis. Bern. in capite Jejunii. serm. 1. *Quis non sola contremiscat auditu? Abscissus à corpore Christi Sathanæ miser incorporabor.* Videte, quale peccator monstrum est. August. 2. Confess. 3. *Excesserunt caput meum vepres libidinum.* Alia membra qualia? Proponebat Sanctus tanquam Doctor, hanc & alias peccati turpitudines, & ita vivè illas depingebat, ut horrorem cuique incuteret, pectus quaterent. Osten-

Ostendebat, quale sit judicium meritus, quas inferni pœnas. Imitabatur in hoc DEUM, qui dixit peccatori. Ps. 49. *Arguam te, & statum contra faciem tuam.* Hieron. legit. *Proponam te ante oculos tuos*, sicut fecit Augustino 8. Conf. 7. *Et constituebat me ante faciem meam, ut viderem quàm turpis essem.* Si se benè aspiciat homo, dicit Basil. *Fortè graviorem quàm tenebras, & ignem æternum fore hunc pudorem*, in judicio extremo, ibi enim se videbit homo, qui se hîc non vult videre. Videbit & in inferno, *ut nunquam non ob oculos habeant sceleratæ vitæ vestigia, tanquam inevitabilis alicujus tincturæ effigiem & formam.* Videat peccator statum suum. Oseæ 8. *Devoratus est Israël, nunc factum est in nationibus quasi vas immundum.* Cyrill. pro *devoratus*, legit, *absorptus est tanquam à dracone.* Pro *vas immundum*, Hebr. legit, ùt affirmat Ruffinus, *quasi macula.* Imò hîc sumitur continens pro contento, quia id sequitur ex devoratione; quod pudet eloqui. Fœtidum dæmonis; coquit in ventre suo hominem, dum consensum obtinet; ejicit, dum factum sequitur. Ædificat ergo Pastor corpus Christi, cùm ex membro, & vase immundo dæmonis facit membrum Christi; & facit ingens miraculum. S. Th. in 3. dist. 46. art. 3. *Majus est vivificare impium, quàm creare cœlum & terram:* quia in creatione nihil est quod repugnet creanti; hîc verò est. Hoc ipsum dicit Gregor. in Dial. Sed si ipse Pastor fuerit vas immundum, quomodo non ludibrio erit dæmoni, indignationi DEO & Angelis? Hic Sanctus quidquid dixit, priùs ipse fecit; prædicavit contra luxuriam, priùs ipse castus, &c.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei. Specialis cura Pastoris est: docere fidem. Heb. 6. *Sine fide impossibile est placere DEO.* Refutare hæreticos, qui fidem subvertunt. Judæos reducere. Lamentatur Bern. in Cant. serm. 66. *Dolendum valde, quòd non solùm laici Principes, sed & quidam, ùt dicitur, de Clero, nec*

non de ordine Episcoporum, qui magis hæreticos persequi debuerunt, propter questum sustinent, accipientes ab iis munera. Et quomodo, inquiunt, damnabimus, non convictos nec confessos? Frivola satis, non ratio, sed occasio. Agebat vehementer Sanctus contra hæreticos, reducebat in usum S S. Canones contra Judæos, &c. Quidsi adhuc amicitia cum illis intercedat apud aliquem? Ambr. de Offic. 3. c. 16. *Non potest homini amicus esse, qui DEO fuerit infidus.* Greg. Moral. 25. c. 10. *Impius propriè dicitur, qui à Religionis pietate separatur.* De talibus Propheta ait, Ps. 1. *Non resurgent impii in judicio.* Sperant huc etiam pseudopolitici, quibus fides tantùm in ore, nec integra, ideo nulla. Id. ibid. *Multos peste propriæ pravitatis obsessos sub Christiano nomine ipsa tranquillitas Ecclesiasticæ pacis abscondit, quos tamen si levis persecutionis aura pulsaverit, mox extra aream tollit.* Credere se dicunt, quia pudet inter Christianos se non profiteri Christianum, sed si hic pudor abesset, invenirentur esse Athei. Quare Sanctus providebat, ne vel unica esset persona, quæ mysteria fidei ignoraret. Inter hæreticos ponebat doctiores Parochos, etsi tenuiores essent reditus, quia doctrina Clerici debet servire Christo, non opibus; bono Ecclesiæ, non crumenæ. Pseudopoliticos tanquam Doctor iisdem rationibus confutabat, quæ contra paganos adhibentur. Siquidem ad eas accedunt, imò fortè sunt deteriores, cùm nullum DEUM agnoscant, & in omni cultu Divino mentiantur.

Vt jam non simus parvuli fluctuantes. In hoc denique Pastoris cura debet esse, ut non sint parvuli ejus populi, *quibus lacte opus, sed jam solido cibo* vescantur, ùt ait Paulus. Lac sunt devotiones solùm in externis consistentes, teneritudines quædam. Opus solido cibo, qui firmos & non fluctuantes constituat. Opus solidis virtutibus, quas suos docebat Sanctus. Humilitate, patientiâ, obedientiâ, charitate, injuriarum condona-

tione, restitutione, & his non in speciem. Dedit in his Sanctus exemplum, & docuit. Ambr. epist. 41. *Audiens, diligite inimicos: audiens, dimitte omnia tua, & sequere me: audiens, qui te percutit in maxilla dextra, præbe ei & sinistram, &c. Et hæc non faciens, & vix diligens eum qui me diligat, non dimittens quæ habeo, injuriam acceptam ulcisci volens, & sublata mihi extorquere, cùm Scriptura dicat etiam aliud, id est, plùs quàm petitum aut ereptum est, concedendum: video me contra mandata DEI facere.* Videte, an hoc Sanctus non fecerit, an bona eis animo non dimiserit, &c. an non docuerit hoc ipsum? an non omni studio laboraverit, ut oves suæ essent sine macula & ruga? Fecit & abundè, acceperat bona Domini, fecit de illis lucra, 100 millia animarum adduxit Domino, ecce, hos lucratus sum. Quid illi Dominus? *Euge, serve bone*, &c. Oremus ab illo, ùt Elisæus ab Elia: *Spiritum duplicem*, erga nos & DEI Ecclesiam. Concludo illâ Senecæ, licèt Ethnici, sententiâ. *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quàm qui aliter vivunt, quàm vivendum esse præcipiunt.*

In festo Purificationis B. M. Virginis.

CONCIO I.

Lumen ad revelationem Gentium. Lucæ 2.

INtrat B. Virgo Templum cum abscondito lumine, quod tamen non ita latet, quin adverterit Simeon, qui etiam illud prodit. *Lumen ad revelationem gentium.* Si ad revelationem, cur abscondis? *Sine modò, sic decet omnem implere justitiam.* Facit secundùm *legem Moysis*, quam statuit de puerperis. Sed quid quæris cum hoc lumine? Gentes & Israëlem. O verè Virgo es tu illa mulier, Luc. 15. quæ amissam quærit drachmam; sed

tu

tu illam non amisisti; sed alia, de qua vir questus. *Mulier quam mihi dedisti, dedit mihi de ligno.* Chrysol. serm. 142. *Mulier, quem virum quæris, quem in paradiso perdidisti. Redde virum, mulier, prætermitte naturæ ordinem.* Reddes, S. Virgo; Tu enim, ùt Alcuinus dixit: *Illud lumen, quo inventa est drachma, sedentibus in tenebris & umbra mortis, protulisti.* Profert hoc lumen hodie, & quomodo cum eo drachmam, ubi illud detexit, repererit; videamus.

Non solùm hodie fuit lumen tectum, sed etiam ipsa S. Virgo. Filius est lumen, S. Zeno, serm. 2. de Nativit. *Non potuit circa se aliquid habere immundum, qui humani generis sordes venerat mundaturus.* Lumen Virgo, quia *pulchra ùt Luna*, sed adeò luminosa, ut *Luna* sit *sub pedibus ejus*, non vult ut illam tegat, sed solùm ut sit scabellum. *Mulier amicta Sole*, tam clara ùt Sol; *in hoc Sole DEVS posuit tabernaculum suum.* Processit, ùt Esther 10. Somnium Mardochæus vidit: primò erat ùt fons, qui in fluvium crevit, ex fluvio Sol prodiit. Erat sicut fons. *Cùm essem parvulâ humilitate, placui Altissimo*: facta deinde fluvius, qui *lætificabat civitatem DEI*, cùm ad Joannem ivit in montana: demum ùt Sol cùm mundo per Filium dedit lucem. Si est Sole amicta, est purissima, gemmæ sunt puræ, quia influxus astrorum combibunt, quales essent si ipsa intra se continerent astra? Jam addamus mensibus novem Christum in utero detentum. Credo ego, quòd si quispiam etiam sceleratus in cœlo maneret, inter Beatos uno mense, & ipsum in Sanctum evasurum. Certè solùm triduò moratus in cœlo S. Paulus, & factus ex persecutore Apostolus. Quid Virgo Sanctissima Christum intra se novem mensibus detinendo? Quid ergo hoc lumen tegitur? quid se Virgo S. purificandam sistit? Lex certè solùm jubet illas purificari, quæ ex viro pariunt. *Mulier si suscepto semine*, &c. Nobis purificatione opus, qualis noster partus? *concepit dolorem, peperit iniquitatem.* Bernard. dat ratio-

rationem, ob quam causam Filius circumcisus, ob eandem Mater purificata. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* O humilitas! o obedientia!

Quære, Virgo, quos instituisti. Jam Simeon detegit lumen. *Lumen ad revelationem, &c.* de Simeone narratur. Legebat Biblia Hebraica ùt erat Hebræus Incidit in verba Isai. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Heb. Virgo Hahalma, non capiebat. Quomodo Virgo posset parere, putabat esse Scribæ errorem, & de medio erasit H, ùt esse *Haalma*, quod significat Juvenculam; deinde clausit Biblia, post aliquod tempus in eundem locum incidit, & invenit repositum H, rursus erasit, sed ubi tertiò aperuit librum, invenit H, scriptum auro. Vega ex Niceph. lib. 2. cap. 12. quia verò aliunde scivit jam completa Messiæ tempora; oravit, ut hunc Messiam & Matrem Virginem videret. *Responsum accepit à Spiritu S. non se visurum mortem,* &c. Observabat, dum mulieres cum infantibus intrarent templum, & sicut Timotheus Jerosol. Orat. de S. Simeone. *Justus Simeon huc illucque oculos circumferens, videt quidem multas mulieres, solam autem Mariam Virginem Divino schemate lumineque circumfusam,* ex quo & Messiam, & Matrem ejus cognovit & patefecit. Jam ergo S. Virgo accepisti benedictionem Abrahæ, illius nomine ut Pater esset gentium, cùm antea vocabatur Abraam, apposita litera H, ut esset Abraham; & sibi eodem modo de Nomine DEI tetragrammato, seu quatuor literarum, sumptum H est additum; sed aureum, ut sis Mater aurea. Jam cum lumine quære peccatores, sicut & tuus Filius. Hesichius Jerosol. serm. 2. *Vnigenitus DEI Filius ab ea gestabatur, & Adamum reformabat, & Evam sanctificabat, excludebat draconem, & Paradisum aperiebat.* Iuva in hoc opere, & esto nostra Rachel. Iratus fuit Jacobo Esau. Gen. 22. dum itaque redux Jacob, timet in via fratrem Esau, divisit omnem substantiam in tres

turmas

turmas, transit Esau primam, quæris cujus est? respondent ùt jusserat Jacob, Tua sunt ista, Domine, non placatur. Idem factum cum secunda, donec in tertiam incidisset, in qua erat Rachel, ibi denique furor ejus quievit. Velut prima turma, lex naturæ offerebant DEO substantiam. Tua ista, Domine, non cedebat dæmon. Velut secunda turma offerebat scripta lex, non cedebat. Ubi venit ad tertiam turmam, in qua erat B. Virgo; dæmon est ligatus, nobis securitas provisa. Oseæ 9. scribitur de Jeroboam, quòd erexerit vitulum aureum in Bethel, quia alius regnabat in Jerusalem, ne populus iret ad templum, & se alteri Regi traderet, & ut hoc ipsum suaderet popopulo, dicebat. *Facti estis quasi laqueus speculationis, & quasi rete expansum super Thabor*, per quem transeundum erat populo, hoc est, habebimini à Rege Jerosolymorum pro speculatoribus; sed cadetis in retia. Expendit & retia dæmon, & rationibus mundi persuadet, ne ad cœlum eamus. Tu S. Virgo tuo lumine has fraudes detege. Illudit nobis, tenet in umbra mortis, vias occludit. *Filios Levi* colabit *quasi aurum*. Malach. 3. Aurum non colatur, nisi igne solutum. Meremur ut ita colemur; sed habet modos Filius, ut absque igne tribulationis nos ad suam reformet imaginem, tollens imaginem peccati. Ad locum citatum alludens Bern. serm. de Assumpt. *Purgationem fecit, ut Evam transfunderet in Mariam.* Illud quod malum est, habemus ex Eva, ex B. Virgine speramus quod bonum est. Ista clementia B. Virginis exprimitur in hoc, quia, Matthæi cap. 1. Christi generatio deducitur ab Abraham, non ab Adamo per 42 generationes: quot fuerunt mansiones populi, dum in terram promissionis duceretur, ùt Hieron. ad Fabiolam. *Sub illo Sacramento numeri pervenimus ad regnum cœlorum, sub quo Salvator pervenit ad Virginem quasi Jordanem*, in quo Christus nostra lavit crimina. Joab non reconciliavit Davidem Absa-

loni nisi per Thecvitem. Abiathar occidi debuit nisi arcam Domini portâsset. *Hodie te non interficiam, quia arcam Domini portâsti.* Ista est Michol, quam, nisi adduxerimus, faciem David non videbimus. 3. Reg. 2. *Non videbis faciem meam, donec adducas Michol.* Ipsi dictum Cant. 1. *Pasce hædos meos.* Guilielm. Abbas. *Piæ matris hædos vocat, non quos ipsa fecit, sed quos in oves convertit.* Ipsa est, de qua Cant. 1. *Equitatui meo aßimilavi te,* qui processit contra Pharaonem, id est, Angelis emergentibus. Ipsa est Virga Moysis quæ devorat serpentes Ægyptiorum. Denique de illa Cant. 1. *Posuerunt me custodem in vineis.* Rupert. *In vineis,* id est, *in gentibus, quæ ex mea custodia factæ sunt vineæ.* Illam Petrus invocabat, dum Romam converteret, propterea illius templum Romæ erexit. Illa comparuit in columna Jacobo in Hispania, & solata dum illi sacra messis non succederet. Illius discipuli, ùt scribit Dyonis. Lazarus & Magdalena Gallias ad lumen Christi adduxerunt. Siciliam per illius imaginem S. Marcianus adduxit ad fidem: Petranus Mauros: S. Grypho Maronitas: Cantione de ipsa S. Adalbertus Polonos firmavit in fide. Unde S. Germ. *Ave gratiâ plena, per quam tenebræ pulsæ, lux introducta.* Per illam cunctæ hæreses interemptæ. Per illam fœda sunt pulsa Paganorum Luminaria; quæ per annos 994 Romæ usque ad Gelasium Papam durârunt, in quibus quæ absurda fiebant, vide Rosin. de antiq. Rom. & in locum eorum introducti sunt cerei hodierni.

Illa & nos quærit cum lumine, occurramus & nos tanquam fideles servi, tenentes lucernas in manibus. Illa obtulit Filium Domino, & nos offeramus. Si non obtulerimus Domino, offeramus inimico. Amavit B. Virgo Filium, obtulit non claudum cœcum, *sed speciosum formâ pro filiis hominum,* & sibi dilectissimum obtulit, ut, si illum non redemisset, in obsequio templi instar mancipii mansisset. Quid de his, qui decimas jure debitas DEO non reddunt? &c.

De

De Eadem. CONCIO II.

Dies purgationis Mariæ. Lucæ 2.

SI Ecclesia S. indulgendo nobis in unam diem contraheret tria festa, & quidem unum. Sancti alicujus: alterum, B. Virginis: tertium, Christi. Conveniret illud colere trium similium festorum devotionem in unum colligendo, ut si devotè Sacrum audiremus die Sancti, devotiùs die B. Virginis, devotissimè die Christi: in tali festo, & devotè, & devotiùs, & devotissimè, si, &c. at verò tale est festum hodiernum, est enim S. Simeonis, de quo Evang. *Erat vir justus, timoratus, Spiritus S. erat in eo,* & dicitur hoc festum Obviationis Simeonis: est B. Virginis, dicitur Purificationis: est Christi, quia hodie in templo, oblatus est DEO. Circa ista tria versetur vestra devotio, circa eadem mea concio; incipiam à B. Virgine, à qua hoc festum communiùs appellatur.

Cùm vocatur hoc festum Purificationis, absit à nobis, ut quis cogitet in B. Virgine fuisse aliquid purgandum. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Pulchra dum conciperetur, quia sine macula originali, seposuit sibi illam DEUS, *elegit, præelegit.* Pulchra in Nativitate, quia, *ut aurora consurgens.* Luctabatur Jacob cum Angelo, Gen. 22. visâ aurorâ, cœpit Angelus clamare, *Dimitte me, jam enim Aurora consurgit.* Planè ut cum Aulici ludunt, interea Mater Regis supervenit. *Dimitte me,* Mater venit, modestè agendum. Pulchra in pueritia, trimula DEO consecrata, Angeli ministrant cibos. Pulchra in conceptu Filii, *plena gratiâ.* Pulchra in partu Filii, *Virgo ante partum,* &c. Sine dolore, penetravit ùt radius vitrum. Pulchra in cogitatione, verbo, opere. Quid ergo purgatur?

Mulieribus instituit Moyses purgationem, cui apud nos correspondet introductio post partum. Non quòd sit peccatum habere Filios in Matrimonio, sed multa alia interveniunt peccata, ideò quæ Masculum genuit, per dies quadraginta purgabatur: quæ femellam, per dies 80. quia post tot dies animantur hi fœtus, circa femellam autem duplò plura possunt committi peccata, quàm circa masculum, quia & gestatio ac partus femellæ, ùt dicunt Medici, molestior, utpotè frigidioris. Decem autem sunt DEI præcepta, contra quæ peccari potest, & contra singula modis quatuor, cogitatione, verbo, opere, omissione. Et sunt 40. quæ, si in fœmella duplicentur, erunt 80. Cogitatione, non rectà intentione dum concipiunt, sed velut *equus & mulus, quibus non est intellectus.* Verbo, dum in partu ob dolores sibi maledicunt. Opere, dum nutriendo multa mala faciunt, superstitiones. Omissione, dum gravidæ multa bona blandiendo sibi omittunt. Nihil istorum fuit in B. Virgine: concepit ex Spiritu S. gestavit sine gravamine: peperit cum lætitia. Isai. 35. *Germinans germinabit; & exultabit lætibunda & laudans.* Nutrivit sanctè. Non habuit ergo necesse purgari. Sed & ipse Moyses cautissimè legem scripsit. *Mulier si suscepto semine*, &c. Putavisset quis gratis hanc particulam, *suscepto semine*, addidisse, quæ enim non ex viro parit? Sed sciebat Propheticè, parituram Virginem. Sciebat leges non ferri in Matrem Principis, nec sui esse id juris; ergo quasi diceret intra se. Ne in te, Mater Messiæ, vel in speciem peccem: ponam hanc particulam sive clausulam. Mirabuntur illam multi, & fortè erit qui contemnat; sed veniet tempus, quando intelligetur, quando scient, quòd non ex viri semine, sed Virgo ex Spiritu S. pariet. Igitur B. Virgo neque lege Moysi tenebatur purificari: Fecit id tamen propter duo. Primò, ut imitaretur Filium, qui voluit circumcidi, etsi ad hoc non obligabatur. Secundò,

cundò, quia cum hac Purificatione jungebatur Actus, quo DEO proles offerebatur, & hanc noluit omittere.

Postquam ergo dies impleti sunt 40, venit ad Templum, in quo seorsim stabant Virgines, seorsim conjugatæ: & seorsim divites, seorsim pauperes. Cui me cumulo jungam? Virginibus? Sum Virgo; repellent, habet maritum, habet Filium. Divitibus? sum ex domo Davidis; sed sum pauper. Omnia enim in pauperes expendit, etiam illa quæ à tribus Magis acceperat. Stetit inter conjugatas pauperes, *sicut lilium inter spinas.* At modò mulieres prima omnia ambiunt. Tum juxta legem flexit genua coram Sacerdote. Ecce tuli oblationem, fac de illa Sacrificium, ut DEUS remittat peccata, quæ mulieres committunt, concipiendo, gestando, pariendo, nutriendo. Recepit Sacerdos, &c. Hoc Festum à Græcis vocatur. *Clarificationis.* Quia hîc patuit, quanta esset humilitas in Virgine S. Quæ enim Virgo vellet inter mulieres publicè consistere, si diceretur: quæ sunt Virgines, hîc consistant; quæ non Virgines, hìc stent? Quæ inter viles, si esset ex domo regia? Dicitur hoc festum à Polonis Tonitruorum, quia hâc die contra rerum naturam in eorum hostes DEUS fulmina dejecit. Sed tonitruorum etiam dici potest, quia tonabit aliquando DEUS supra superbos, hanc Filii sui & Matris humilitatem adducendo in judicium. *Superbus est valde Moab.* Erexisti collum contra DEUM, cujus leges vilipendis, cujus festa sine honore habes. S. Adalbertus à Bohemis recessit, quia vidit eos diebus festis nundinari, Judæos Christianis præponere. In quo fidis Moab? In DEO? *DEUS superbis resistit.* De superbo Job 20. dicitur. *Si ascenderit usque in cœlum superbia ejus, quasi sterquilinium in fine peribit.*

Alterum est festum Christi, quia hodie in Templo Patri præsentatus. Non egebat Christus præsentatione, non re-

cesſit à Patre per peccatum: voluit tamen pro ſe offerri hoſtias, quæ offerrebantur pro expiatione peccati in quo proles nata, & ad conſecrationem quandam illius. Et ideò pars oblationis erat in expiationem, pars comburebatur; & iſta lex quemlibet natum obligabat. Altera lex fuit pro ſolis primogenitis, ex quo Exod. 13. Omnia in Ægypto primogenita Angelus percuſſerat ab homine ad pecus. Chriſtus autem erat primogenitus. Sed neque iſta, neque prior lex comprehendebat Chriſtum, de priore res clara, quia non eſt natus in peccato. In hac de primogenitis appoſuit Moyſes clauſulam, ſe de iis loqui quo naſcuntur Matrum læſa integritate, quod non eſt factum à Chriſto. Voluit ergo offerri, ut Templum ſanctificaret; ùt ex Aggæo patet: *Veniet deſideratus*, &c. *Magna erit gloria domûs iſtius noviſſimæ, plùs quàm primæ.* Et ad hoc facit ipſa oblatio. Columba ſignificat vitam activam, turtur contemplativam, ut S. Th. explicat, qui ſunt duo ſtatus in Eccleſia. Non illud vetus conſecrabat Templum, quod erat periturum; ſed nos, ut ſimus *gens ſancta, populus acquiſitionis*, videamus, ad quam partem ex his ſpectemus. Ad contemplativos: Eremitæ, Monachi, &c. Alii ad activos, ùt ſæculares Sacerdotes, & populus. Sed ſumusnè ex activis? Horum eſt præcipuè opera miſericordiæ exercere. Utrique debent imitari Parentes SS. Chriſti; offerunt illi primogenitum. Et nos ſumus in quodam conjugio. Vir uxorem ducit ut prolem habeat: anima corpori jungitur, ut actiones faciant, loquantur, audiant, &c. Quid horum primogenitum? Intentio, ſive finis propter quem facimus. Hic ſi metus, etiam optima actio datur dæmoni. O quàm rara & vera intentio? &c. Omnia nobis DEUS dedit, ſed primogenita ſibi retinuit. Hoc tibi primum eſt quod maximè amas, hoc offer. B. Virgo maximè Filium amavit, illum obtulit. Qui offerebatur niſi

redi-

redimeretur, in Templi obsequio velut mancipium manebat, dedit B. Virgo siclos quinque quos labore suo comparavit. Redimet nos deinde Christus quinque plagis.

Tertium festum est S. Simeonis. Clarum erat, quòd tempus jam venerat adventûs Messiæ; sed Messiam non cognoscebant, unde Joan. Bapt. Jo. 1. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Orabant devotiores, qualis fuit Simeon, ut illum agnoscerent, promisit hoc illi DEUS. Sciebat Simeon ex Malach. 1. *Statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.* Idcircò omnes mulieres observabat euntes in Templum. Tandem hodie dixit illi Spiritus S. Hodie videbis Messiam. Et cùm vidisset & Virginem cum Filio, dixit Spiritus quòd hic esset. Statim adoravit, & dixit. *Nunc dimittis, &c.* Accepit in ulnas, quia non sufficit videre, sed opus in manus accipere collaborando. *Fides sine operibus mortua est.* In signum hujus cereos portamus. Cera carnem, lychnus ignem, ignis Divinitatem Christi notat, sed debet in manus sumi.

De Eadem. CONCIO III.

Lumen ad revelationem Gentium. Lucæ 2.

DUm hodie video celebrari festum cum candelis, lumen virtutum B. Virginis constitueram ostendere: sed me deterruit Hieron. serm. de Assumpt. B. V. *Timeo & valde pertimesco, dum vestris cupio parere profectibus, ne fortè sicut improbus ita indignus laudator existam.* Terruit Anselm. lib. de excell. V. cap. 1. *Excellentiam DEI Matris quomodocunque contemplari anhelans, & quod mihi inde capere conceditur, ad communem proferre notitiam desiderans, horreo peccatorum quibus premor enormitatem, & timeo*

timeo ne mihi tam alta petenti objiciatur hoc Sacræ Scripturæ dictum. Tollatur impius, ne videat gloriam DEI. Si ista tanti Sancti, quid ego? itaque luce omissâ, ad umbram me conferam.

Ut appellem B. Virginis illam mulierem, quæ drachmam perditam reperit, Luc. 15. esse umbram; ducit me ad hoc, quia B. Virgo Evæ contraria. Evam sic alloquitur Chrysol. serm. 13. *Mulier, quem virum quæris? quem in Paradiso perdidisti, redde depositum DEI.* Hæc S. Virgo est illa, de qua Canticor. 1. juxta Chald. *Si ignoras te, O pulcherrima mulierum, egredere & abi, & deduc Filios tuos tanquam hædos, ut appareant in domo Sanctuarii.* Venit Christus ad deducendos istos hædos; sed B. Virgo, ut aurora præivit. Videamus Occidentem. Druidæ Cainori in Gallia multis ante Christum annis ponunt statuam Virgini pariturae. In Oriente: in Regum Ægypti Ptolomæorum Musæis imago S. Virginis è lignis Sethim facta conspiciebatur. De qua Comestor. In Meridie: In montis Sinai eo loco, in quo Moyses vidit rubum ardentem incombustum, legitur saxo incisum. *DEUS concipere faciet Virginem, & ipsa pariet Filium.* De hoc Kirch. in Prodromo Copto. In Septentrione: testatur Bellesphoret. in Cosmogr. coluisse Gentes Virginem, quæ erat paritura Filium. Ita hæc S. Virgo evertit totum, idque ante ortum Christi Solis, & impletur. Ecclesiast. 14. *Quæ antelucanum illumino omnibus, illuminabo omnes sperantes in Domino.* Illa fuit Aurora, quæ illuxit Jacobo: Illa columna, quæ duxit populum: Illa stella, quam præducebat Balaam. Illa Salomoni pulchrè luxit ùt Luna. Et ùt clariùs loquar hoc ipsum. Illa in persona Ruth neglectas colligebat spicas, hunc & illum circumeundo agrum. Bonav. in spec. c. 5. *Maria in oculis Domini hanc gratiam invenit, ut ipsas spicas, id est, animas à Messoribus derelictas ad veniam colligere possit.* Unde Method. Orat. de Hypopan. sic Virginem S. alloquitur. *Tu fidelium fax,*

tu universorum illuminatio. Et Bernard. Adamum monet. *Non dicas, ô Adam, mulier quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit de ligno vetito.*

Sed jam hodie lucem plenissimam profert, lumen ad revelationem dum Christum Templo infert. Cantic. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis* Chald leg. *Quam pulchri sunt gressus tui Israël, ut appareant coram Domino!* Jam majori luce quærit drachmam. Greg. hom. 34. *Mulier drachmam perdidit, quando homo, qui conditus ad imaginem DEI fuerat, peccando, à similitudine sui Conditoris recessit.* Jam hodie drachmam reperit. Et primò superstitionem quæ fecit pertinacissima evertit, ac tollit. Februare, idem erat juxta Varronem ac purgare. Ovid. 2. Fast. *Februa Romani dixère piamina Patres.* Audiamus jam Bedam de Ratione tempor. c. 10. *Agebatur apud Romanos festivitas purgationis hoc mense, Februario. Februare enim purgare dicimus, quo mense lustrabatur civitas. Hanc consuetudinem mutavit Christiana religio. Cum eodem mense, hoc est, hodiernâ die in honore S. DEI Genitricis, non solùm Clerus, sed & omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis circumeunt.* Hæc mutatio facta An. 680. ad instantiam Justiniani Imper. à Sergio Papa. Fiebat hæc superstitio à viris in honorem Februæ quam dicebant Matrem Martis, à fœminis in honorem Proserpinæ. Et jam reperta drachma, plena fides affulsit, salus comparuit. *Viderunt oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Propterea Evangelista dicit, *Tulerunt eum in Jerusalem*; non dicit, *Tulerunt Filium suum*, quia futurus erat omnium. Quid verò omnium? Servus. Richard à S. Laurent. libro 4. *Cupiens Filium procreare, qui noster servus fieret, se nominavit ancillam, quia partus ventrem sequitur.* Miserat aliquando DEUS servos. Matt. 21. ut fructum reciperent à vineæ suæ cultoribus, occisi sunt ab agricolis; misit secundò, factum est idem. Jam ut David pro-

procedebat vindicaturus de Nabal, 1. Reg. 25. *Accingatur quisque gladio suo, & accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & David ense suo.* Occurrit prudens Abigail, & placat. *Suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi Domino meo.* Ancilla B. Virgo in Purificatione descendit ad ultimam humilitatem, & ibi, ut Joan. Geomet. dicit. *Beata Virgo est jus dirimens lites*, diremit. Illa, ut Ildef. serm. 7. de Assumpt. est S. Virgo *Mundi salvatio.* ut Theophanes hymno de Annunt. *Evæ redemptio.*

Quærit S. Virgo drachmam; & nisi illa repererit, perit drachma. Ignat. M. *Impossibile est aliquem salvari peccatorem, nisi per tuum, ò Virgo, auxilium & favorem.* Et quantoperè ad hanc inquisitionem se ab illa tractari permittat salutare, scilicet Christus, audiamus. Proverb. 31. *Verba Lamuelis Regis, visio quâ erudivit illum Mater sua.* Lamuel, id est, Salomon, significat Christum: Mater, id est, Bethsabee B. Virginem. De Christo Ildefons. lib. de Virgine. B. V. *Sub Mariæ disciplina Infans DEUS versatur.* Hic ergo cum Alcuino. *O Virgo luculentissima lampas, quantos lætificasti, quando splendore DEI illustrata, desideratum illud lumen quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris & umbra mortis, protulisti!* Planè hanc diem videtur Dan. 7. descripsisse. *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ipsi servient.* Venit cum nube de qua, *& nubes pluant Justum*, ad antiquum dierum, Simeonem, in conspectu cujus oblatus, & dedit illi DEUS, id est, Christo, omnes gentes. Hæc est lucerna quæ Gedeoni dedit victoriam. Nos verò, dum lucem habemus, ambulemus. Accipite ab hac lucerna lumen. 1. & discite, cum DEUS noluerit illud (fœminam cum immunditia ex partu contracta) intrare. 2. Parentes, quòd debeatis vestras proles statim imbuere cultu DEI, non turpiloquiis, dissolutione. 3 Magistra-

gistra-

giſtratus non uni ſuo bono privato intendant, ſed bono etiam publico; quia hoc lumen non ad unius bonum, ſed ad omnium, *& gloriam plebis.* 4. Sacerdotes in manibus non aliud quàm hoc lumen habeant. 5. Quilibet Chriſtianus, ut non priùs videat mortem quàm hoc lumen, per reconciliationem. Quærit per Chriſtum drachmam Virgo. S. Chryſoſt. tom. 7. fol. 418. *Chriſtus venit de cœlo, aſſumit teſtaceam corporis lucernam, accommodat eam luci Divinitatis, &c. quærit drachmam.* Sed cur homo drachma? idem tom. 2. homil. in Luc. *Hominem drachmam nominat propter monetam, & Regis ſimilitudinem.* Quia ſcilicet in homine eſt ſimilitudo DEI. Sine hac ſumus fruſtulum æris, quod parum valet, non detergamus hanc ſimilitudinem. Gratias S. Virgini, quæ hanc lucem hodie defert.

In Feſto S. Matthiæ Apoſt. CONCIO.

Ita Pater, quoniam ſic placitum coram te.

Lucæ 12.

QUoniam duodecim elegit Apoſtolos, & Judas defecit, convocavit S. Petrus concilium, venerunt viri centum viginti ad deliberandum quis deberet ſubſtitui. Fuerunt multi pro Joſeph, qui propter ſanctitatem dicebatur juſtus, qui aderat, & fuit Chriſti conſanguineus, Frater Jacobi minoris, Simonis & Judæ Apoſtoli. Alii fuerunt pro Matthia, qui etiam inſignis fuit Sanctitatis & ſcientiæ. Dum res decidi non poteſt, ventum ad ſortes, & Matthias obtinuit. Pares ambo. Quare Mathias ſortem obtinuit, ita *placitum coram te.* In his verbis hæc ſiſtit concio.

Ad ſortes confugiunt, quando de duabus agitur, qui

omninò ſunt pares, nec ullâ ratione diſcerni poteſt, quis dignior. Alioqui cùm ratio ſuppetit, ad ſortes coufugere, eſt DEUM tentare Et tunc DEUS oſtendit, quid ſibi placitum. Sed ſi pares Matthias & Joſeph, cur ſors ſuper Matthiam? Potuît ſors ſupra indigniorem cadere, nam Apoſtolatus non ſequitur Sanctitatem, ut patet in Juda. Et eadem poſſunt miniſtri mali Sacramentorum præſtare quæ boni; ut docet S. Auguſt. tract. 46. in Joan. Judas certè ſceleratus ſemper fuit. Audite vitam illius ex Franc Mayronio, ſerm. de S. Matthia. Natus ex tribu Dan, ex qua futurus putatur Antichriſtus: ex Patre, cujus nominis primus aſcendit lectum Patris ſui, natus Matre Ciboreâ, cui per ſomnium prægnanti oſtentum, quòd is, quem utero geſtabat domum ſuam eſſet ſubverſurus. Igitur natum incluſit fiſcellæ, & mari commiſit. Fluctibus ejectus in Carioth inſulam, cujus inſulæ Regina dum eſſet diu ſine prole, ut falſum præberet ſolatium marito, accepit puerum, & fugit partum, & ſecundò parit Judam. Non multò poſt Regina filium ex marito ſuſcipit, qui cum Juda creſcit, creverunt ambo. Judas volendo ſolus eſſe, occidit hæredem, inde profugit in Judæam, adhæſit Pilato, in horto cujusdam agebat hortulanum. Ruben Pater Judæ, ignotus & ignorans filium. Judas ex illo horto ſuffurabatur flores, & ferebat Pilato ut placeret, Ruben prohibebat, occidit illum clanculùm Judas; & auxilio Pilati uxorem Rubeni accepit in uxorem. Hæc in iſto ſecundo matrimonio ſæpè dolebat de Ruben occiſo; & filio in fiſcella ejecto, ſciebat aliunde Judas, ſe in fiſcella miſſum, & factâ inquiſitione agnovit, quòd matri convivaret; tranſivit ergo ad Chriſtum, ut pietatis ſimulatione omnia tegeret. Ab Inſula Carióth dicitur Iſcarioth, quaſi vir de Carioth. Quid hìc boni in tota vita? Sed quidquid de veritate hujus hiſtoriæ, conſtat ex Evangelio illum fuiſſe furem, dæmonis habitaculum

taculum ingratum, malignum, & tamen Christus illum ad Apostolatum assumpsit, ad tam sublime officium, quale est, dare mundo oracula ejusmodi, ut licet Angelus contrarium diceret, Apostolo sit credendum.] Ut ipsi Angeli ab Ecclesia, hoc est, præcipuè ab Apostolis discant aliqua. Ut ipsi Angeli remittant in dubiis ad Apostolos, ut in Act. Cornelium remisit ad Petrum. Imò ad viros Apostolicos, ut est in Prato Spirituali cap. 599. qui liber laudatus à Concil. Nicæno. Seductus fuit quidam S. Senex ab hæreticis, ut malè de SS. Eucharistia sentiret, monitus hâc de re à Diacono, recurrit ad Angelum qui sæpe illi comparebat, respondit Angelus. Non est nobis commissum docere, malè agis, acquiesce Diacono. Apostolis datæ claves cœli, & habent potestatem quam DEUS Nabuchodonosori Patri dederat. Dan. 5. DEUS *Patri tuo dedit*, ut quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Planè sicut Gen. 41. Dedit Pharao Josepho annulum suum, ut literæ ejus essent ac suæ. Subjecit DEUS homini bestias, Apostolis homines, ut quodammodo possint dicere quod Josephus, Gen. 39. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod in mea non sit potestate.* Hinc illis competit ad Ecclesiam admittere, & ex illa per excommunicationem ejicere, ac tradere Sathanæ, quod fecit S. Paulus cum quodam Corynthio. Apostoli est esse Sanctitatis exemplar, ut dicat. *Imitatores mei estote, sicut ego Christi.* Dedit Christus Apostolis potestatem patrandi miracula. Ad hæc omnia electus ore Christi Iscarioth, non autem Matthias qui fuit etiam discipulus Christi, & videte quàm Sanctus. Fuit de tribu Juda, quæ erat præcipua, à Parentibus adhuc puer bene in lege Divina instructus. In hoc verò Sanctitas consistit, legem DEI servare. Levit. 20. *Custodite præcepta mea, ego Dominus qui sanctifico vos.* Factus vir ad majorem sanctitatem ascendit

cendit, & factus unus è septuaginta duobus Christi discipulis, in sanctitate ita profecit, ut æqualis videretur Joseph justo. Tamen non elegit ore suo Matthiam Christus. Quid causæ. Sicut in causis naturalibus, ita & in supernaturalibus ubi non agitur de præmio & pœna, hæc enim dantur juxta merita, deveniendum ad hoc. *Quoniam sic placitum coram te.* Si quæras à Philosopho, quare modò est ventus? dicit. Quia terra emittit vapores. Quare emittit? Quia modò est Planeta qui terram concitat. Quare habet virtutem concitandi? Quia illi DEUS dedit. Quare dedit? *Quoniam sic placitum.* Quare Paulus conversus? Quia DEUS dedit illi gratias, quibus prævidit illum bene usurum. Quare has dedit, non alias? *Quoniam sic placitum. Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Nemo potest dicere, non gratis accepi. Etiam aliorum Apostolatus sorte accidit. Col. I. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Non eramus digni ut sors caderet supra nos Sanctorum, ille nos fecit dignos. Ps. 77. *Sorte divisit illis terram in funiculo distributionis.* Sortem istam quæ cecidit supra Mathiam, scribit S. Dyonis. Areopagita, & S. Thomas, fuisse radium de cœlo. Doctrina est communis; Prima DEI gratia non cadit sub meritum. Neque tamen cùm sortes nominantur, putemus casu fieri. Prov. 16. *Sortes mittuntur in sinum sed à Domino temperantur.* Dominus elegerat Iscariothum, ut ostenderet se nec malis deesse si ipsi velint. Matthiam ipse elegit, etsi per sortem. Ephes. I. Sorte electus, sed in DEO. *In quo nos etiam sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositum ejus*, sorte, sed secundùm propositum DEI. August. in Joan. 19. *Super vestem meam miserunt sortem.* Verba hæc Psalmi expendens sic ait: *Vestis Christi gratia est quæ sorte datur, quia DEUS eam concedit cui vult:* nostrum est, cùm sentimus nos à DEO ad bonum impelli, non negligere, ille sicut I. Reg. 14. Elisæus arcum dat & sagittas contra Syriam, sed Joas debet apponere manum

manum. Si non apposuerit, quid fiet. Prov. 1. *Vocavi & renuisti, extendi manum & non respexisti, &c. Ego quoque in interitu tuo ridebo*, &c. Contemnimus, cùm toties ad pœnitentiam ad vitam meliorem vocamur, sive interno instinctu, sive per homines, utrumque enim est gratia DEI, aut spectat ad DEI gratiam. *Cecidit sors supra Matthiam*, cur supra illum, & non supra Joseph. Ita *Pater placitum.* Sed si Matthias hanc sortem sprevisset, quid putatis futurum fuisse?

Revelasti parvulis. Matthias idem significat quod parvulus. Præterea sicut Jacobus vocatur minor, quia quàm alter Jacobus, posteriùs ad Apostolatum vocatus. Sicut Paulus se minimum vocat, quia post alios vocatus, ita Matthias parvulus, quia etiam post alios. Remanet semper parvulus; & hic fuit Apostolus, in cujus locum successisti, & Joseph justus quem sors omisit. Si tuæ vocationi ad tantam Prælaturam non satisfacit. *Veniens movebo candelabrum tuum.* Apoc. 1. *Sors excidit.* Apostolatum accepit, non affinis Christi, non familiaris, ut ait Bellarm. Iscarioth præter alia scelera hoc fecit. Non sumpsit in ultima cœna Panem Eucharisticum saltem totum, sed ad Judæos detulit, ut scribit Theophilact. Non sumpsit etiam calicem Christi, ut ex hoc discursu S. Hilarii colligitur. *Videtur ex hoc, quòd Judas cum eo non biberit, quia non erat biturus in regno, cùm universos bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum Dominus pollicetur.* Noluit cooperari gratiæ per usum Sacramenti: & quod hic fecit, probabile est in pluribus occasionibus fecisse. Noluit *firmam facere vocationem suam per bona opera.* Non sic Matthias agrum durissimum sumpsit sibi elaborandum scilicet, Judæorum gentem, cùm alii Apostoli in orbem fuissent dispersi. Quare, cùm multos converteret, ne Judæorum Summus Pontifex videretur illum ex invidia occidere, vocavit ad disputationem de fide: vicit Matthias, nam illum

veluti

veluti blaſphemaſſet, quia Chriſti aſſerebat Divinitatem, juſſit occidi: Egit in Apoſtolatu cum omni humilitate, illud conſiderans. Joan. 15. *Non vos me elegiſti, ego vos elegi.* Hæc & nos cogitemus, & omnis ceſſabit ſuperbia.

In feſto S. Caſimiri, CONCIO.

Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.

ARchiepiſcopus Ravennæ, S. Petrus Chryſolog. miratur, ſerm. 24. hujus in Evangelio Domini modum; habet ſervos. *Novus habitus imperatur. Sint lumbi veſtri præcincti, &c. tota in præcingendis lumbis mandatur cura, &c. addito lucernarum ſolatio tantùm.* Si Dominus voluit à ſervis noctu deduci, arma debuit præſcribere: ſi comitatum habere ſplendidum, nitidas veſtes, &c. Sed DEI ſervis ſufficit præcingi & habere lucernas, quod in S. Caſimiro oſtendam.

Si tantùm dixiſſet de ſuis ſervis: *Et vos ſimiles hominibus*, facilè inferri poſſet, quòd non homines eſſe debeant, ſed ſolùm hominibus ſimiles. Nam ſibi ipſi nemo ſimilis, itaque ſi ſimiles hominibus, non homines. Et jam dixiſſem S. Caſimirum ſimilem fuiſſe Adamo in ſtatu innocentiæ, in quo dum fuit, nullas opes curavit. Nam ut Hieron. ad Hedibiam. *Dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres.* vel ut Chryſoſt. hom. 13. in Acta Apoſt. *Dives nihil aliud mihi videtur, quàm civitas abſque muris in agro ſita, & undique inſidiantibus expoſita.* Undique habet acceſſum dæmon; undique ex illa via ad peccatum. S. Caſimirus natus Patre Caſimiro III. Rege Poloniæ, avo ejuſdem Rege Uladislao Jagellone Frater Regum quatuor, Uladislai Hungariæ,

gariæ, Joannis, Alexandri, & Sigismundi Primi Poloniæ. Ipsi Ungariæ & Boëmiæ regna offerebantur, omnia propter DEUM sprevit. Dicerem similem Moysi, tabulas legis & virgam tenenti; ille sciens, quod SS. Canones doceat. *Facti culpam tenet, qui quod potest emendare, negligit.* Impetravit legem à Patre, ne Græcoschismatici nova templa erigerent, antiqua repararent. Virga illius in manu quâ patrat miracula, lilium & crux. Hâc mortuos ad vitam revocavit, hâc cœcis visum reddidit, dæmones pepulit, &c. Moysen cùm DEUS ad moriendum disponeret, Num. 31. *Ulciscere priùs filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum.* De quo Procop. *Vindictam hanc ceu viaticum ad vitæ exitum comparare suadet.* Sic Casimirus non nisi lege contra Schismaticos obtentâ vult mori. Dicerem Noë qui consolatus Parentes, nam cùm diu in cupienda Crucigerorum arce Papia se Pater fatigavisset. Eâ demum cœpit die quâ natus est Casimirus. Dicerem illi similem Equiti, qui Heliodorum flagellavit, & ipse de Templo suo propè Polociam Moschos flagro pepulit, & Duci eorum prædixit amissionem exercitûs maximi, quæ secuta deinde. Et ipse ad Polociam sexaginta Moschorum Schismaticorum millia gladio paucorum Lituanorum subjecit. In quibus omnibus ostendit, quomodo divites salvari possint, quibus aliàs porta cœli angustior quàm camelo foramen acûs. Scilicet, si ut Adam imperent opibus, non obediant. Prov. 23. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Quis putaret avarum evolare supra homines usque cœlum? Evolat. Dicunt Theologi, hoc modo non potes acquirere, hîc est usura palliata, hîc est injuria proximi, evolat, & meliùs se putat sapere, licet nulla illum ratio fulciat, & solo vento ista aquila incumbat. Salvabitur dives si ut Moyses, protegat pauperes contra Madianitas. Lilium in manu habeat

& Crucifixum, castè & devotè non solo verbo vivat, sed etiam opere. Sicut Juvenis ille Ecclesiam protegat, patriam contra hostes tueatur.

Sed Dominus non quibusvis hominibus vult nos esse similes, sed servis expectantibus à nuptiis Dominum, in quo & patientia ostenditur, sine qua non debent esse servi, etsi forte fameant dum gaudet in nuptiis Dominus: & humilitas, quia expectant ut servi: & conformatio voluntatis suæ cum voluntate Domini, quia non queruntur, etsi eos Dominus secum ad nuptias non duxerit. Quæ tres virtutes in Casimiro sunt singulares. Sumus à Christo redempti, sicut si quis esset redemptus ex captivitate Turcica, & jam liber; sed adhuc inter Turcas manet, nondum in patria. Suspirabat ad patriam Casimirus, inde illius extases cùm audiret Missam. Inde in solatium tædii ille Hymnus. *Omni die dic Mariæ.* Inde cum suum Redemptorem de facie videre non posset, amorem suum, recogitando lythrum, coram imagine ejus testabatur. Hinc Templi frequentatio, deliciarum omnium contemptus amore patriæ. Expectabat ut servus humi procumbendo; contentus mori aut vivere, si DEUS vellet; non solùm vim morbi, aulicorum scommata ferebat, sed ipse per flagella, cilicia, quod pateretur, quærebat. Expectabat ut servus præmium, & ideò in cœlum oculos attollebat; & magnum potuit expectare præmium. Datur cœlum pro poculo aquæ, quid illi pro duabus spretis quæ offerebantur coronis, & tertiam paternam, si voluisset vivere, certam habuit; sed maluit Martyr pro virginitate mori. Debebatur cœlum, sed ut Confessori, Martyri, Virgini. O quomodo nos appellabo? Et nobis præmia parata; & pro nobis Christus egit, sicut Dux alicujus Regis ab eo missus ad expugnandos hostes, dum illi præmia ingentia post victoriam Rex proponit, non mihi da sed meis filiis, nobis

nobis Christus suam transcribit hæreditatem, ire opus, accipere nolumus: interim lutum, terræ opes colligimus, fures superbiæ captamus, procella iræ delectamur, in luto lasciviæ volutamur, somno alto acediæ stertimus, cadaveribus animalium incumbimus per gulam. Sed veniet cùm non putamus Dominus. Veniet Sabbathum, 16. Exod. qúo ampliùs manna colligere non licebit. 1. Cor. 15. *Itaque Fratres mei dilectissimi stabiles estote, & immobiles abundantes in omni opere Domini, scientes, quòd labor vester non sit inanis in Domino.* Nos sumus similes Ægyptiis, Joseph prædicat famem, coëmit frumenta, illi negligunt, postea fame opprimuntur.

Sed si quis se præcingat, & lucem habeat, totum habet quod ad Domini spectat obsequium. Lumbos præcingere est seipsum curare, lucernam tenere est aliis bono exemplo præire. Hæc duo sunt & arma & vestis. Erit hìc humilitas, erit ad DEI voluntatem conformitas, erit patientia, castitas, devotio. Erit quæ maximè Regibus necessaria est justitia.

In festo S. Thomæ de Aquino. CONCIO.

Qui fecerit & docuerit: magnus vocabitur. Matt. 5.

SIVE appellem S. Thomam paradisum, in quo crevit arbor scientiæ & arbor vitæ; sive Arcam, in qua conjunctum manna cum lege; sive nidum, in quo amicè habitat columba cum serpente, non errabo. Juncta est scientia & vita, id est, sanctitas; juncta est legis Divinæ peritia cum manna virtutum; prudentia serpentis cum simplicitate columbæ: neque obest una alteri, ut putare solet vulgus, imò una alteram promovet, &

& una facit alteram gloriosiorem; de qua re me dicentem audite.

Scio benè, quòd quidem scientiis utantur veluti mercibus, ita Chymici per suum Mercurium attrahunt aurum. Talis & inter Oratores fuit Antisthenes: inter Philosophos Aristippus, inter Poëtas Simonides: inter Juristas post Trebonianum non pauci, qui studiis cumularunt avaritiam. Non habuit necesse per suam scientiam quærere opes. Thomas natus est in domo ditissima, quæsivit sanctitatem. Nondum annos quatuordecim compleverat, & jam cursum Philosophiæ absolverat sub Petro de Hibernia cum admiratione omnium; alteri fuisset passus ad vanitatem, huic ad mundi contemptum, nam Ordinem Prædicatorum ingressus, & sic spernendo majorem gloriam consecutus. Et licet ab infantia quæsierit scire DEUM, cùm alii discunt alia nosse; tamen jam tum huic studio magis incubuit, & ex hac scientia comparavit illam sibi fortitudinem, quâ vicit impedientes ejus statum Religiosum. Captus in via à militibus ad hoc destinatis, cæsus pugnis, irrisus, projectus in carcerem, ut in eo computresceret, nisi mutaret statum. Sed quis ita S. Juvenem invasit? Turcæ, an Tartari? Christiani & Affines, Fratres, Sorores, Mater. Ergo potest hoc fieri, ut Christiani ab aula Christi retrahant, qui in aulas Regum promovent? Si infame est servire Christo, quid legem ejus profitemur? Et in hoc mundo non sunt gloriosiores Christi servi mundi servis? Quærit S. August. serm. 115. de diver. *Quare vos invenio earum rerum amatores, quarum veneramini contemptores?* Coluissemus ita Petrum, nisi Christo serviisset? Si probrosum est se recludere in Monasterio, lacerate imagines Francisci, Bernardi, Antonii, &c. dejicite anathemata, tollite argentum ex tumbis & reliquiis eorum. Sed uti scripsit Hieron. ad Pammachium. *Miratur orbis*

pau-

pauperem, quem divitem nesciebat. Quot servi mundi jacent in oblivione, colitur Stanislaus Kostka, &c. Acceperat dono pomum aureum Imperiale Henricus Imper. à Papa Benedicto, ut scribit Baron. an. 1013. statim illud misit ad Monasterium Cluniacense, his adjectis. *Nullis meliùs hoc donum possidere congruit, quàm iis, qui pompis, mundi honoribus calcatis, Salvatoris crucem expeditiùs sequuntur.* Ita & in hoc mundo servi Christi sunt gloriosi, prohibetis nimirum tanquam rem vilem & probrosam servire Christo. Planè hîc valet, quod Salvianus lib. 3. ad Ecclesiam. *Omnia amatis, omnia colitis, solis verbis in comparatione omnium DEUS vilis est.*

Fecerunt hoc tamen Fratres, & quidem Christiani circa Thomam. Sed quare? Nonne hic erit, qui domum illustrabit; hic, quem Doctorem Angelicum appellabit orbis; hic sectas veterum Philosophorum evertet; hic Theologiam Christianam in mirum ordinem reducet, &c. Pergunt Fratres, omne cum Religiosis amputant colloquium, omnem spiritualem sermonem, omne opus pietatis. Denique ad hoc perveniunt; substituunt mulierem, quæ illum sollicitet ad peccatum. Non ita grave accidisset Thomæ recludi cum leone; vicit leonem David, sed victus à Bersabea: vicit Samson, sed victus à Dalila. His Thomas junior quid faciet? Vincet, non sclopis, gladio; sed arrepto de igne titione ignem inferni extinguet. Descendunt ad victorem Angeli, imponunt lumbis baltheum, non ut ampliùs pugnet, sed ut sit securus; & ita redit victor ad claustrum, ut ibi ampliorem scientiam, & ampliorem quærat sanctitatem, & inde unam miram conquirit humilitatem, abscondit ingenium. Missus Coloniam ad Albertum Magnum, ut ab eo Theologiam edisceret, ita latuit, ut per contemptum bos mutus vocaretur, raro interrogavit, tardiùs fuit in respondendo, adeò ut quidam condiscipulus obtu-

obtulerit illi operam repetendi cum ipſo lectiones, admiſit hoc Thomas, & quidem longo tempore. Toto triennio ſic latuit; quot interim aculeos linguarum ſuſtinuit? neſcit, quid ſit facere ſe bovem pro Chriſto qui id non eſt expertus, & maximè ſi ille ſe faciat, qui poteſt eſſe Aquila. Tandem una charta prodidit Thomam. Caſu illi elapſa, & Alberto data; obſtupuit Albertus ad profunditatem doctrinæ, dixit. Erit tempus, quando iſte bos mutus tantum edet mugitum, ut toties illum mundus audiat.

Jubetur Thomas ire Pariſios, & ibi Magiſtrum ſententiarum explicare, tantâ id fecit famâ, ut coactus ſit fieri Doctor Theologiæ. Ex hac ſcientia proficit in humilitate, & gradu ſe illo indignum reputat, atque in lacrymis aliquot dies agit. Comparet illi venerandus in viſione Senex, & illum confortat, ne timeat ſibi ab honore quem non ambivit. Idipſum DEUM velle; obediat, gradum acceptet. Docet, ut nullibi à doctrina Sanctorum recedat, etſi ab aliquo recedit, facit hoc reverentiſſimè, neminem lædit. Illius doctrinâ fulſi poſteri, reſtiterunt Guilielmo à S. Amore: Deſiderio, Gerhardo & aliis. Ille rationem veram ſtatûs oſtendit Principibus in volumine ſcripto ad Regem Cypri. Ille Philoſophiam Ariſtotelis concordavit cum Chriſtiana: Ille Theologiam S. Auguſtini reduxit in methodum. Non eſt exorta poſt illum hæreſis, ut aſſerit Pius V. quæ ab illo non ſit jam confixa, prævidit omne dubium, omne ſophiſma quod poſſit moveri contra doctrinam Catholicam, & ſolvit. Et ecce per hanc ſcientiam ad hoc pervenit, ut ſummè DEO placeat. Eccl. 51. *Danti mihi ſapientiam, dabo gloriam.* Dedit gloriam, ut Sol illi in pectore pingatur, quia Sol eſt Theologorum. Sole orto fugiunt latrones, aperiuntur inſidiæ, de turpitudine erubeſcunt adulteri. Innocentius VI. de Thoma ſic dixit. *Qui eum tenuit nunquam in veri-*

veritate deviâsse, qui eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus. Sicut aquam ab Unicorni purgatam bibunt omnes securè. Postquam longo tempore docuit Parisiis; docuit & Bononiæ, & Neapoli; & Romæ apud omnes in honore fuit, à S. Ludovico Rege Franciæ adhibitus mensæ, abstractus à se contra Manichæos disputavit. Hoc est donasse DEO ingenium. Donavit DEO gulam Tertullianus, cùm alteram induceret quadragesimam. Donavit Origenes carnis voluptates; sed neuter ingenium. *DEUS sedet super Cherubim*, ita sæpius in Scriptura. Non sedet in Potestatibus, Virtutibus, &c. *Errant*, scribit Hieron. in 6. Isai. *qui solent in precibus dicere, qui sedes super Seraphim, quod scriptura non docuit.* Ubi nunc Palladius, Ruffinus, Dydimus, Evagrius, &c. DEO non donârunt ingenium, subjecit DEO Thomas. Hinc DEUS fuit junctus per scientiam Thomæ, sed etiam Thomas DEO. Nihil in mentem admisit, quod non esset ordinatum ad DEUM, abstrahebatur ita contemplatione, ut nec cibos in mensa distingueret, nec homines in via: si Chirurgus aliquid durum circa illum voluit operari, tantùm orare cœpit, extra se factus nil sensit, & ut DEO magis unitus viveret, omnibus dignitatibus renuntiavit, quæ illi offerebantur, omnia despexit. Dabat Clemens IV. Archiepiscopatum Neapolitanum. Laudabat quispiam Parisios; Ille è contra. Si mihi vel Parisii darentur, vel homiliæ S. Chrysostomi: has præeligerem. Nihil illi nisi DEUS placuit. Christus illum de cruce allocutus. *Benè scripsisti de me, Thoma, quam ergo mercedem habebis?* Quid ille? *Nullam aliam præter Te, Domine*, non terram, non cœlum. Addidit DEUS & miracula: dum moreretur, jam fecerat 654, nempe tot quot in summa sua sumpsit articulos. Hi sunt in processu Canonizationis ejus vocati miracula, itemque à Ioanne XXII. Sed vultis alia? vix Thomas claudit oculos suos morte, aperit in eodem Conventu

ventu cæco Priori. Decem alibi liberati à doloribus graviſſimis, decem à fiſtulis perfidentibus. Puer dum in flumine mergitur, dum S. Thomam invocat per capillos manu inviſibili extrahitur; non deſunt & alia. Sed ipſe Thomas maximum miraculum, in paucis annis vitæ tot libros legit difficillimos, & inter tot occupationes, tantùm ſcripſit. Nihil legit, quod non intellexerit, nullius oblitus, eodem tempore quatuor ſcriptoribus dictavit ſpeculationes arduas. Sic Thomas per virtutem quæſivit ſcientiam, & per ſcientiam virtutem. Sic fecit & docuit, proinde ut magnum in regno cœlorum veneremur.

In feſto S. Benedicti. CONCIO. I.

Quid ergo erit nobis? Matt. 19.

DEUS procedit nobiscum, ut Paterfamilias cautus, qui in vilioribus ciſtis abſcondit pretioſiora: in ſplendioribus viliora. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.* Interea pro ſua bonitate innuit Filiis. Non apprehendite ciſtas viliores. *Beati pauperes ſpiritu*, &c. In talibus latent mei theſauri. Abſcondit in eremo, civitatibus, libris, vacuis patinis, ſandaliis, &c. Sed *non omnes capiunt verbum iſtud.* S. Benedictus cepit theſauros, ut patebit ex his quæ dicam, & quid ex illis accepit; videamus.

Ad illos reperiendos ductus eſt lectione S. Scripturæ, ut Salvator innuerat, & quæſivit in Sublacenſi ſpecu, & ita quidem occultè, ut nemo ſciret præter Romanum Monachum, qui illi neceſſaria vitæ ſuppeditabat occultè. Quæſivit deinde in ſpinis, tandem in vita communi, & tandem reperit. Sed quid tandem? Benedictionem Abrahæ, ut multarum eſſet Gentium

Pater

Pater, quia in Occidentali Ecclesia nulla ante illum fuit disciplina Monastica. Multarum Gentium, quia sicut inter populos diversi sunt gradus dignitatum, ita ex illo diversi prodierunt. Planè ita illi accidit, ut Moysi dum populum per mare rubrum duceret, superato mari Moyses & Pharaone demerso incepit Canticum; & ut August. libro 1. de mirabil. S. Scripturæ, cap. 21. *Cuncti pariter, senes cum pueris, & omnis ætatis inspirati Flamine uno, quasi ex ore uno decantaverunt. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*, &c. Procul erant multi à Moyse, idem cantârunt uno ore. Pueri erant, fœminæ erant, &c. Idem cantârunt. Et quod miremur, ut scribit Petr. Valdensis, serm. de S. Benedicto, adhuc in utero dulciter cantavit, ut præluderet cantico, quod deinde in Monasterio completurus. Cantavit ille, secuti sunt eum ex ordine ejus Doctorum quindecim millia, ampliùs quàm septingenti Imperatores, & totidem Reges, centum septendecim. Pontifices supremi octodecim. Cardinales ducenti. Archiepiscopi mille sexcenti. Episcopi quater mille. Inter Sanctos relati millio & quinque millia sexcenti unus, præter illos quorum Sanctitatem DEUS sibi reservavit. Dicebat Benedictus. *Quid erit nobis, qui reliquimus omnia?* Benedicte, hoc erit tibi, eris Pater tantarum, sanctarum, magnarum Gentium, quæ vel abdicato fastu sæculi sub tuam convolarunt Regulam, vel ex tua disciplina sunt assumpti. Mirantur multi docti, cùm Moyses explicuerit facta DEI, cur non explicuerit, qualis illorum sit Factor; solùm dicit, *creavit DEUS cœlum & terram*, &c. Sed etiam sic DEUM explicat, cùm facta ejus narravit. Miramur Benedicti facta, sicut ex creaturis DEUM cognoscimus, ex factis Benedictum. Quid majus potest esse quàm studia relinquere, quibus se Romæ addixerat, ne fortè à sociis contaminatetur? Secutus in hoc Moysen, qui ex Ægypto recessit. Vultis mare rubrum, quando loquimur

de Moyse, incidit in S. Juvenem stimulus carnis, qui nec Apostolo, etsi jam antea fuerit in tertio cœlo, pepercit, volutat se in spinis, & ut S. Greg. de illo. *Per vulnera cutis extinguit vulnera mentis.* Hoc est mare per quod tantum, ut diximus, populum duxit. Hi omnes castitatem Sancti sunt imitati. Benedicte, *secundùm nomen tuum ita & laus tua.*

Quid erit nobis? Quid præterea Sanctus reperit? Mundi hujus homines, currunt ad cistas DEI aspectu pretiosas. Sed quid inveniunt? *Vanitas vanitatum.* At Benedictus in illa obscura cista, in qua DEUS reposuerat Spiritum Prophetis, qui dixerat Prophetæ: noli fingere te alium quàm sis. Eundem Spiritum reperit. Totila misit Spatharium seu ensiferum suis vestibus indutum, ut agnosceret, an Sanctus posset falsum à vero Totila Rege Gothorum dignoscere. At viso illo Sanctus. *Depone, fili, quod geris; nam tuum non est,* Et Totilæ prædixit adventum ejus Romam, & maris trajectionem, ac post annos novem mortem. Eliæ panem ferebat corvus, Sancto cùm panis veneno infectus, oblatus fuisset: corvus abstulit, & in solitudinem detulit, ubi nulli hominum esset nocumento. Obtulerant alii calicem toxico plenum, at ille Crucis impresso signo, confregit calicem velut Elias igne milites. Alius missum Sancto vinum abscondiderat. At ille. Cave, ut cautè lagenam aperias quam abscondisti. Aperit illi deinde vas absconsum, & serpens de illo prosiliit. Sanavit Eliæ discipulus aquas; sanavit ne noceret vinum Benedictus, &c.

Quid præterea reperit? DEUM. Sed eo modo quo Paulus in tertium raptus cœlum. Ostendit illi DEUS in quadam luce totum mundum, ut scribit S. Greg. libro 2. Dialogorum, cap. 35. Quid in illo eligit? Omnes appetimus esse in cœlo, sed vias cœli non omnes eligunt; via cœli arcta, illi per amplam tendunt: via cœli sursum vergit, illi deorsum. Quid ille

ille elegit? *Arbitratus sum omnia ut detrimenta.* Quidquid in mundo elegero, detrimento mihi erit; dominia, voluptates, damna sunt. Scio quid in mundo est optimum, 2. Cor. 8. *Altissima* est *paupertas*; igitur ad cœlum ducit. *Obedientia melior quàm victima*, quia per illam non animalium carnes, sed propria voluntas immolatur. Est igitur arcta via, ac proinde cœlestis, hanc amplector. Cætera in mundo quæ amem, non habeo; & hæc ipsa sunt via, non terminus, extra mundum quæram terminum. Quærit l. c. S. Gregor. quomodo Benedictus totum mundum videre simul potuerit? Et respondet. *Animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura, quia tantùm expanditur in DEO, ut superior existat mundo. Non cœlum, non terra contracta est, sed videntis animus dilatatus est.* Sed quomodo videns DEUM dilatatus, ut major existat mundo? De Beatis in cœlo facilè responderi potest; quia datur illis lumen gloriæ, id est, vis quædam, quæ oculum mentis illorum non dilatat loco, sed dat illi tantum virium, ut idem efficiat, atque si per millena milliaria esset distentus. Sed hoc est de Beatis in cœlo. Benedictus in via erat, sed Benedictus, ut quidam putant, sicut Moysen & S. Paulum ad videndum DEI essentiam admissas, ac proinde æqualem Beatis in cœlo. Sed quidquid sit de hoc, quod à me definiri non debet; videtur, modo quodam admirabili nobis ignoto, ad videndam Personam DEI Filii admissus. Non ingredior hîc discursum Theologorum: an una Persona Divinitatis sine alia videri possit? Solùm in hoc sisto: si videri potest, visam à Benedicto, sive visione beatum faciente, sive quâcunque alia Personam Filii DEI. Et conformando sermonem verbis citatis S. Gregorii, in ea visum à Benedicto mundum. Hic enim est Patris Sapientia, atque Verbum in quo videntur omnia, quia per illud facta sunt omnia, & in ipso, & cum ipso. Visio autem DEI est possessio

DEI: nam intellectus quod cognoscit, in se rapit. Et sicut amans est in re amata: ita res intellecta in intelligente. Vidit ibi admiranda Sanctus, vidit Angelos, vidit ea quæ super cœlos sunt, quæ in aëre, terra, aquis. Vidit quæ sub terra, in inferno, purgatorio. Ex ista visione vis quædam cœlestis infusa est Sancto. Hinc miracula patrabat. Galla Gothus quendam Agricolam cruciabat, ut illi suas opes proderet: hic verò dixit se illas Benedicto tradidisse. Adducit ligatum hominem Gothus ad Sanctum, quem ubi solùm Sanctus conspexit, statim ceciderunt vincula. Ea vis oculis, qui DEUM conspexerant. Aggressus idola, dissipavit, Principibus imperavit, mundum reformavit.

Finiam in benedictione Abrahæ, à qua incepi Psal. 46. *Principes populorum congregati sunt cum DEO Abraham.* Tot Principes in ejus Religione! *Quoniam Dii fortes terræ elevati sunt,* quando in mundo, Deorum, terræ, Tyrannorum, Gothorum assurrexit impietas. DEUS Abraham erat cum Benedicto, & Principes congregati sunt, quia ab illo progressus Ordo Cisterciensium, Cluniacensium, & aliorum. Sed quoniam reperit DEI Filium, non dimittet. Christus ascendit in cœlum, ducitur in cœlum Benedictus inter lampades per cœlum dispositas; mirantur viri Galilæi ascendentem Christum, & dicitur illis. *Hic JESUS qui ascendit,* &c. Dicitur etiam contemplanti iter Benedicti. *Hæc est via, per quam dilectus Domini Benedictus ascendit.* Christo sit gloria, honor Benedicto.

De Eodem. CONCIO II.

Centuplum accipiet. Matt. 19.

QUI Vetus Testamentum considerant, advertunt quòd omnia, quæ in Novo futura erant, in illo sint expressa. Juxta

Juxta Glossam Christus per Isaac. B. Virgo per Judith, ut dicit Lauretus in Admirari. Joan. Bapt. per Eliam. *Ipse præibit in virtute & Spiritu Eliæ.* S. Paulus per Benjamin, ut docet S. August. Elisabeth per Rachel, ut Joachimus Alb. S. Joseph per alterum Josephum, ut Bern. super Miss. S. Benedictus per Moysen, ut S. Th. conc. hod. Ubi adductis *verbis, dilectus DEO & hominibus*, subjungit, Leguntur secundùm literam de *Moyse, qui præfiguravit B. Benedictum*. Ille Ægyptum, hic mundum reliquit; ille miracula fecit & hic; ille eduxit, & hic ex mundo, & quidem ita, ut de illis dici posset quod Chrysost. 1. Tim. homil. 14. *Tranquillo in portu navigunt, ac veluti luminaria sunt de sublimi loco navigantibus fulgore suo iter aperientes.* Ille dedit legem, hic regulam; quare cognito qualia fecit Moyses, & hunc cognoscemus. Sed in centuplo sisto.

Mundus est plenus laqueis. Eccl. 9. In medio laqueorum ambulas. Et quod est pejus: incedimus per illum ebrii. Aug. 2. Confess. 3. *De vino invisibili perversæ atque in ima inclinatæ voluntatis inebriamur.* Et ut Chrysol. sermon. 11. *Hujus sæculi mare tumens, pompâ undosum, sectis fluctuans, clamosum litibus, tumens irâ, peccatis naufragum, impietate demersum.* Quid deduces? Ps. 143. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Solus Spiritus S. Campensis legit. *Spiritus tuus benignus.* Hic maximè DEI bonitas apparet, non est opus justitiâ. Bonitas attribuitur Spiritui, & hìc ponitur hic titulus, quia de re magna agitur. Terra recta Religio. Genebrard. in l. c. *Deducet me in viam virtutis, in consilio, & actiones sibi placentes.* In Religione servantur consilia. Duxit verò Spiritus S. per S. Benedictum, unde nulla est Religio sine illius auxilio. S. Dominicus per quinquennium suæ pueritiæ educabatur in Monasterio S. Benedicti. Franciscani in recognitionem usque hodie dant Benedictinis aliquot pisces, ut scribit Zamora. S. Ignatius apud illos fuit in

in monte Serrato. Augustinianis dedit Fundatorem S. Guilielmum. Religiosis de Mercede dedit initium Rex, sed qui fuit priùs Benedictinus. Deduxit in terram promissionis ut centuplum accipiant. Mundus *terra maledicta in opere*, non reddit fructum juxta semen. Centuplum quia quisque factus Religiosus plus valet centies quàm antea. Ita de illis Chrysost. *Isti profectò sunt Sancti, atque inter homines Angeli.* Unde & Angeli ad eos veniunt. *Audeo dicere S. Angeli cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis ac in cœlis.* Ait Bernard. serm. ad Fratres. Sed Benedictus id recepit uberiùs, dedit ex suo ordine Reges mundo, Ramirum secundum Aragonibus, Casimirum Polonis, Tribellium Bulgaris. Recepit ad suum habitum Reges, Anastasium II. Imp. Michaëlem I. Imp. Theodosium III. Lotharium, Hugonem, Isacium, Emmanuelem, omnes Imp. Dedit Ecclesiæ Doctores Gregorium & Leonem Magnos, & alios Pontifices 38. Centuplum accepit in hoc honore.

Deducet me in terram rectam. Dyonis. in l. c. *id est, In religionem cœlestem, in terram viventium.* Nam teste Basil. de laud. vitæ solit. est ut sepulchrum Christi, recepit mortuum, reddidit vivum. Sic veniunt peccatores ad cellam, exeunt Sancti. Bernard. serm. ad Fratres. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, in quibus passer invenit nidum, & turtur domum, ubi reponat pullos suos. Passer animal naturaliter vitiosum, mobile, leve, importunum, garrulum, ac pronum in libidinem. Et turtur pacis amica, opacæ solitudinis familiaris incola, forma simplicitatis, exemplum castitatis. Ille sibi invenit in eis domum quietis & securitatis; illa nidum ubi reponat pullos suos. In tabernaculo Domini, in disciplina cellarum.* Exierunt ex cella S. Benedicti ut refert Tritemius, quinquaginta quinque millia Sanctorum canonizati. At die quâ ipse Sanctus moriebatur, narrat Gregor. Dial. 2. *Via recta orientis tramite ad cœlum usque tendebatur strata palliis.* Tanquam Regi intraturo.

De-

Deducet me in terram rectam. Legit Felix, *In terram innocentiæ.* Procedit Religio cum ſuis ut cum cæpa, id eſt, cum radice, crocis, cùm inſeritur, prodit plena tunicellis, totum debet avelli, & transplantari ipſa, & ſic fructificat. Eſt terra innocentiæ, ſunt ut in Paradiſo modò. Innocentia in ore fuit Sancti; teſtatur Gregor. quòd nunquam dixerit verbum otioſum. Innocentia in oculis. Crudelis quidam dictus Galla, cùm torqueret ruſticum ut daret illi pecunias; hic finxit ſe apud Sanctum eas depoſuiſſe, ligatum eò deducit Galla, tantùm aſpexit Sanctus, vincula deciderunt. Innocentes manus quæ tot miracula fecerunt. Terra quam calcavit. Erat quædam Amens, dormiebat in campis, venit etiam ad ſpeluncam in qua aliquando vixit Sanctus, ſanata eſt. In nomine, quia DEO convenit benedictum eſſe, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſæcula. Hoc nomen Matri ſuæ Chriſtus dedit. *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc Pater Filio, *Benedictus fructus ventris tui.* Eſſe maledictum ſignificat plenum eſſe omni malo. Ita 4. Reg. 19. Jehu dicit de impiiſſima Jezabel. *Ite & ſepelite maledictam illam.* Ita Deut. 12. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* E contra, omne bonum ſignificat benedictus; ita Abrahamo. *Eritque benedictus.* Quare? quia multos filios erat habiturus, etiam Sanctus; nam Abbatias habuit aliquot mille. Prioratus ſedecim millia. Araham vidit DEUM in Angelis, Sanctus, ut dicit Gregor. in eſſentia in hac vita. Abraham reliquit domum: Sanctus cùm ab impuritate tentaretur, reliquit veſtes, & ſe volutavit in ſpinis. Abrahami curam habuit DEUS, & dum Sanctus in ſpelunca famem pateretur, præcepit DEUS cuidam Clerico, ut illi ferret prandium, quod pro ſe ſplendidum parabat. Pro filio Abrahæ Iſmaële paravit DEUS in deſerto aquas, & pro filiis Sancti in tribus monaſteriis, quæ erant in ſaxis altis, & laborabant gravi defectu aquæ, poſitis tribus

la-

lapidibus, ostendit ubi largas essent effossuri aquas. Redditus in monte vivus Isaac Abrahæ, & Sanctus cujusdam filium suscitavit; alterum, dum Sancti ossa transferrentur. Dedit vitam æternam duabus Monachabus, quas primò propter insolentiam excommunicaverat, & in ea mortuæ, in templo sepultæ, quoties Diaconus dicebat, ut excommunicatæ exirent; & illæ exibant. Sollicita de hoc Abbatissa, recurrit ad Sanctum, dedit illi Sanctus certam pecuniam, ut offerret pro illis; obtulit, non amplius exibant. Sub nomine Benedictus, ut in Abraha comprehenduntur omnia, hoc est, centuplum. Dedit vitam & plantis hyeme, cùm ejus corpus transferretur, surrexit, ivit pedes, & omnia vivere fecit. Obedivit Abraham DEO. Sancto mortui obediunt. Fuit apud Sanctum cujusdam Filius in educatione, pertæsus fugit ad patrem, mortuus, sepultus in Templo Monasterii, ejecit illum terra, & hoc secundò & tertiò. Recurrerunt Parentes ad Sanctum, jussit ille, ut quidam Monachus supra pueri pectus poneret hostiam; quo facto, non ampliùs illum terra ejecit. Quare quod de Moyse dictum est, dici potest de Sancto, Deuter. lib. *Non surrexit ultra Propheta in Israël, sicut Moyses.*

In Annunciatione B. M. Virginis.

CONCIO I.

Missus est Gabriel Angelus ad Virginem.

Lucæ 2.

HOdiernum demum Evangelium ostendit, quanta sit B. Virgo. Mittitur ad illam Seraphim, ex quo choro nullus legitur

legitur ad hæsisse Lucifero, nam & ipse in choro ponitur inferiore, scilicet Cherubim, Seraphim, quia hic est ordo inter Angelos, ut mittantur à DEO Seraphini, ab his Cherubini, & deinceps. Hic verò à DEO mittitur, itaque est Seraphinus. Et hoc ipsum sentit Bernard. epist.17. ad Hugonem à S. Victore. Nam, Angelus nomen est officii, non naturæ, & Angeli dicuntur qui parva, Archangeli qui nunciant magna. In consensu Virginis appenditur salus mundi, preces S S. Patrum, suspiria, nihil, nisi Virgo consentiat, ut idem Bernard. & August. ex his & ego dignitatem B. Virginis deducam.

Quanti DEUS Virginem S. faciat ex hac legatione patet. Non mittit ullus Rex Principem nisi ad personam quam tanto honore dignam judicat. Seraphim sunt Angelorum supremi. Hinc si magna dignitas Petri, quia DEUS ad illum misit in carcerem Angelum; magna Joannis, quia Angelus in Apocalypsi illi loquitur, quanta Virginis S. cui Seraphim honorem defert, qui tanto Angelis altior quanto Rex suis Agricolis. Archangelus enim Angelis sanctior, dignior, & sic per novem gradus ascendendo tandem pervenitur ad Seraphinos. Et isti ipsi quanti faciant Virginem S. qui etiam Sancto viro de illa non permiserunt loqui, nisi priùs igne cœlesti labia ejus purgavissent. Id enim advertit Alb. M. in Mariali, cap. 17. quòd antequam Isaias illa verba diceret, *Ecce Virgo concipiet*, &c. Purgavit Seraphim calculo ignito labia ejus; sed tam ignito ut eum manu tenere non sustineat, forcipe tulerit de altari. Quis verò ignis alius in cœlo, nisi Spiritûs S. itaque tanto ardore implevit illum calculum Spiritus S. ut eum Seraphim capere non potuerit, & hoc ideò solùm, ut de Virgine S. dignè Propheta loqueretur. Quomodo putamus Virginem S. eo repletam igne! Hinc veluti non caperet Seraphim solùm dicit. *Spiritus S. obumbrabit tibi*, quasi diceret, hoc superat meum

captum, quid & quomodo Spiritus S. faciet, caligant ad hoc mei oculi, quia omnis creaturæ captum superat mysterium Incarnationis Filii DEI, quod in Virgine S. peractum. Anselm. de excell.B.V. ita ex hoc dignitatem B.Virginis infert.Cùm pro adventu Magni Principis solent hospitium quàm maximè exornari. Si talis apparatus fit pro adventu momentaneæ potestatis, qualis apparatus fiebat in corde B. Virginis pro adventu æterni Regis. Explicuit ampliùs hunc apparatum Concil. Ephesinum. Virgini *nulla perfectio deest omnis post DEUM cogitabilis munditiei?* Nullo tempore, nullo loco fuit aut erit tam digna Virgo. Cogita quidquid post DEUM cogitare potes, in Virgine S. est. In Seraphinis est amor DEI, major est in Virgine S. In Cherubinis est scientia, in Virgine S. ipsa se reposuit Sapientia, &c. Uno verbo, *plena gratiâ.* Nulla perfectio post DEUM cogitabilis illi deest. Quidam appellavit Mulierem circulum, quia de viro sumpta, & Gen. 3. ad virum conversio ejus. B. Virgo est circulus DEUM concludens, juxta illud de ea. *Mulier circumdabit virum.* Bonau opusc. de laud. B. Virg. *Excepto solo DEO est omnibus altior.* Igitur si omnium Sanctorum dignitates in unum conferas, est dignior; & quia Mater æqualitatem quandam habet cum Filio, adeò ut Aristot. in Polit. dicat. Si mater in bello caperetur, à Filio non posset esse mancipium. Id eveniet quod S. Joan. Bapt. supremus inter Sanctos: & qui *major non surrexit*, ut de Filio B. Virginis diceret, *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Idem de B. Virgine omnes Sancti certo modo dicunt. Rem unam tamen miror in hoc Seraphino, antequam B. Virgo concepisset, vocat *gratiâ plenam.* Postquam assensit S. Virgo; *statim discessit ab ea.* Modò primò deberes Seraphine dicere, quid ei gratiæ accesit; nam quidquid illi hactenus collatum est eo titulo datum, quia futura erit DEI Mater. Jam concepit, modò

illius

illius explica dignitatem. Poteſt fieri, ut ita acciderit ſicut in humanis ſolet. Mittit Princeps ad alium Principem Legatum, hic perorat, interea Princeps qui miſit, ſupervenit, Legatus ſtatim verba abrumpit. Auguſt. ſerm. 17. de Natali: *Nec mora, revertitur Nuncius, & ingreditur Chriſtus.* Potuit etiam ex eo accidere, quia antequam B. Virgo concepiſſet, poterat Angelus ejus dignitatem verbis exprimere, *gratiâ plena*, ita plena, ut homo non poſſit poſt, ſeu infra DEUM cogitare pleniorem, ſed cùm Mater effecta eſt jam eſt factum quoddam infinitum, infinita eſt enim iſta Maternitas, & quâ ut docet S. Th. DEUS majorem facere non poſſit. Hoc jam (fortè cogitabat Angelus) nec ego explicare, neque vos homines capere poteſtis. *Diſceſſit ab ea.* Quò Soli aliquid vicinius eò clarius; jam totus eſt Sol in hac Virgine, mortalium oculi hoc non ſuſtinebitis. Jer. 31. *Creavit Dominus novum ſuper terram, mulier circumdabit virum.* Ipſa Mater, ipſa Pater, ipſa Avus, Proavus, Filii, &c. Omnis illi creatura ſervire debet. Jam eſt mea poſt DEUM Domina & Regina, ego famulus, coram illa ſilere me decet. *DEUS lucem habitat inacceſſibilem*, ad hanc lucem proximè S. Virgo acceſſit. Hanc DEUS Pater habet Affinem, Filius Matrem, Spiritus S. Sponſam: *diſceſſit ab ea.*

Sed ad id redeamus, quod ſolùm obiter attigimus. *Ne timeas Maria*, conſenties, à tuo conſenſu pendet ſalus orbis, niſi conſenſeris, non fiet DEUS homo. Ergo tantùm opus à Virginis S. pendet conſenſu. Pſ. 8. *Videbo opera digitorum tuorum, Lunam & ſtellas.* Quando creabat cœlum, terram DEUS, quaſi ad hoc ſolùm digitos adhibuiſſet, at verò præſens opus eſt tantum, ut ad illud DEUS brachii potentiam exerat. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Et in hoc relinquit in arbitrio Virginis S. ô quanta hæc eſt Virgo DEO! Jam intelligi poteſt Magni Theologi Suarez hypotheſis. Si eſſet diverſitas voluntatum in

in cælo, & ex una parte omnes Sancti orarent DEUM, ut aliquid faceret: ex altera parte sola B. Virgo, ne faceret; id futurum quod illa oraret. Per aliquot millia annorum orabant Sancti, immolabant victimas, offerebant sacrificia, ut DEUS fieret homo, & ecce consensum Virginis S. DEUS expectat, igitur pluris illam facit quam Sanctos reliquos. Igitur & illa majorum est virtutum, quàm Sancti omnes. Accipiamus ex his solam humilitatem, per quam præcipuè meruit esse Mater DEI. Et sicut Rupert. in 2. Cant. *Cunctæ virtutes, omnes gratiæ quæ Virginem exornabant, humilitati ejus tributa pendebant.* Angelus dicit: eris Mater. At illa. *Ecce ancilla Domini.* Jam Tibi ô S. Virgo tantum est à DEO collatum, quomodo es ancilla? sit servus qui peccavit, *Tu es tota pulchra.* Quò altiùs subvehitur, eò profundiùs descendit. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, quò plus aquarum in montes fundit cœlum, eò majore impetu non fertur nisi ex monte. Lætificabo civitatem DEI, hæc humilitas reparabit ruinas factas per lapsum Luciferi in civitate DEI. Sed quomodo ancilla cùm serva nunquam fuerit peccati? Tres sunt *fontes abyssi magnæ*, tres humilitatis. Fons peccati, fons nihili, fons Divinæ perfectionis. Ex primo nec B. Virgo, nec Angeli hauriunt humilitatem, ex duobus aliis abundè. Cogitavit DEI excellentias. *Ecce ancilla Domini.* Ille æternus, ego aliquot annorum: ille immensus, ego aliquot pedum, idque in alieno: ille mare boni, ego guttula, idque de ipso profluens; imò quota pars guttulæ, cùm totus orbis sit guttula. Ille tantus DEUS, & ecce in me fiet guttula, quid ego deinde? S. Ambr. lib. de fuga sæculi. *Postquam te vidi propter me humiliatum è cœlis descendisse, non valui ampliùs sustinere; sed tanto pondere amoris victus, in terram prostratus adoravi te.* Quid S. Virgo propter quam, & in quæ humiliatus? Ex altera parte, nec Ambrosius, nec alia creatura, ita penetravit nihilum sui ut B.

Virgo. Et quia ut Chrysost. hom. 3. in Matth. *Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia Divinæ fuerit subjecta voluntati.* Humilitatem B. Virginis cum terra contulit Alb. M. in in Luc. 12. Si terram mittas in mare, obsequitur: si in alto colloces, manet, educitur à Sole in nubes, inde jubetur ad terram redire redit: Virgo S. perfectissimè voluntatem suam Divinæ submisit. *Cùm*, ut Bern. in Miss. est homil. 3. *Cor fidei, labia confessioni, viscera adaperient Creatori, dixit: Ecce ancilla, &c.* Verus humilis ut sibi diffidit, ita confidit DEO, qui etiam *de lapidibus potest facere filios Abrahæ.* Scio me hâc indignum esse gratiâ, sed si tu vis, ego volo. Isaias cap. 7. dum ad hoc Mysterium collimat, loquitur ad Achaz, *Pete tibi signum*, sunt in *profundum inferni*, &c. Videtur hanc humilitatem S. Virginis descripsisse, acsi diceret: Erit Virgo ita humilis, ut magis se humiliare possit quam aliquis inferno dignus, nemo Sanctorum magis. Sed simul excellentias alias S. Virginis innuit. *In profundum inferni.* Sicut Filius ejus vastavit infernum, ita & illa, etsi alio modo. Ille de sepulchro assurget, ista assumetur. *Pete tibi signum in excelsum suprà.* Nullum excelsius Virgine S. miraculum. Ambr. de institut. Virg. cap. 5. *Parturire Virginem majus est miraculum quàm reviviscere mortuum.* Hoc enim sæpiùs contigit, hoc verò tantùm semel. Sed quomodo verum est Isaiæ, qui dixit vocandum Emmanuelem, cùm non sic vocemus? Tertull. lib. 3. contra Marcionem, respondet, vocandum Emmanuelem *non sono sed sensu.* Sicut Isai. 1. dicitur de Jerusalem, *Vocaberis civitas Justi*, Jer. 3. *Solium Domini.* Zach. 8. *Civitas veritatis.* Hæc de humilitate S. Virginis, quid de Virginitate? Magna Virginitas S. Tereſſiæ de qua Ribera in vita ejus, quòd filias suas venuit odorari flosculos, quos halitus viri afflâsset. Magna illius de qua Sulpit. in vita S. Martini, quæ nec hujus Sancti oculis voluit videri. Magna Magdalenæ de Pazzis, quam

dum mortuam, ut est in ejus vita, quidam lascivus voluit videre avertit vultum. Magna illius de qua Rosw. in vitis P P. quam dum mortuam quidam voluisset contrectare, arripuit illum. Sed nulla est quæ visa solùm extinxerit faces hujus ignis, nisi sola B. Virgo, & quæ ad amorem puritatis provocaverit, ut scribit S. Thom. in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 2. Quid de aliis Virtutibus?

Chrysolog. serm. de Annunt. dum loquitur de Consensu Virginis S. ait: *Mox sensit Virgo in se supernum suscipi Judicem, ubi jam ante vidit cœlestem, & contemplata est mutatorem.* Mutari ad castra spectat, quid hodie Virgini S. cum castris? Duo Reges, Syriæ & Ephraim contra Regum Judæ conspirârunt, tremor invasit Achaz Regem Judæ, ut est Isai. 7. misit DEUS ad illum Isaiam. Noli timere hos duos Reges tanquam duas caudas fumigantium titionum, & ut sis certus quòd tibi DEUS aderit, *Pete tibi signum.* Achaz sive ob reverentiam DEI, sive ob malitiam, nam ubi nos legimus, *Non petam & non tentabo Dominum.* Alii legunt. *Non glorificabo.* Noluit petere, tum Isaias. *Dominus dabit vobis signum. Ecce Virgo concipiet*, &c. An hìc sunt castra contra hostem? Imò sunt maximè. Regnum Judæ erat Regnum David, cùm annunciatur Christus nasciturus, additur. *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Non timeas Achaz, sint quanticunque hostes, regnum Juda est regnum David, erit perpetuum. Fumant & modò titiones non tantùm hominum, sed etiam inferni, in hoc signo Virginis sub Emmanuele vincemus. Emmanuel concipitur, quia Virgo consensit. Emmanuel significat, *nobiscum est DEUS.*

De Eadem. CONCIO II.

VEndiderat se homo in diram servitutem, vendiderat Patriam

triam, cœlum: opus erat redimere, deerat tanti valoris num-
mus. Suspirabat homo, quia promissum habuit. Cantic. 8.
Quis mihi det te Fratrem meum? Inveniebatur quidem hujus num-
mi materia in terra, sed forma quæ dat valorem deerat. Im-
primis eam Spiritus S. hodie dum unit humanæ Divinam na-
turam, inde imago in nummo resultat quam ostendit Joan.
Ecce Agnus DEI, &c. Hoc verò totum fit in B. Virgine quam
ita Damian. serm. 45. salutat. *Salve Virgo, gazophylacium the-
sauri, quo sumus de cruenti prædonis servitio comparati.* Conside-
remus & nummum & gazophylacium, ut sciamus quid nobis
beneficii sit factum.

De valore hujus nummi loqui, neque ulli Cœlitum datum
est satis. Dyonis. de Diu. Nominibus, cap. 2. *JESV in carne
apparitio, & ineffabilis sermone, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quo-
que antiquissimorum Angelorum primatui non satis perspecta.* Nihilo-
minus nisi saltem aliquo modo cognoscatur, grati pro illa non
erimus, atque ita saltem hoc de illa dico, quòd plùs fecit in illa
pro nobis quàm nos cogitare possimus. Faciat novum mun-
dum, novos cœlos, Angelos, &c. propter nos: faciat hoc
millies, &c. Amplius fecit cùm est factus homo, quia fecit
hoc quo majus facere non potest, lib. 3. de fide. *Nihil majus est
quàm quòd DEVS efficere potuit, ampliùs enim efficere quid non va-
luit.* Hic fecit quod maximum potuit, sapientia, bonitas, ju-
stitia DEI. In aliis operibus, quasi partem potentiæ, bonita-
tis, ostendit, hìc totam. S. Thom. opusc. 60. docet *Incarnatio-
nem factam opere infinitæ potentiæ, incomprehensibilis sapientiæ & boni-
tatis immensæ DEI.* Consideremus singula, & inprimis sapien-
tiam. Fuerunt ab initio mundi variæ actiones hominum, v.
gr. Abraham immolabat Isaacum, Salomon ædificabat Tem-
plum, &c. Omnes liberrimè agebant: tamen DEUS ita illas
ordinabat, ut quædam essent delineatio hujus mysterii. S. Joan

Geo-

Geometra Doctor Græcus ubi alloquitur S. Virginem. *Illa omnia te præsignârunt*, *Portam perviam ac simul clausam*, ut est apud Ezech. *Fornacem irroratam ac simul accensam*, apud. Dan. *Nubem in die simul & recti itineris nunciam.* Exod. *Petram melle fluentem Terram quæ inculta manna proferat*, *Tabulam à DEO conscriptam*, &c. Hæc omnia fuerunt veluti per carbonem delineatio, quàm adhibent Pictores imaginem depicturi. His ita se habentibus & immotis DEUS addidit colores, & imaginem DEI hominis perfecit, quod malo ejusdem Doctoris verbis exprimere. *Virtus Altissimi obumbrabit*, *quasi adumbratis quibusdam à Spiritu S. figuris per semetipsum colores ipsos injiciens.* Jam Angelus dicit. *Ecce Elisabeth*, hæc vox continet mysterium, idem eum significat atque *Septima DEI mei, Sabbatum.* Sex diebus creabat DEUS mundum, quievit septimâ; in hac quiete, in hoc Sabbato, *Verbum caro factum.* De illis figuris dici potest Isai. 37. *Venerunt Filii usque ad partum*, *sed non erat virtus pariendi.* Hodie. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, *pariet Filium.* Et hic simul Sapientiam S. Virginis. Novum etiam quod Adam fuerit caput mundi, Noë instar colli in quo ad octo homines redactus erat mundus, quatuor Monarchiæ successerunt quasi manus & pectus, novissima tempora quasi pedes. Mittit 1. Reg. 21. ad Abigail, ut illam sumat in uxorem David, quid illa? Ecce famula tua, *ut lavet pedes servorum Domini mei.* B. Virgo similiter. *Ecce ancilla*, &c. Lavat verò etiam pedes, id est, ultima sæcula. Bern. sermon. 5. de verbis Isai. *Mysterium Incarnationis ad pedes specialiter cognoscitur pertinere.* Est allusio ad Seraphim qui velabant alii pedes. Sed quomodo pertinet? *Ipse salvum faciet populum à peccatis eorum.* Hoc ipsum explicat, *regnabit in domo Jacob*; discolores oves ad eum pertinebunt, & ipse erit Pastor, & Apostolus velut duodecim Pastores constituet, *regnabit in domo David.* Regnum hoc ita se habuit, 1. Reg. 22. *Convenerunt ad eum omnes*

qui

legitur ad hæsisse Lucifero, nam & ipse in choro ponitur inferiore, scilicet Cherubim, Seraphim, quia hic est ordo inter Angelos, ut mittantur à DEO Seraphini, ab his Cherubini, & deinceps. Hic verò à DEO mittitur, itaque est Seraphinus. Et hoc ipsum sentit Bernard. epist.17. ad Hugonem à S. Victore. Nam, Angelus nomen est officii, non naturæ, & Angeli dicuntur qui parva, Archangeli qui nunciant magna. In consensu Virginis appenditur salus mundi, preces SS. Patrum, suspiria, nihil, nisi Virgo consentiat, ut idem Bernard. & August. ex his & ego dignitatem B. Virginis deducam.

Quanti DEUS Virginem S. faciat ex hac legatione patet. Non mittit ullus Rex Principem nisi ad personam quam tanto honore dignam judicat. Seraphim sunt Angelorum supremi. Hinc si magna dignitas Petri, quia DEUS ad illum misit in carcerem Angelum; magna Joannis, quia Angelus in Apocalypsi illi loquitur, quanta Virginis S. cui Seraphim honorem defert, qui tanto Angelis altior quanto Rex suis Agricolis. Archangelus enim Angelis sanctior, dignior, & sic per novem gradus ascendendo tandem pervenitur ad Seraphinos. Et isti ipsi quanti faciant Virginem S. qui etiam Sancto viro de illa non permiserunt loqui, nisi priùs igne cœlesti labia ejus purgavissent. Id enim advertit Alb. M. in Mariali, cap. 17. quòd antequam Isaias illa verba diceret, *Ecce Virgo concipiet*, &c. Purgavit Seraphim calculo ignito labia ejus; sed tam ignito ut eum manu tenere non sustineat, forcipe tulerit de altari. Quis verò ignis alius in cœlo, nisi Spiritûs S. itaque tanto ardore implevit illum calculum Spiritus S. ut eum Seraphim capere non potuerit, & hoc ideò solùm, ut de Virgine S. dignè Propheta loqueretur. Quomodo putamus Virginem S. eo repletam igne! Hinc veluti non caperet Seraphim solùm dicit. *Spiritus S. obumbrabit tibi*, quasi diceret, hoc superat meum

captum, quid & quomodo Spiritus S. faciet, caligant ad hoc mei oculi, quia omnis creaturæ captum ſuperat myſterium Incarnationis Filii DEI, quod in Virgine S. peractum. Anſelm. de excell. B. V. ita ex hoc dignitatem B. Virginis infert. Cùm pro adventu Magni Principis ſolent hoſpitium quàm maximè exornari. Si talis apparatus fit pro adventu momentaneæ poteſtatis, qualis apparatus fiebat in corde B. Virginis pro adventu æterni Regis. Explicuit ampliùs hunc apparatum Concil. Epheſinum. Virgini *nulla perfectio deeſt omnis poſt DEVM cogitabilis munditiei?* Nullo tempore, nullo loco fuit aut erit tam digna Virgo. Cogita quidquid poſt DEUM cogitare potes, in Virgine S. eſt. In Seraphinis eſt amor DEI, major eſt in Virgine S. In Cherubinis eſt ſcientia, in Virgine S. ipſa ſe repoſuit Sapientia, &c. Uno verbo, *plena gratiâ.* Nulla perfectio poſt DEUM cogitabilis illi deeſt. Quidam appellavit Mulierem circulum, quia de viro ſumpta, & Gen. 3. ad virum converſio ejus. B. Virgo eſt circulus DEUM concludens, juxta illud de ea. *Mulier circumdabit virum.* Bonau opuſc. de laud. B. Virg. *Excepto ſolo DEO eſt omnibus altior.* Igitur ſi omnium Sanctorum dignitates in unum conferas, eſt dignior; & quia Mater æqualitatem quandam habet cum Filio, adeò ut Ariſtot. in Polit. dicat. Si mater in bello caperetur, à Filio non poſſet eſſe mancipium. Id eveniet quod S. Joan. Bapt. ſupremus inter Sanctos: & qui *major non ſurrexit*, ut de Filio B. Virginis diceret, *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus.* Idem de B. Virgine omnes Sancti certo modo dicunt. Rem unam tamen miror in hoc Seraphino, antequam B. Virgo concepiſſet, vocat *gratiâ plenam.* Poſtquam aſſenſit S. Virgo; *ſtatim diſceſſit ab ea.* Modò primò deberes Seraphine dicere, quid ei gratiæ acceſſit; nam quidquid illi hactenus collatum eſt eo titulo datum, quia futura erit DEI Mater. Jam concepit, modò
illius

illius explica dignitatem. Potest fieri, ut ita acciderit sicut in humanis solet. Mittit Princeps ad alium Principem Legatum, hic perorat, interea Princeps qui misit, supervenit, Legatus statim verba abrumpit. August. serm. 17. de Natali: *Nec mora, revertitur Nuncius, & ingreditur Christus.* Potuit etiam ex eo accidere, quia antequam B. Virgo concepisset, poterat Angelus ejus dignitatem verbis exprimere, *gratiâ plena*, ita plena, ut homo non possit post, seu infra DEUM cogitare pleniorem, sed cùm Mater effecta est jam est factum quoddam infinitum, infinita est enim ista Maternitas, & quâ ut docet S. Th. DEUS majorem facere non possit. Hoc jam (fortè cogitabat Angelus) nec ego explicare, neque vos homines capere potestis. *Discessit ab ea.* Quò Soli aliquid vicinius eò clarius; jam totus est Sol in hac Virgine, mortalium oculi hoc non sustinebitis. Jer. 31. *Creavit Dominus novum super terram, mulier circumdabit virum.* Ipsa Mater, ipsa Pater, ipsa Avus, Proavus, Filii, &c. Omnis illi creatura servire debet. Jam est mea post DEUM Domina & Regina, ego famulus, coram illa silere me decet. *DEUS lucem habitat inaccessibilem*, ad hanc lucem proximè S. Virgo accessit. Hanc DEUS Pater habet Affinem, Filius Matrem, Spiritus S. Sponsam: *discessit ab ea.*

Sed ad id redeamus, quod solùm obiter attigimus. *Ne timeas Maria*, consenties, à tuo consensu pendet salus orbis, nisi consenseris, non fiet DEUS homo. Ergo tantùm opus à Virginis S. pendet consensu. Ps. 8. *Videbo opera digitorum tuorum, Lunam & stellas.* Quando creabat cœlum, terram DEUS, quasi ad hoc solùm digitos adhibuisset, at verò præsens opus est tantum, ut ad illud DEUS brachii potentiam exerat. *Fecit potentiam in brachio suo.* Et in hoc relinquit in arbitrio Virginis S. ô quanta hæc est Virgo DEO! Jam intelligi potest Magni Theologi Suarez hypothesis. Si esset diversitas voluntatum

in cælo, & ex una parte omnes Sancti orarent DEUM, ut aliquid faceret: ex altera parte sola B. Virgo, ne faceret; id futurum quod illa oraret. Per aliquot millia annorum orabant Sancti, immolabant victimas, offerebant sacrificia, ut DEUS fieret homo, & ecce consensum Virginis S. DEUS expectat, igitur pluris illam facit quam Sanctos reliquos. Igitur & illa majorum est virtutum, quàm Sancti omnes. Accipiamus ex his solam humilitatem, per quam præcipuè meruit esse Mater DEI. Et sicut Rupert. in 2. Cant. *Cunctæ virtutes, omnes gratiæ quæ Virginem exornabant, humilitati ejus tributa pendebant.* Angelus dicit: eris Mater. At illa. *Ecce ancilla Domini.* Jam Tibi ô S. Virgo tantum est à DEO collatum, quomodo es ancilla? sit servus qui peccavit, *Tu es tota pulchra.* Quò altiùs subvehitur, eò profundiùs descendit. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, quò plus aquarum in montes fundit cœlum, eò majore impetu non fertur nisi ex monte. Lætificabo civitatem DEI, hæc humilitas reparabit ruinas factas per lapsum Luciferi in civitate DEI. Sed quomodo ancilla cùm serva nunquam fuerit peccati? Tres sunt *fontes abyssi magnæ*, tres humilitatis. Fons peccati, fons nihili, fons Divinæ perfectionis. Ex primo nec B. Virgo, nec Angeli hauriunt humilitatem, ex duobus aliis abundè. Cogitavit DEI excellentias. *Ecce ancilla Domini.* Ille æternus, ego aliquot annorum: ille immensus, ego aliquot pedum, idque in alieno: ille mare boni, ego guttula, idque de ipso profluens; imò quota pars guttulæ, cùm totus orbis sit guttula. Ille tantus DEUS, & ecce in me fiet guttula, quid ego deinde? S. Ambr. lib. de fuga sæculi. *Postquam te vidi propter me humiliatum è cœlis descendisse, non valui ampliùs sustinere; sed tanto pondere amoris victus, in terram prostratus adoravi te.* Quid S. Virgo propter quam, & in quæ humiliatus? Ex altera parte, nec Ambrosius, nec alia creatura, ita penetravit nihilum sui ut B.

Virgo. Et quia ut Chrysost. hom. 8. in Matth. *Humilitatis summa in eo consistit, si voluntas nostra per omnia Divinæ fuerit subjecta voluntati.* Humilitatem B. Virginis cum terra contulit Alb. M. in in Luc. 12. Si terram mittas in mare, obsequitur: si in alto colloces, manet, educitur à Sole in nubes, inde jubetur ad terram redire redit: Virgo S. perfectissimè voluntatem suam Divinæ submisit. *Cùm*, ut Bern. in Miss. est homil. 3. *Cor fidei, labia confessioni, viscera adaperient Creatori, dixit: Ecce ancilla, &c.* Verus humilis ut sibi diffidit, ita confidit DEO, qui etiam *de lapidibus potest facere filios Abrahæ.* Scio me hâc indignum esse gratiâ, sed si tu vis, ego volo. Isaias cap. 7. dum ad hoc Mysterium collimat, loquitur ad Achaz, *Pete tibi signum*, sunt in *profundum inferni*, &c. Videtur hanc humilitatem S. Virginis descripsisse, acsi diceret: Erit Virgo ita humilis, ut magis se humiliare possit quam aliquis inferno dignus, nemo Sanctorum magis. Sed simul excellentias alias S. Virginis innuit. *In profundum inferni.* Sicut Filius ejus vastavit infernum, ita & illa, etsi alio modo. Ille de sepulchro assurget, ista assumetur. *Pete tibi signum in excelsum suprà.* Nullum excelsius Virgine S. miraculum. Ambr. de institut. Virg. cap. 5. *Parturire Virginem majus est miraculum quàm reviviscere mortuum.* Hoc enim sæpiùs contigit, hoc verò tantùm semel. Sed quomodo verum est Isaiæ, qui dixit vocandum Emmanuelem, cùm non sic vocemus? Tertull. lib. 3. contra Marcionem, respondet, vocandum Emmanuelem *non sono sed sensu.* Sicut Isai. 1. dicitur de Jerusalem, *Vocaberis civitas Justi*, Jer. 3. *Solium Domini.* Zach. 8. *Civitas veritatis.* Hæc de humilitate S. Virginis, quid de Virginitate? Magna Virginitas S. Teressiæ de qua Ribera in vita ejus, quòd filias suas vetuit odorari flosculos, quos halitus viri afflasset. Magna illius de qua Sulpit. in vita S. Martini, quæ nec hujus Sancti oculis voluit videri. Magna Magdalenæ de Pazzis, quam

dum mortuam, ut eſt in ejus vita, quidam laſcivus voluit videre avertit vultum. Magna illius de qua Roſw. in vitis P P. quam dum mortuam quidam voluiſſet contrectare, arripuit illum. Sed nulla eſt quæ viſa solùm extinxerit faces hujus ignis, niſi ſola B. Virgo, & quæ ad amorem puritatis provocaverit, ut ſcribit S. Thom. in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 2. Quid de aliis Virtutibus?

Chryſolog. ſerm. de Annunt. dum loquitur de Conſenſu Virginis S. ait: *Mox ſenſit Virgo in ſe ſupernum ſuſcipi Judicem, ubi jam ante vidit cœleſtem, & contemplata eſt mutatorem.* Mutari ad caſtra ſpectat, quid hodie Virgini S. cum caſtris? Duo Reges, Syriæ & Ephraim contra Regum Judæ conſpirârunt, tremor invaſit Achaz Regem Judæ, ut eſt Iſai. 7. miſit DEUS ad illum Iſaiam. Noli timere hos duos Reges tanquam duas caudas fumigantium titionum, & ut ſis certus quòd tibi DEUS aderit, *Pete tibi ſignum.* Achaz ſive ob reverentiam DEI, ſive ob malitiam, nam ubi nos legimus, *Non petam & non tentabo Dominum.* Alii legunt. *Non glorificabo.* Noluit petere, tum Iſaias. *Dominus dabit vobis ſignum. Ecce Virgo concipiet*, &c. An hìc ſunt caſtra contra hoſtem? Imò ſunt maximè. Regnum Judæ erat Regnum David, cùm annunciatur Chriſtus naſciturus, additur. *Dabit illi Dominus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Non timeas Achaz, ſint quanticunque hoſtes, regnum Juda eſt regnum David, erit perpetuum. Fumant & modò titiones non tantùm hominum, ſed etiam inferni, in hoc ſigno Virginis ſub Emmanuele vincemus. Emmanuel concipitur, quia Virgo conſenſit. Emmanuel ſignificat, *nobiſcum eſt DEUS.*

De Eadem. CONCIO II.

Vendiderat ſe homo in diram ſervitutem, vendiderat Patriam

triam

triam, cœlum: opus erat redimere, deerat tanti valoris nummus. Suspirabat homo, quia promissum habuit. Cantic. 8. *Quis mihi det te Fratrem meum?* Inveniebatur quidem hujus nummi materia in terra, sed forma quæ dat valorem deerat. Imprimis eam Spiritus S. hodie dum unit humanæ Divinam naturam, inde imago in nummo resultat quam ostendit Joan. *Ecce Agnus DEI*, &c. Hoc verò totum fit in B. Virgine quam ita Damian. serm. 45. salutat. *Salve Virgo, gazophylacium thesauri, quo sumus de cruenti prædonis servitio comparati.* Consideremus & nummum & gazophylacium, ut sciamus quid nobis beneficii sit factum.

De valore hujus nummi loqui, neque ulli Cœlitum datum est satis. Dyonis. de Diu. Nominibus, cap. 2. *JESV in carne apparitio, & ineffabilis sermone, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primatui non satis perspecta.* Nihilominus nisi saltem aliquo modo cognoscatur, grati pro illa non erimus, atque ita saltem hoc de illa dico, quòd plùs fecit in illa pro nobis quàm nos cogitare possimus. Faciat novum mundum, novos cœlos, Angelos, &c. propter nos: faciat hoc millies, &c. Amplius fecit cùm est factus homo, quia fecit hoc quo majus facere non potest, lib. 3. de fide. *Nihil majus est quàm quòd DEVS efficere potuit, ampliùs enim efficere quid non valuit.* Hic fecit quod maximum potuit, sapientia, bonitas, justitia DEI. In aliis operibus, quasi partem potentiæ, bonitatis, ostendit, hìc totam. S. Thom. opusc. 60. docet *Incarnationem factam opere infinitæ potentiæ, incomprehensibilis sapientiæ & bonitatis immensæ DEI.* Consideremus singula, & inprimis sapientiam. Fuerunt ab initio mundi variæ actiones hominum, v. gr. Abraham immolabat Isaacum, Salomon ædificabat Templum, &c. Omnes liberrimè agebant: tamen DEUS ita illas ordinabat, ut quædam essent delineatio hujus mysterii. S. Joan

Geo-

Geometra Doctor Græcus ubi alloquitur S. Virginem. *Illa omnia te præsignârunt, Portam perviam ac simul clausam*, ut est apud Ezech. *Fornacem irroratam ac simul accensam*, apud. Dan. *Nubem in die simul & recti itineris nunciam.* Exod. *Petram melle fluentem Terram quæ inculta manna proferat, Tabulam à DEO conscriptam*, &c. Hæc omnia fuerunt veluti per carbonem delineatio, quàm adhibent Pictores imaginem depicturi. His ita se habentibus & immotis DEUS addidit colores, & imaginem DEI hominis perfecit, quod malo ejusdem Doctoris verbis exprimere. *Virtus Altissimi obumbrabit, quasi adumbratis quibusdam à Spiritu S. figuris per semetipsum colores ipsos injiciens.* Jam Angelus dicit. *Ecce Elisabeth*, hæc vox continet mysterium, idem eum significat atque *Septima DEI mei, Sabbatum.* Sex diebus creabat DEUS mundum, quievit septimâ; in hac quiete, in hoc Sabbato, *Verbum caro factum.* De illis figuris dici potest Isai. 37. *Venerunt Filii usque ad partum, sed non erat virtus pariendi.* Hodie. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, pariet Filium.* Et hic simul Sapientiam S. Virginis. Novum etiam quod Adam fuerit caput mundi, Noë instar colli in quo ad octo homines redactus erat mundus, quatuor Monarchiæ successerunt quasi manus & pectus, novissima tempora quasi pedes. Mittit 1. Reg. 21. ad Abigail, ut illam sumat in uxorem David, quid illa? Ecce famula tua, *ut lavet pedes servorum Domini mei.* B. Virgo similiter. *Ecce ancilla*, &c. Lavat verò etiam pedes, id est, ultima sæcula. Bern. sermon. 5. de verbis Isai. *Mysterium Incarnationis ad pedes specialiter cognoscitur pertinere.* Est allusio ad Seraphim qui velabant alii pedes. Sed quomodo pertinet? *Ipse salvum faciet populum à peccatis eorum.* Hoc ipsum explicat, *regnabit in domo Jacob*; discolores oves ad eum pertinebunt, & ipse erit Pastor, & Apostolus velut duodecim Pastores constituet, *regnabit in domo David.* Regnum hoc ita se habuit, 1. Reg. 22. *Convenerunt ad eum omnes qui*

qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo & factus est eorum Princeps. Regnum id exercet Christus, lavando pedes dixit Petro: *Nisi te lavero, non habebis partem mecum.* Ambros. prologo in lib. de Spiritu S. *Non soli Petro, sed cuique dicitur Fideli: nisi lavero tibi pedes, &c.* In hoc opere B. Virgo socia Christi. Arnold. Carnotensis, tract. de laud. Mariæ, *Dividunt coram Patre inter se Mater & Filius officia pietatis, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium.* Et hoc modo pretium persolvit pro nobis, ipsa de se. *Mecum sunt divitiæ.* Hinc Dami. 2. epist. 2. S. Virginem vocat *pretiosam pecuniam.* Sed quid ad sapientiam? Imò plurimùm. Maxima sapientia est nosse, quantus est DEUS, & quàm vilis est homo. *Ecce ancilla Domini* Ille Dominus, ego ancilla.

Hinc procedamus ad bonitatem DEI; hanc ostendet quædam parabola. Rex quidam in sua arce cùm deambulat, audit procedentem ex profundo carcere gemitum. Quærit, quid hoc sit? dicitur illi: Est quædam scelerata mulier ad mortem damnata; hæc plurima hominum millia perdidit, pestem induxit, &c. Et quærit Rex: qualis illa est persona? respondent: Oculos habet basilisci, aures draconis, linguam viperæ, manus leonis, halitum pestiferum. Rex ad hæc. Istam ducam in uxorem. Dissuadet quasi quidam: prodet te, &c. & dignum *ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos*? Nihil obstat. Ego mihi illam formosam faciam, meus sanguis habet hanc virtutem, si in illo balneet. Ego ditabo: solvam quod alicui debet. Descripsi hic naturam humanam peccato infectam; descripsi bonitatem DEI. Illud solùm dicere possumus. *Salvum me fecit, quia voluit me.* Ludibrio fuit olim Adam, *Ecce Adam tanquam unus ex nobis*! Jam modò ut Bernard. serm. 5. de Nativit. Dom. *Ne ludens ultrà dixeris Domine, ecce Adam quasi unus ex nobis, sufficit diei malitia sua, & in voce exultationis dicamus tibi. Ecce*

DEUS noster non quasi unus, sed sublatâ omni moderatione dicemus verè, unus ex nobis factus est. Ita se demisit DEUS, & ut S. Thom. opusc. 57. *Ut homines Deos faceret, factus est homo.* Hæc Deitas in nobis nondum apparet, cùm venerit tempus, erimus similes illi. Certè ut Augustin. de prædestinat. SS. c. 15. *Natura humana excelsa facta est ut quò attolleretur altiùs non haberet.* Et tamen quot sunt qui nec semel pro hoc beneficio gratias egerunt, quot sunt qui hunc Regem produnt hostibus per peccata? Hæc dignitas si in omne genus humanum redundavit, certè multò magis in Matrem. Acquisivit juxta Andr. Creten. *Dignitatem quâ omnes superat, præstat universis, non solùm hominibus, sed & summis cœlorum virtutibus.* Conclusit paucis verbis hunc meum discursum Cyrill. Jerosol. *Descendit è cœlo Verbum DEI, ut naturam humanam quasi sponsam sibi assumeret.* Hinc ego subsumo inprimis. Christus accessit ad ficum, & quia in eo non invenit fructum, maledixit illi; quid faciet de nobis, si in nobis non repererit fructum? an parcat nobis propter quos de cœlo descendit, si maledixit ficui, quia ad illam aliquot passus fecit, nec reperit fructum? Abulen. quæst. 106. in 21. Matth. *Quia Christus laboraverat declinando ad ficulneam, & ille fructum non habebat, maledixit.* Alterum est quod subsumo verbis S. Th. 3. p. quæst. 1. art. 2. *Per Incarnationis mysterium instruimur, quantæ sit dignitatis humana natura, ne eam inquinemus peccando.* Certè reprehendenda esset illa mulier de qua dixi, si jam facta Sponsa Regis in carcerem rediret, se in luto ejus volutaret, mallet carnifici nubere, à quo esset exurenda. Tertium est quod subsumo. Ita natura nostra est nobilitata in Matre DEI, ut Damasc. Orat. de dormit. Virg. *Infinitum servorum ac Matris discrimen est.* Cogitate, quid sit infinitum: Ita illa excedit homines & Angelos. Hinc non miremur verba Epiph. libro 3. contra hæres. cap. 39. ubi sic Virginem S. alloquitur. *Immensitatem*

gratiæ

gratiæ & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit. Imò plus addo, nullus homo, nullus Angelus capere potest, quanta sit dignitas S. Virginis. Id ante me dixit, & aliquid ampliùs, Dyonis. Richel, libro 2. cap 8. Præconii B. Virg. *Eò quòd Maria veri DEI Mater vera facta sit, tantam gratiæ plenitudinem continet, quantam ne ipsa quidem Virgo, nisi Divinam contempletur essentiam, percipere possit.* Ita suam bonitatem in naturam humanam effudit; sed per quem id factum? *Ex te nascetur.* Illius conseusu negotium stetit, nisi illa consensisset, nihil factum fuisset. Dedit Pater Filium, dedit Mater. Et hoc est nostrum pretium. Gen. 33. emit Jacob agrum centum agnis. Act. 7. dicit S. Stephanus, quòd emerit pretio argenti; conciliatur. Fuit pecunia argentea, cui agnus impressus, DEUS Pater dedit argentum, B. Virgo addidit figuram Agni; unde Geometra ad B. Virg. *Sigillum Spiritûs S. in te exprimetur.* Comprehendit hoc totum paucis Tertull. contra Judæos, cap. 9. *Christum ex stirpe Jesse deputatum, per Mariam scilicet, & inde censendum.* Apud Romanos Censorum fuit æstimare cujusque opes: quas Christus opes habet ad nos redimendos à S. Matre accepit. Hinc Damasc. Orat. 1. de Assumptione B. Virginis, cap. 10 *Omni profuit Creaturæ quam veluti coëmptam à servitute in libertatem asseruit.*

Superest ut de potentia dicamus. Magna est potentia facere hominem DEUM, & DEUM hominem: & hâc major cogitari non potest. Utrumque est hodie factum, & utrumque per S. Virginem. Magna potentia vincere eum, & spolia illi detrahere, qui totum humanum vicit genus; & hoc factum est. Magna, detrahere de cœlo DEUM; & hoc fecit S. Virgo. Magna immensum parvo corpore concludere; factum est. Laudemus hanc potentiam, & simul timeamus. *Magna* S. Virgini *fecit qui potens est*, & illa vicissim *magnificavit Dominum.* Speremus

remus præterea per illam omnes subsidium, si eam coluerimus devotè. *Missus est Gabriel*, id est, *fortitudo DEI.* Erit hîc DEI potentia, tamen expectavit consensum, quid nos qui nolumus cooperari, & ex misericordia DEI cœlum nobis promittimus? Claudo verbis S. Bonav. spec. c. 2. *Omnes dicamus ei Ave, & oremus propter suum dulcissimum Ave, nos oret liberari ab omni væ.*

In festo S. Adalberti Episc. & Mart.

CONCIO I.

Animam meam pono pro ovibus meis.

Joan. 10.

IN cœlo DEUS Angelos inferiores regit per Superiores, non loquitur Deus ipse inferioribus sed per superiores: sic etiam mundum regit per Angelos. Illi regunt Regna, urbes, & nobis singulis assistit Angelus custos. Participant de hoc regimine Sancti, præcipuè Patroni, *Constitues eo Principes super omnem terram.* Servo fideli dicitur: *Eris potestatem habens super decem civitates.* De aliis dicitur: *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus,* &c. S. Adalbertus est Patronus noster; videamus quam supra nos potestatem.

Cùm Electi in locum Angelorum de cœlo pulsorum substituantur, & novem sint chori Angelorum, atque de singulis lapsi aliqui, tum Sancti in varios choros dividuntur, & potestatem habent inæqualem. Inter Angelos statuuntur qui intrant cœlum per pœnitentiam. Inter Archangelos qui serviunt operibus spiritualibus. Inter principatus qni opera misericordiæ exercuerunt. Inter potestates qui in patientia excellue-

celluerunt. Inter virtutes qui inimicos deligebant. Inter dominationes, illi Magiſtratus qui juſtè populum, & Prælati qui ſanctè gubernârunt. Inter thronos qui amplexi paupertatem Evangelicam. Inter Cherubim qui vacabant vitæ contemplativæ. Inter Seraphin qui in amore DEI excelluerunt. Singuli participant de poteſtate chori in quo ſunt poſiti, & in ſingulis ſicut Angeli aliqui ſunt principales, ita & Sancti. Inter Angelos excellit Raphaël. Inter Archangelos Gabriel. Inter Principatus Michaël, Dan. 10. *Ecce Michaël unus de Principibus primis.* Et ſic de aliis quorum nobis ignota ſunt nomina. Michaël eſt maximus inter omnes qui mittuntur in hunc mundum. Angeli præſident bono particularium perſonarum, Archangeli bono communitatum, Principatus bono regnorum. S. Th. 1. part. quæſt. 112. Rurſus, pro ratione meritorum dat ſpeciales poteſtates ſuis Sanctis. Qui omnia dimiſerunt propter Chriſtum judicabunt mundum. Martyribus ut multum fructum afferant, ſicut granum frumenti mortuum in terra; & ſic de cæteris, quæ non ita expreſſa ſunt in Scriptura.

Videamus jam quem locum meruit Sanctus, ut inde conjecturam faciamus de poteſtate. Novem annis apud Adalbertum Magdeburgenſem Episcopum, qui etiam illi nomen impoſuit in Confirmatione virtutis ſtudio procul à Parentibus inſumpſit. Hæc præparatio ejus pro Sacerdotio, nam Sacerdos & vitam ſanctam habere, & jam quaſi non haberet Patrem, Matrem, ſed ſolùm DEUM vivere debet. Levit. 21. *Omnis qui habuerit maculam, non accedet offerre hoſtiam.* Quod ut magis DEUS commendaret, ut ſcribit S. Auguſt. in Levit. 12. quæſt. 82. Nunquam ægritudine corporali permiſit affici ſummum Sacerdotem, & quemvis voluit eſſe Angelum. Malach. 7. *Angelus Domini exercituum eſt.* In quem locum Hieron. *Sacerdos Angelus Domini exercituum veriſſimè dicitur.* 2. Cor. 11. Mulieres

lieres in Ecclesia jubentur velari caput. Anselmus explicat: propter Sacerdotes. Quare cùm in Missa dicit, *Dominus vobiscum*; non respondetur, *& tecum*: sed, & cum *Spiritu tuo*? Damian. respondet, *Quia Sacerdos debet totus à spiritu denominari.* Hinc jam ulteriùs intelligitur, quomodo Hebr. 7. Melchisedech dicatur sine patre, sine matre, quia Sacerdos DEI Altissimi; habuit ille patrem, qui, ut scribit Epiph. hær. 51. vocabatur Heracles: mater Asteria, sed quia Sacerdos. Genes. 12. *Egredere de domo tua*, &c. Quare? Hebr. 7. Habuit in lumbis Levi, id est, domum Leviticam; propterea in lege Sacerdos induebatur veste hyacinthinâ, cœlesti, quasi de cœlo esset. His adjungebat magnam deinceps Sanctus pœnitentiam. *Lectus honestè stratus, somni tamen locus humus, & subjectus capiti lapis erat peregrinationem Jerosolimitanam suscepit. Meridies prandentem, præter dies festos, media nox dormientem nunquam vidit.* Meretur propter hæc inter Angelos poni, nisi altiorem etiam fuisset meritus locum.

Meruit poni inter Archangelos, quia totam vitam consumpsit in operibus spiritualibus. In morbo puer consecratus & oblatus DEO, in domo Parentum edidicit Psalterium memoriter. Agnoverunt omnes in eo insignes virtutes, summumque pietatis studium, id agnovit populus, id Otto Imp. id Dæmones qui metuebant ne fieret Episcopus. Sed altior locus Sancto debetur. Principatibus debetur, quia opera misericordiæ exercuit. *Mensa ejus duodecim pauperes alebat semper.* Quartâ parte proventuum Episcopatûs contentus fuit, reliquum in pia opera juxta Canones expendit. Sed Potestates ad se illum rapiunt. Patientia in Sancto admiranda, quid non est passus in Pragensium moribus? condonavit omnia, & cùm illi tres occidissent Fratres, nihilominùs eos dilexit, & bonum illorum curare proposuit missis ad eos legatis, per quod in

choro Virtutum paravit sibi locum. Sed proprius illi inter Dominationes. *Universam in illis curandis medicinam Divi Pauli consumpsit.* Prædicabat, instabat, arguebat, obsecrabat, & quando id opus fuit, Sathanæ tradebat. Abiit, ab ovibus recessit, ut se in eo magis statu cognoscerant, quales essent. Rediit cùm meliora promitterent. Sed ampliora debebantur Sancto. Ergo paupertatem Evangelicam amplectitur, cujus ante amorem tantum ostenderat, ut dum Episcopatum ingrederetur, vili & simplici equo, & fræno fuerit usus canabino; ac post adiret cathedram pedibus. Sed jam ad montem Cassinum venit, ac se Leoni Abbati S. Bonifacii Romæ in Ordine S. Benedicti subjicit, & quinquennium in omni charitate, obedientia, meditatione, clarus miraculis exigit, paratus magnâ suâ voluptate ad finem vitæ degere Tanta in eo fuit perfectio, ut nullus in claustro esset cui non esset exemplo. Nullum in eo tam vile ac servile munus arbitratus, quod non ambiret, nihil deesse sibi passus ad perfectionem Religiosi, ubi locum inter Thronos meruit, sed ob contemplationis altitudinem inter Cherubim illi parata sedes erat, quàm in illo quinquennio exercuit. Sed proprius illi inter Seraphim locus propter summam charitatem, quâ major non est quàm ponere animam pro DEO & ovibus per Martyrium, & quidem diuturnum. Non eo solùm tempore Christus pro nobis moriebatur, quando in cruce pependit, Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ*, &c. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Cur timoris? Timor est de futuro malo. Quid timebat? Non peccatum, non peccati pœnam, quia peccare non potuit, videbat quæ passurus erat, & plura ac plura pati desiderabat, unde ubi nos legimus, *consummatum est.* Græci cum interrogatione legunt. *Consummatum est?* Patiebatur videndo supplicia Christus, inde plenus timore. Nyssen. libro 3. in rescript. Marci Papæ.

Per-

Persecutorum sævitiam supplent dissimilitudines morum. Hæ sunt Nerones, hi Diocletiani; sed majora imminebant. Patiebatur Sanctus, cùm post suos labores videbat omnia in deterius ruere; cùm Clerus non abstineret ab uxoribus; cùm cives pluralitate uxorum, ac incestu se contaminarent: cùm Christianos Judæis in servitutem venderent. Quid ad hoc, qui per Arendas Judæis Christianos subjiciunt? Solabatur Angelus in horto Christum, solabatur Christus Sanctum, cùm illi apparuisset aliquando illâ formâ, quâ Judæis venditus à Juda fuit. Patiebatur, cùm nundinas ac mercatum contra leges Ecclesiæ diebus Domini videret; cùm ædes sacræ ac illarum immunitas violaretur. Sed ad cruentum anhelabat Martyrium, ut quam charitatem erga DEUM habuisset, ostenderet. Vadit ad Hungaros, & Geisan Regem in fide confirmat, reliquias idolorum subvertit; sed cùm neque ita ad Martyrium pervenisset, vadit in Poloniam: sed pro Martyrio ad Cathedram Archiepiscopalem assumitur. Bullit sanguis effundi cupidus; igitur se confert in Prussiam adhuc idolis deditam, ubi magnas difficultates in fide serenda sustinet, tum verò à gente immani sacrificulis instigantibus: dum sacra peragit mysteria confoditur, in partes secatur, caput resectum ludibrii causa palo infigitur. Plura noluit pati, sed consummatum. Recipite Seraphini hunc Seraphinum amoris. Pastor bonus posuit animam suam, in bonum ovium suarum, pro ovibus suis. Videte Pastores hunc Pastorem, legite homiliam in die S. Æschili. DEUS invisibilis, ut eum imitari possimus, misit Filium visibilem, qui Sap. 7. *Imago est bonitatis* ejus. Coloss. 1. *Imago invisibilis gloriæ.* Filius sui loco reliquit Adalbertum, qui clamet: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

Potestas Sancti maxima, quia est in Throno altissimo: hâc usus, cùm Prutheni pacti essent cum Boleslao Principe Poloniæ

Poloniæ, ut si vellet Divi corpus recipere ad æqualitatem ejus ponderis in bilance affunderet auri; ademit pondus corpori. Hac usus in his miraculis aliis, hanc Polonis promisit, cùm suum corpus voluit custodiri ab Aquila, quæ stemma est Polonorum. Et licet Angeli non nisi ex inferioribus tribus choris ad nos descendant, Sancti tamen descendunt, imò & qui est supra omnes choros Christus. Juvabit nos, quia plurimùm potest, si tamen in nobis non invenerit mores Pragensium, aliàs recedet à nobis, ne afferam quod scripsit Baronius. Obsidebatur quædam Italica civitas à Gothis, succurrebant tanquam propriæ Romani; sed cùm ad conflictum est ventum, S. Patronus civitatis, non Romanum Ducem, sed Gothorum contra Romanos protegebat, eique dedit victoriam, propter Christianorum scelera.

De Eodem. CONCIO II.

Ego sum Pastor bonus. Matt. 10.

QUàm utile, ita est difficile de Sanctis pro dignitate loqui. Ita ante me sensit S. Hieron. libro 3. epist. 7. *Etsi cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes actus humanâ voce resonarent, nihil dignum virtutibus Paulæ dicerem.* Basil. homil. de 40. MM. *Quis eorum dignitatem dicendo consequetur, ne quadraginta quidem linguæ, tot tantorumque virorum virtutem satis collaudare queunt?* De ipso verò Basilio Gregor. NYssen. *Si eodem tempore quo Paulus, vitæ humanæ particeps fuisset Basilius, sicut Sylvanus & Timotheus: ita prorsus unà cum Paulo literarum monumentis celebratus esset.* Nolo Sanctos inter se comparare, in quo enim quis gradu Sanctitatis, DEO soli notum. Non est dubium, quod

ſancta fuerit Paula Toxocii uxor; ſed tamen non Martyr, non Paſtor, ut Adalbertus. Sancti fuerunt 40. MM. ſed tamen non Epiſcopi, non Eremitæ, non Monachi. Sanctus eſt magnus Baſilius, attamen non Martyr. Nulli S. Adalbertum præpono; ſed tamen, quid cum aliquibus magnis Sanctis habuerit commune, dicam.

Habuit Sanctus inprimis cum Sammuele id commune. Sicut ille voto facto ex ſterilibus natus: ſic iſte. Sicut ille ſanctè educatus: ſic iſte, antequam fuiſſet emiſſus domo paternâ, totum Pſalterium memoriâ tenuit. Sicut ille DEO oblatus; ita hic, cùm fuiſſet morbo correptus infans, ille in duræ cervicis Saulem incidit, hic in Boëmos: illius *mortui oſſa prophetârunt*, ut dicit Scriptura. Et hujus corpus in bilance appoſitum pondus amiſit, quo oſtendit ſe in Poloniam velle ſine pretio redire, & in ejus cuſtodia manere, quod prophetavit etiam quia corpus ſuum voluit ab aquilis cuſtodiri, quæ ſunt ſtemma Poloniæ. Sed tamen Samuelem non legimus ad converſionem gentium excurriſſe, zelus verò animarum alias virtutes plurimùm ſuperat. Audite Chryſoſt. homil. 25. in 1. Cor. *Tu quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis ſemper lacrymis madeas, nihil magnum facis, ſi fratrem non lucraris.* Habuit has virtutes Sanctus, ſed non tantopere æſtimandum ex illis vult, ut ex Zelo Chryſoſtomus; nunquam illum meridies prandentem, nunquam media nox dormientem vidit. Præterea lectus terra, pulvillus lapis; egit annos quinque ſub diſciplina Monaſtica: ubi omnium virtutes imitabatur, & ipſe omnibus præibat exemplo. Quidquid legit in ſacris libris, hoc complebat opere, ut de illo dici poſſit quod Ennodius de S. Epiphanio Epiſcopo Ticinen. *Pingebat actibus ſuis paginam quam legiſſet.* Non inde tamen æſtimo ſanctum; & Antonius eremum reliquit, ut animabus periclitantibus

tibus ratione Arianismi succurreret. Si DEO Filius periret, qui illum reperiret, nonne DEO gratam rem faceret? Charitas est supra omnes virtutes, nec ulli majorem exhibere potes, quàm si Fratri quem amisit dones DEUM. Legimus apud Rosweid. cap. 63. Quod DEUS prætulerit S. Paphnutio Abbati tibicinem, quia dedit in dotem uni trecentos nummos.

Verum fuit in Sancto, quod Nazianz. de laude Gorgoniæ. *O squallidum corpus, & indumentum virtute florens.* Verum erat quod Basil de S. Julitta: *Nox tibi nova precandi Numinis argumenta subjiciebat.* Latuit in Monasterio; sed Zelus Sanctus Paulo similem faciebat. Illi apparuit vir Macedo, huic Christus eâ specie quâ olim fuit à Judæis venditus. Ille contumeliis affectus non abjicit salutem animarum huic tres occiduntur fratres. Ille de regno migrat in regnum, hic ex Boëmia in Ungariam, inde in Poloniam, ex Polonia in Prussiam, destinabat & Lituaniam & alias ditiones. Hieron. epist. ad Oceanum. *Res penè contra naturam est ut talis eligatur, cujus comparatione cæteri grex dicantur.* Quantus verò Pastor cujus tria regna sunt grex; jam de illo dici potuit quod Nazianz. de Basilio. *Citra sanguinem Martyr, & citra plagas coronam assecutus.* Jam quod Lactant. in epist. Divin. Institut. *Hæc acceptabilis victima quam de seipsa anima immolat.* Sed nescio quid est mirabilius: an tanto ardere zelo, an eum potuisse per annos tenere, quibus in monte Cassino latuit. Clamavissem ego contra ejus latebras, verbis Dami. serm. 2. de S. Severo Episc. unâ voculâ mutatâ. *Exeat margarita de latebris, ut in summi Regis fulgeat ornamento. Non lateat ulteriùs lucerna sub modio. Pasce Dominicum gregem, & supra ovile Christi curam exhibe pastoralem.* Testatur Ecclesia: *Universam D. Pauli in curandis Pragensibus medicinam, prædicandi, instandi, increpandi, obsecrandi, Sathanæ tradendi, consumpsit.* Subsistit in Polonia triennio, rursum Divinâ visione monetur,

 ut

ut pergat ad Gentes. Quia ut Leo ſerm. 10. de Quadrageſima. *Si dilectio DEVS eſt, nullum debet habere terminum charitas, quia nullo poteſt fine claudi Divinitas.* 1. Cor. 9. *Cùm liber eſſem ex omnibus omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.* Quod Chryſoſtomus explicat. *Non uni ſervivi, ſed univerſo orbi terrarum.* Servit, currit, percurrit Pruſſiam, ubi tandem Miſſam celebrans ex inſtinctu ſacrificulorum configitur haſtis, & caput ad ludibrium palo imponitur. Hic quod Baſil. orat. de 40. MM. *Vos non terra contexit, ſed cœlum excepit.* Ingreſſus fuiſti antea Pragam in ſimplici equo & frœno canabino. Cœlum haſtis & palo conſcendit. Proſpectas è palo ut bonus Paſtor è loco altiore, & Dominum imitatus, clamas: *Sitio.* Drogo in hoc verbum Chriſti. *Veſtram fidem ſitio, veſtram ſalutem.* Fuiſti olim confixus Chriſto crucifixo, cùm factus Monachus, tribus votis ut tribus clavis. Chryſoſt. in epiſt. ad Hebr. *Qui Monachum profeſſus eſt, crucifixus eſt.* Nunc pluribus lanceis configeris. Bonus Paſtor animam ponit pro ovibus. Chriſtus à Sacerdotibus, hic à Sacrificulis occiſus. Impetratur Chriſti corpus á Pilato, redimitur Sancti à Pruthenis. Bonav. in vita S. Franciſci, cap. 14. *O verè Chriſtianiſſimum virum, qui & vivens Chriſto viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfectum ſtuduit imitatione eſſe conformis, & expreſſâ promeruit ſimilitudine decorari.*

Adduco pro fine verba S. Paulini, epiſt. 5. ad Severum. *Imitando imitatorem Chriſti perveniemus ad imitationem DEI.* Habent pueri, habent Sacerdotes, habent Præſules quod imitentur. Greg. Nyſſen. de S. Baſil. *Totius propemodum terrarum orbis Pater extitit per ſpirituales labores, & partus eos qui per ipſum ad Chriſtianam pietatem formantur, in lucem producens.*

In ſe-

In Festo S. Georgii Mart. CONCIO.

Omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plùs afferat.

Matt. 15.

NON solùm in Ægypto, Exod. 8. fuit plaga scyniphum, sed & in toto mundo. Scyniphes sunt vermiculi, ut de illis Orig. in 8. Exod. *Vermem volitantem qui videre non poterat, sentiret pungentem.* Ita sunt exigui, sed molestissimi. Caiet. in l. c. *Idcirco hæc animalcula in supplicium DEVS Ægyptiis immisit, ut non relinqueret defensioni locum.* Patimur, etsi non videamus quis nos pungat, & defendere nos non possumus. Et quid mirum? Mundus est lacuna, opus nasci scyniphes. Taliter est ostensus S. Anselmo, ut Sur. 21. Apr. Sed quòd Georgius passus, hoc mirum; videte enim quis ille fuit.

Malos pati necesse, id illis prophetavit Moyses Deuter. 28. *Sit cœlum quod super te est æneum, & terra quam calcas ferrea.* Et hoc parum; ipsi mali se invicem lacerant, Ezech. 29. Pharao vocatus draco. Isai. 7. Rex Assyriorum, novacula. Tamerlanes se iram DEI vocabat, ut scribit Leunclavius in hist. Musulmana. Attilam S. Lupus Episcopus, lit. Sur. 29. Jul. Flagellum DEI salutavit; simile est de aliis. Sed S. Georgius semper vixit sanctè. Habuit incitamenta ad superbiam; sed & ipsemet vertit in profectum. Erat in tota Cappadocia nobilissimus; sed ille. Ps. *Quæ utilitas in sanguine meo, si descendo in corruptionem?* Erat formosissimus; at ille. *Fallax gratia & vana est pulchritudo.* Præerat mille militibus; sed ille. *Quantò magnus es, humilia*

humilia te in omnibus. Erat victoriosus; sed ille. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Aberat avaritia, aberat luxuria. Virgo enim creditur fuisse corpore, ut de eo S. Vinc. conc. hod. Unde nec in Matrimonium filiæ Regis Cappadocum consensit; adorabat enim pro DEO gens hæc draconem, cui etiam suas proles in cibum offerebat. Rex ipse in necessitate positus voverat suam illi se filiam expositurum, si evasisset, evasit necessitatem, reum se voti credendo, obtulit filiam draconi, occidit draconem Sanctus, offerebat illi in uxorem Rex, eam quam liberaverat, respuit, contentus eo præmio, quia decem circiter millia hominum, visâ draconis cæde ad Christum accesserunt. Nunquam de aliquo Sanctus vindictam sumpsit. Nullum odio habuit; jejunijs vacabat, cultum DEI non segniter exercebat: ita de illo S. Vinc. l. c. Et tamen quanta passus. Quid causæ: *Omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum Pater meus, ut fructum plùs afferat.* Agricola est DEUS, bonum agrum non negligit, bonum palmitem purgat. Non tulisset tantum Sanctus fructum, nisi fuisset passus. 1. Cor. 1. Vocat Apostolus Filium DEI *sapientiam & virtutem*: quia Eccl. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Vide quæ perferuntur in sapientia acquiratur. Vocavit virtutem. Coloss. 1. *Virtus in infirmitate perficitur.* Igitur cùm Sanctus fuerit in Christo ut palmes in vite. Et Coloss. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Quid verò Christi passioni defuit? August. in Ps. 61. Christo quo capiti nihil addi potest, sed in suis membris existenti & deesse, & addi potest. *Si ergo in membris Christi es, quicunque homo, quidquid pateris, deerat passionibus Christi.* Etsi cum vite ita egit Pater, cur non cum palmite? Sine hoc cultu Patris non Christus, nec Georgius hunc tulisset fructum. Sed singula videamus.

Diocletianus sævam moveat in Christianos persecutionem.

nem. Metaphrastes 23. Apr. latebant alii metu, accedit Georgius Cæsarem. Sumus tui fideles, quid in nos ita sævis? Lapidi & metallo operi artificis quod pro DEO colis, servire nolumus, cùm illis & tu & nos meliores simus. Heri ille informis massa, hodie rudis statua: ipsi vestri sapientiores id agnoverunt. Ad hæc Cæsar minas laudibus miscens, & in carcerem remittit Sanctum, atque grandi saxo supra pectus injecto jubet obrui. In hoc saxo, quàm benè fructificat palmes? hìc alacrior in Georgio confessio DEI, hic major idolorum contemptus, & saxum nihil in Sancto aliud fecit, quod ubi videt Cæsar, jubet excitari machinam acutis gladiis armatam, inque eam includi Sanctum. Horret ipse tortor, Sanctus spe fructuum gaudet: excolatur hæc terra his aratris. Agitatur machina, conteruntur ossa, jactatur frustratim caro, fluit sanguis, Martyr quasi sopitus tacet, Cæsar mortuum credit & insultat, atque Apollini gratias soluturus abit. Interim in nubem cogitur aër, & inter tonitrua descendit Angelus, solvit & sanat Martyrem, ac sequi jubet Cæsarem. Videt Cæsar sanum, validum, stupet. Sed ecce fructus palmitis duo Tribuni Anatolius & Protoleo viso miraculo, & Cæsaris uxor Alexandra, & populi vis ingens exclamant. *Magnus est DEVS Christianorum, magnus DEVS Georgii.* August. de verbis Domini, sermone 59. *Colimus DEVM adorando non arando: & colit nos DEVS meliores reddendo.* Colit Deos Cæsar Georgium arando, DEUS Georgium facit palmitem meliorem. Errâsti Cæsar statim Georgium saxo veluti torculari subjiciendo, expectandi erant botri quos proferret, & an illos profert, bibe hoc merum, dum his elicies sanguinem. Rursus errat in cultu Deorum Cæsar, & Martyrem vivâ calce obrui jubet, sed calx fructum maturat, stirpem non occidit. Laudes canit DEO inter ignes Martyr, prodit vivus ne quidem veste læsâ. Et quod Zeno Vero-

nensis

nensis de pueris Babilonis similia passis serm. 1. *Intus hymnus canitur, foris ululatus auditur.* Cecinit in fornace Martyr, in palatio viso integro Martyre ululavit Cæsar; & in rabiem versus, ocreas acutis confixas clavis jubet Sancto induci; & ut sequatur suum currum imperat. Facit alacriter Martyr, & iisdem calceis proterit furorem Cæsaris. Ps. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Tum aliò Tyrannus vertitur. Aderat fortè hominis cadaver. Jactas DEUM tuum summè potentem Georgi, resuscita hoc cadaver, si vera dicis. Interim verò à Mago Athanasio triplex venenum uno acriùs alterum paratur, & Sanctus à Judice jubetur bibere, ut priùs in se mortem quàm in altero vincat. Ebibit illæsus, & dat se in preces ut etiam cadaveri vitam impetret. Sed iterum e palmite purgato fructus. Mortuus recipit animam, & Georgii DEUM prædicat: attollit clamorem populus ingens, DEO laudes dicit. Aderat & Magus, qui cadaveri carminibus vitam reddere frustrà tentaverat, & ad Sancti procidens pedes, Deos ejurat, & malas artes, & ipse fit Martyr. Obriguit Cæsar, sed durior saxo quod Martyri imposuerat; jubet Martyrem retrudi in carcerem, tum Christus suo circa palmitem labore hilaris sic affatur Martyrem. *Fuisti priùs comes Diocletiani, deinde mihi bonam militiam militasti: jam veni ad lauream, & tuum accipe principatum, crastina dies nos conjunget.* Hæc ubi illuxit, tentat jam Cæsar Martyrem non ferro, sed auro & promissis, ac secum ducit in Apollinis templum, additur rumor, Martyrem jam Cæsari consensisse. Georgius templum ingressus, præmisit Crucis signo, adjurat Apollinem, ut quis sit fateatur; is verò negat se DEUM esse, DEUM Martyris verum DEUM, & simul omnia labuntur idola, atque in pulverem abeunt. Conclamat populus. *Vicit DEUS Christianorum, ipse est DEUS in cælo & in terra.* Tum ecce Imperatrix Alexandra. *DEUS S. Georgii*

adjuva

adjuva me, inclamat, & Cæsarem impietatis ac crudelitatis arguit. Cæsar hanc gladio, illum securi subjici jubet. Illa orans ante ictum bona voluntate coronata expirat: Iste sub securi. Ecce cur DEUS purget palmites? Nihil illa bonitas non propter bonum facit, & nos gemimus dum purgat, & tamen meriti ob alia cultrum. Corrigamus opinionem nostram.

In festo S. Catharinæ Senensis. CONCIO.

Simile est regnum cœlorum, &c. Matt. 25.

QUod Hieronymus dixit de S. Agnete V. M. jure hoc possum dicere de hac Sancta. *Literis & linguis omnium Gentium laudatur.* Quis nescit, quòd per totam quadragesimam solâ S. Communione vixerit, illique admiranda cœlestia secreta sint revelata? Quis nescit sacra Christi stigmata illi impressa, coronam datam spineam? Quis nescit cœlestem sapientiam, quâ dubia profundissima summis Theologis solvebat? Ego tantùm in præsenti dicam illam similem Regno cœlorum.

Nihil in terris est cui Virginitas comparari possit, ad cœlum eundum est, ut illi digna comparatio reperiatur. *Simile est regnum cœlorum.* Cœlum DEI sedes est. Tertull. ad Uxorem libro 1. *Sorores nostræ, quarum nomina penes Dominum, quæ nullam formam, vel occasionem prætermissis maritis, sanctitatem apponunt; noluit enim nubere, DEO speciosæ, DEO sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus & noctibus tractant, orationes suas dotes Domino assignant, ab eodem dignationem velut munera maritalia quotiescunque desiderant, consequuntur.* Quid in cœlis aliud agitur? Sed clariùs hoc ipsum Cypr. de habitu Virginum. *Quod futuri sumus, jam vos Virgines esse cœpistis, vos resurrectionis gloriam jam*

jam in isto sæculo tenetis, &c. Cùm castæ perseveratis, & Virgines Angelis DEI estis æquales. Sedes DEI colunt; & ecce canit Ecclesia. *Veni electa mea, ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex decorem tuum.* Electa mea, ex multis. Ego te mihi elegi. Singularia in te omnia. Hieron. epist. 67. *Sermo in Virginibus prudens, modestus & rarus, non tam eloquentiâ pretiosus quàm pudore.* Electa quoad modestum vestitum. Tertull. libro de velandis Virginibus. *Cuidam sorori nostræ Angelus in somnis, cervices quasi applauderet, verberans, elegantes inquit cervices, & meritò nudæ,* &c. *Si DEUS fuerit in corpore, cognoscetur & in capite fœminarum.* Istæ canticum cantant quod nemo alius. Greg. Pastor p. 3. *Singulare canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis Fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen Electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant, quia per charitatem quidem in eorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.* Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum hoc. Quod eò innotuit summum, quia denegavit, omnium.* Sequi Agnum quid est? August. de bono Virginit. *Sequi quocunque ierit est ipsius virginitatem mentis & corporis imitari.* Sunt similes regno cœlorum. Cyprian. *Cùm castè vixeritis & Virgines, Angelis DEI estis æquales.* A Joanne Virgine Apoc. 19. Non est passus se adorari Angelus, cùm fuerit passus ab Abraham, David, & aliis. At hìc. *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum.* Quia ut Ambr. libro de Virginit. *Major tamen est virtus Virginum quàm Angelorum.* Illi non sunt Sponsi, sed Spiritus administratorii. At verò Virgini dicitur. *Veni sponsa Christi, accipe coronam.* Optatus Milevitanus libro 6. *Spirituale nubendi hoc genus est, in nuptias sponsi jam venerunt voluntate, & professione suâ.* Hoc ipsum Ambros. ad Virginem lapsam. *Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sacrum velamen accepit, jam immortali juncta est viro.* Jam verò si est Sponsa Christi: monet Tertull. de vel. Virg. *Incede secundùm Sponsi tui voluntatem.* Vive velata omnibus,

bus, ad hoc velum à Sponso accepisti. Idem ibid. cap. 17. *Judicabunt nos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput tantùm, sed faciem totam ita tegebant, ut uno oculo liberata contentæ sint dimidiâ luce frui, quàm totam faciem prostituere.* Ita Sancta vixit.

Hæc sublimitas Virginum. Sed si fuerunt fatuæ, videamus quæ confusio. *Nescio vos.* Sicut si cœlum & astra cursum turbarent & locum, nemo illa agnosceret. In cœlo non sunt grandines, nives, &c. frigus, æstus. Si dominantur affectus mali; jam non sunt ampliùs cœlum, sed ut dixit Ambr. *Ancillæ mortis*, mancipia. Sicut mortuos jam in cinerem versos, nescimus, non cognoscimus. Non cognoscit ut sponsas, ut similes regno cœlorum. Filius prodigus quando recessit à Patre, edebat cum porcis; hoc idem Virgini malè agenti contingit. Plus est quod Tertull. libro de Pudicitia. *Etiam apud Christianos non est mœchia sine idololatria*; *ibidem sunt idololatriæ, ubi immundi spiritûs res sunt*; *ibidem est homicidium ubi homo cùm inquinatur, occiditur.* Fuit antea Virgo ut dicit Cypr. *DEI imago respondens ad sanctimoniam Domini.* Efficitur imago dæmonis. Excluditur à Sponso dum alii intrant: relinquitur in platea noctu, dum aliæ se intra domum recipiunt. Opus est vigilare. Apocal. *Si nolueris vigilare, veniam ad te tanquam fur, & nescis quâ hora veniam ad te*; spoliabo omnibus bonis, cùm non advertes.

Fuit Sancta regno DEI similis, &c. vigilavit, &c. *dormitaverunt* aliæ dum Sponsus tardat. Parùm in virtutes incubuerunt, dum vitam sibi longam promittunt; sed vero præoccupat, olim ibat pedes quando homines diu vivebant; & modò currit in equo, Apocal. 6. *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors, & infernus sequebatur eum.* Tertull. legit. *Super equum viridem.* Viridis color est symbolum spei; dum sperant longam vitam. Sed jam in Paradiso induti sumus

pellibus animalium mortuorum. Amos. *Super tribus ſceleribus Moab, & ſuper qaatuor non convertam eum.* Quod illud quartum? *Eò quòd incenderint, oſſa Regis Moab uſque ad cinerem.* Etiam Romani urebant corpora, quid hoc? In eo loco oſſium poſuerunt idolnm Veneris, Deam vitæ, memoriam mortis obliterando. Contra hoc in templis ponuntur monumenta. Scribit Barcephas quid Noë ſecum ad arcam oſſa Adami intulit, & poſtea filiis dixiſſet, ut quiſque in ea terra ſepeliret quam erat obiturus. Statim à pueritia ita egit Sancta, acſi eſſet ſtatim moritura. Attendit ad minimos pulſus Sponſi. Job. 40. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Attendit Sancta ad ſuam lampadem ut eſſet munda, ornata. Sæpiùs diſcuſſit conſcientiam, virtutes curavit, &c. Ideò à Sponſo ad nuptias recepta, quam oremus ut ibi ſit noſtri memor.

Finis Partis Hyemalis.

BRE-

BREVIARIUM CONCIONATORIUM DE SANCTIS.

Pars æstivalis.

585695

In Festo SS. Philippi & Jacobi Apost.

CONCIO.

Nescimus quò vadis. Joann. 14.

NON solùm quod Apostoli dixerunt, *quò vadis*, convenit Christo, nondum enim illi mysterium Ascensionis Christi noverant: sed convenit omnibus Apostolis, si quis enim vidisset rudes homines à Christo collectos, diceret: nescio quò isti vadunt, ad quem finem illos collegit: omissis aliis interim, de præsentibus duobus dico, illos ad hoc ire, ut id faciant quod eorum nomina significant, ut Philippus sit Philippus: Jacobus sit Jacobus, audite.

Philippus idem significat atque *os lampadis*, ut sit talis Philippus, ad hoc vadit: ita hoc nomen explicat Emissenus in 1. Joan. Quæ nostra lampas? Isai. 62. *Salvator noster velut lampas accendatur*. Hujus lampadis os erit Philippus. Si hoc velit quis ad prædicationem vertere, non specialiter competet Philippo: Prædicavit ille in Jerusalem, in Samaria, in Asia,

ubi innumerabiles ad fidem convertit, apud Scythas, & tandem apud Phryges, ubi etiam Martyrium ſubiit: ſed etiam alii Apoſtoli in totidem provinciis predicârunt, proinde aliquid eſt in Philippo, propter quod ſpecialiter eſt os Chriſti. Si propterea, quia dictum Jer. 15. *Si ſeparaveris pretioſum à vili, eris quaſi os meum, convertentur ipſi, & tu non converteris ad eos.* Separat, qui oſtendit quàm peccatum ſit vile, quàm virtus pretioſa, faciebat Philippus ex ſuperbo humilem, &c. idola evertit. Fuit in quadam civitate Phrygiæ draco horrendus, qui halitu peſtifero multos inficiebat & occidebat, ut ſcribit S. Vincen. Conc. hod. prope ſtabat Martis idolnm, ſanabo omnes & draconem pellam. Fecerunt illi. Sanctus draconem in eum locum miſit in quo nemini nocere poſſet, & omnes infectos ſanavit, & jam mortuos tres ſuſcitavit, & reliqui converſi. Ita à vili dracone & idolo pretioſas animas ſeparavit; ſed etiam ſimilia fecerunt alii. Eſt igitur aliquid in Philippo ſpeciale? Eſt profectò quod in aliis non eſt, atque tale eſt quod ori Chriſti competit. Chriſti eſt vocare ad Apoſtolatum, vocavit Joan 1. Philippus Nathanaëlem, & quidem virum hoc munere dignum, qui à plurimis creditur eſſe Bartholomæus. Ecce os Chriſti! Chriſti eſt Myſterium S S. Trinitatis exponendum Chriſtum Philippus. Joan. 14. *Oſtende nobis Patrem.* Chriſti eſt ſe manifeſtare Gentibus, Philippus illum oſtendit Joan. 12. Chriſtus manifeſtabat ſe aliquando ut DEUM, aliquando ut hominem, aliquando ut Regem, ut Sacerdotem: id faciebat Philippus, propterea fortè Apocal. 21. ubi aliis Apoſtolis attribuuntur lapides unius coloris, Philippo attribuitur Sardonyus, qui in imo ſubniger, in medio candidus, in ſummo ruber. Quia & humanitatem Chriſti, quæ quaſi ſubnigra quia videbatur eſſe Filus fabri: & Divinitatem Filii DEI, qui eſt candor lucis æternæ, & Sacerdotem in cruce ſui ſacrificii ſanguine

guine rubentem ostendit. Christus benedictione suâ prospicit hominum necessitati, at verò cum vult prospicere, Joan. 6. vocat Philippum in consilium. *Vnde ememus panes?* Hinc jam quo loco sit Philippus apud Christum qui est os ejus: quo in honore apud nos esse debet, cùm per illum in nos fluxerunt beneficia DEI?

Jacobi nomen ipsa scriptura in Gen. explicat *supplantator*; sed bonus, ut ille Patriarcha. Supplantavit ille fratrem majorem natu, hîc Synagogam quod fuit esse Fratrem Christi; sic enim passim vocabatur, quia & Affinis Christi natus Alphæo, ex quo etiam fuit genitus S. Judas Thadæus: & ita facie similis, ut teste Ignatio M. ne Judæi errarent in horto, & pro Christo caperent Jacobum, Judas Iscar. digito ostenderit Christum. Jacobus Nazareus, ut & Christus, sanctitatem Christi mirè imitatus; nunquam carne, vino, balneo, quod in illis calidissimis regionibus propter sudores valde necessarium, usus: non lineam vestem unquam induit, non totondit capillum, non aquâ corpus abluit, tam frequenter genu flexo oravit, ut instar pellis camelorum induruerit; Virgo semper corpore, licet nonaginta sex annos vixerit. Cùm alii metu persecutionis abierunt Jerosolymis, ille permansit. Justus publicè appellatus, qui titulus est Christi. Paulus eum Gal. 1. inter primas columnas recenset, ejusque notitiâ gloriatur. Tam appetens de Resurrectione Christi, ut voverit se panem non gustaturum, nisi viso redivivo. Quare etiam Christus post mortem ad illum venit. *Frater Jacobe comede, jam resurrexi.* Soli Summo Pontifici & Jacobo licebat in Sancta Sanctorum ingredi. Illius vestis fimbriam contingere pro felicitate habebatur. Minor dicitur, quia alter Jacobus priùs factus Apostolus; unde Paulus qui ultimò ad Apostolatum venit, 1. Corinth. 15. se vocat minimum Apostolorum. Sed primus inter Apostolos Missam celebravit, quod

quod datum est ejus sanctitati, idque in Jerusalem. Ab Apostolis constitutus Jerosolymorum Episcopus; nam licet omnes Apostoli fuerunt Episcopi, non fuerunt tamen alicujus certi loci. Cùm anno septimo ejus Episcoparûs ad diem Paschæ convenissent Apostoli Hierosolymam, interrogante Jacobo referebant, quid per illos in orbe fecisset Dominus. Per septem dies prædicabat Jacobus cum aliis, præsente Caypha & Sacerdotibus; & eò usque res deducta, ut solùm superesset, ut peterent Baptismum. Prosiliit quidam Judæus cum clamore. *Viri Israëlitæ quid facitis, quia ab istis magis vos decipi permittitis?* Et Jacobum ex loco altiore de quo prædicabat, præcipitavit, unde factus claudus. Ita S. Vincent. conc. hod.

Sed quomodo vir iste adeò Sanctus potuit supplantare Synagogam? Anno Episcopatûs ejus octavo, Judæi quia non poterant se vindicare de Paulo, quod ad Cæsarem appellâsset, totum furorem verterunt in Jacobum: Miserunt ad illum. Populus seductus est inclinando ad JESUM, dissuade, modò est frequens diebus Paschæ, es justus, neminem respicis. Et sic statuerunt illum supra pinnaculum templi. Virorum justissime, cui omnes obtemperare debemus, quid tibi videtur de JESU? expectabant, ut illum damnaret, supplantavit. *Ipse sedet in cœlis à dextris virtutis DEI venturus judicare vivos & mortuos.* Clamârunt: quomodo justus erravit? & inde illum præcipitârunt, & lapidibus obruerunt; sed ille non solùm mortuus, verùm in genua elevatus. *Rogo Domine, nesciunt quid faciunt.* Tum unus perticam fullonis capiti infringens, cerebrum elisit. Sed nondum ex toto Synagogam supplantavit. Factum est, ut si Dux aliquis in campo vincat hostem, committat alteri ut ejus fortalitia dissipet. Christus vicit, commisit Jacobo, ut templum sedes Synagogæ dissiparetur. Fuerunt post mortem Christi conventicula; sed mortuo Jacobo subversum est templum.

Occiso

Occiso illo, à Romanis & templum & civitas à Romanis eversa. Quid aget contra hos Jacobus, qui Synagogas Judæorum promovent, favore imò sumptibus propter lucrum temporale erigunt? Josephus Judæus adscribit eversionem sui templi morti Jacobi.

Sancti Apostoli, duo flosculi Majiales, quos idem sepulchrum tenet Romæ, Psal. 67. Dormiamus inter vos tanquam inter medios cleros, seu ut alii legunt: inter duas sortes. Philippus Os Christi, Jacobus Frater Christi & supplantator Ecclesiæ. Adsint nobis pennæ *columbæ deargentatæ*, *& posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Facite nos vigiles inter sortes justorum & injustorum, & tum occurremus Domino velut columbæ auro charitatis; & argento sapientiæ præfulgentes evolabimus.

In Inventione S. Crucis. CONCIO.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, &c. Joan. 3.

RErum difficilium celebramus festa, quia virtus in arduo. Hinc festa Martyrum, Doctorum, &c. quia non est res facilis Martyrium sustinere, &c. Sed Crucem invenire facillimum. Vade ad scholas, judicia, convivia, &c. etsi non quæras, occurret. Ita se res habet ut de serpente Moysis, facilè serpentem invenire, sed non facilè eum qui sit Moysis, qui sanet morsus aliarum serpentium. Facilè invenire crucem, sed non facilè crucem Christi, quæ malitiam cujusque crucis alterius tollat. Hujus celebramus inventionem, de hac præsens erit sermo.

Sive Crucem consideremus ut vexillum juxta illud. *Vexilla*

Regis prodeunt, fulget crucis mysterium, cum quo Christus primus evasit in valla hostilia; mirum est quòd per annos trecentos sub terra defossum, sine honore latuerit. Cùm ejusmodi vexillum loco honorato servetur, Si consideretur ut gladius, quo Christus mortem occidit Goliathum, in sacrario debuit reponi sicut est repositus Davidis. Sive ut virgam Moysi quâ per mare rubrum deduxit populum ex servitute in libertatem: virgam Moyses volente DEO in arca reposuit testamenti. Sive ut clavim cœli, quæ Victori clausi cœli Christo cùm faceret coelum deditionem est oblata; hæc super humerum Christi debuit esse juxta Isai. 22. *Dabo clavem domûs David super humerum ejus.* Lignum vitæ ne quidem tangi permisit DEUS ab Adamo, postquam est factus peccator. At Crux tam diu latuit, quia suos Amatores comitari illam docuit. Per trecentos annos sub terra in cryptis latebat; propter Tyrannos fides Christiana, per totidem Crux latuit, donec fidem eduxisset in lucem Constantinus, idololatriam subvertendo, & templa publica sacræ fidei erigendo. Neque hoc crucem dedecebat, in qua Christus se plùs quàm si quis per annos trecentos singulis momentis semper magis ac magis se humiliaret. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Durum est è regno cadere in servitutem, adeò ut aliqui elegerint potiùs mori, quàm servi & mancipia fieri. Plutarchus scribit de quodam qui caput sibi elisit ne serviret. Matres Dardanæ jactârunt captâ suâ urbe infantes proprios in fluvium, acclamando, *Non servietis.* Bajazetes à Tamerlane captus, cùm suam uxorem servilibus operis admotam vidisset, caput confregit suum, & mori maluit quâm uxorem videre servam. Suscepit Christus formam servi, sed neque unius servi; sed factus quasi omnium servus. S. Leo serm. 12. *Solus D. noster JESUS CHRISTUS extitit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti.* Omnium crucifixorum, mor-

mortuorum, sepultorum, formam suscepit, omnes in se DEO Patri repræsentavit. Quomodo verò hanc formam accepit? exinaniendo seipsum. Si sciamus quid in cista fuerit, tum intelligemus, quid sit ejus evacuatio seu exinanitio. DEUS est omnia, itaque Christus exinanivit omnia. Rex si se regno exinanivit omnia. Rex si se regno exinaniat, solo se regno exinanit. Aliquis se exinanit decem aut viginti dignitatibus, non exinanit omnibus, quia in eo non sunt omnes. In DEO sunt omnia, unde Christi exinanitio infinitis major, quàm hi omnes Reges, Principes, Magistratus, &c. spoliarentur dignitatibus: omnes milites fortitudine, omnes docti scientiâ, consilio, prudentiâ; quia in his non sunt omnia ut sunt in DEO, imò ne guttula quidem appellari possunt, sed umbra potiùs, idque imperfecta respectu eorum quæ sunt in DEO. Verum quidem est ut Nazianz. libro de fide docet. *Non sic exinanitum accipimus ut aliud quàm fuerit, idem Spiritus*, id est DEUS, *fieret, sed ut seposito interim Majestatis suæ honore humanum corpus indueret, pro suscepto salus omnium fieret, ut cùm sol nube tegitur, claritas ejus comprimitur.* Vel ut Cypr. in exposit. Symboli, sicut sol intrat lutum nec inficitur, carbonem nigrum intrat ignis nec denigratur. Sed tamen DEUS qui est Sol intravit lutum, ignis intravit carbonem, formam accepit servi, exinanivit semetipsum. Et videte, quod est plùs, qualis servi accepit formam, illius de quo dictum est. *Nisi hic malefactor esset, non eum tibi tradidissemus.* Qui turpissimo judicatus est dignus supplicio. *Factus est pro nobis peccatum.* Poteſtnè exinanitus cogitari major? Admittetnè te Christiane inter sui corporis membra, si non illi conformis fueris? Monstrum esset, si corpori humano caput pavonis inseretur. Dixit Bernar. *Sub spinoso capite non decet membrum delicatum.* Tu facilè concludes. Sub ita humili capite non decet esse membrum superbum. At quid est esse su-

perbum

bum? Ex actibus superbiæ id cognoscetur, & hi sunt non obedire Ecclesiæ, Superioribus. Gloriam mundi ex suis actibus captare. Res suas jactare. Alios non revereri. Alios contemnere. Vanitatem in vestitu quærere. Ambire dignitates. Simulare virtutes.

Non obfuit Cruci quòd tamdiu latuit, neque Sanctis obest quòd aliquamdiu lateant. Reperta est hodie Crux à S. Helena, *ut est in Breviario*, & in tanto honore habetur, & ejus dotes prædicantur. Illa est quâ notantur qui à morte eximuntur, Ezech. 9. Apoc. 7. Illa est per quam efficimur Filii DEI, nam si nascatur aliquid non vivum, non est Filius: ita qui non est per Crucem renatus, non vivit, atque adeò non est Filius DEI. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Unde verò vim sumit hanc Baptismus? Roman. 6. *Quicunque baptisati sumus in CHristo JESV, in morte ipsius baptisati sumus.* Mors Christi Baptismus est. Luc. 12. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor donec veniat?* Crux etiam corpus sanat, patet hoc in serpente Moysi, æneus fuit ille serpens. Quid aspectus æris conducit ad sanandum morsum venenatum? Figura fuit Crucis. Morbi enim omnes proveniunt ex peccato Adæ, quia comedit de ligno vetito. Hoc peccatum solvit Christus in Cruce; sed multis expedit pro bono animæ, ut sint infirmi. Crux paravit nobis gloriam æternam, antè enim nemo ibat ad coelum. Per Crucem educti sunt Patres de limbo. Zach. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Hic spes nostra erecta est. Si DEUS Filium dedit ad Crucem, quomodo non ea quæ sunt minora dabit nobis? Si dedit Filium inimicis, ut argumentatur Roman. 5. Quomodo non alia dabit postquam illi per Crucem reconciliati sumus? Crux ostendit, quanta sunt bona illa quæ nobis DEUS in coelo paravit. Non deceptus DEUS Pater qui pro illis ad mortem dedit Filium, non

erravit

erravit Filius qui se pro illis morti exposuit. Non erubesca-
mus Crucem, si Christi est. DEUS immittit tribulationes, Chri-
sti est Crux, prior ille sustinuit. Agamus sicut David 1. Reg.
2. cum Saule. Deprehendit hostem Saulem dormientem, tu-
lit hastam & poculum, hastam reddidit, poculum retinuit, for-
tè ut ex illo in salutem biberet Saulis. Continget labi in pecca-
tum; fugiamus ut Adam sub arborem, sub umbram Crucifixi
nos recipiamus, Cantic. 7. *Sub umbra illius quem desideraveram*
sedi, & factus est fructus ejus dulcis gutturi meo. Ridebunt alii de-
votiones nostras, ascendamus cum Zachæo in Sycomorum
ficum fatuam, satis sit nobis, quia *salus huic domui.*

In festo S. Stanislai Episc. & Mart.

CONCIO.

Ego sum Pastor bonus. Joann. 10.

SI appellarem S. Stanislaum Prophetam, probarem id, quia
sicut ille è sterilibus Parentibus oratione interveniente nā-
tus, ut ille Saulem, 1. Reg. 1. ita hic coarguit Boleslaum. Si
Eliam, Eccl. 48. & hujus *verbum ardebat ut facula, & reducebat*
ad Dominum corda, dum concionator esset. Si Elisæum, 4. Reg.
4. Et hic famem pauperum affusâ eorum ollis farinâ mitiga-
vit. Si Simonem Oniæ filium, Eccl. 50. Et hic *inter templum*
& altare occisus. Si Ezechielem. 37. Et hic ossa jussit stare, fieri
redivivum, loqui, & ipsius partes concisæ, ita coaluerunt ut
nec vestigium maneret. Si Petrum, Matth. 17. qui in pisce re-
perit staterem, & hujus in pisce repertus est digitus. Si Moy-
sen, qui columnâ præeunte duxit populum, & supra hujus
corpus luminosa apparuit columna. Si Florianum, & ad hujus

corpus excubârunt Aquilæ. Dabo illi titulum boni Paſtoris, de hoc enim Chriſtus in hodierno gloriatur Evangelio.

Nemo Paſtoris ſacri vile putet nomen, eſt enim thronus gratiæ. Habeo id ex hodierna epiſtola. Nam cùm dixiſſet: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno.* Subjungit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus*, &c. Ex quibus patet Pontificem ſeu Paſtorem eſſe thronum gratiæ. Cujus gratiæ? Cœleſtis. Ad eam ducit gregem ſanando. Hinc olim dum Epiſcopus conſecraretur, orabant ſuper eum, ut ſcribit S. Clemens in Conſtitut. Apoſt. libro 8. cap. 16. *Vt DEVS repleat illum operationibus ad ſanandum aptis atque opportunis.* Itaque ſanat exemplo, ut de illo dici poſſit. *Aſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum.* Chriſtum videre non poſſumus, qui dicit. *Diſcite à me.* Subſtitutum eſt aliud exemplar, Paſtor. Damiani ad Cardinales epiſtolâ apud Bzovium, anno 1057. *Non modò Sacerdotes, ſed Sacerdotum decet uos eſſe magiſtros, neceſſe eſt vita noſtra quaſi quædam ſit linea, & velut adamantis ſignaculum quod vivendi formam cæteris adhibeat. Adamantinum quippe ſigillum, ſuam cæteris imprimit, à nullis verò metallis imaginem ſumit.* Thronus eſt gratiæ. Apoc. Ex throno procedebant ſeptem tonitrua. Tonitru ex halitu terreſtri naſcitur, ſed ſupra nubes attollitur. Et jam non eſt terra, ſed ignis, ita Paſtor. Ignis omnia in ſe vertit, nihil ſordium continet. Tonitru terret, non occidit. Totus purus eſt Paſtor. Damiani lib. c. *Quomodo enim ex ore Sacerdotis oratio munda ad DEVM dirigitur, quod videlicet proprii ſermonis ſordibus inquinatur? aut quomodo inter DEVM & homines lingua mediatrix efficitur, quæ iram Judicis ex proprio reatu & ipſa meretur? in caſſum quippe reus ſupplicationibus utitur cùm interceſſor ipſe culpabilis reperitur.* Tonitru æquè pauperi ac diviti audiendum ſe præbet, non unum tonitru ſed ſeptem,

quia non sufficit ut Pastor semel moneat. Tonitru non quiescit, Pastor non in sola hæret oratione. S. Th. opusc. 18. cap. 18. Mediator DEI & hominum in actione præcellere, & in contemplatione præcipuus debet esse. Tonitru non silet, Pastor prædicat.

Non vile Pastoris nomen, quia Christum in labore juvat. Si quis juvisset DEUM in creando mundo, gloriari posset. *Cum eo eram cuncta componens.* Majus est cooperari ad justificationem impii quàm ad creationem. Hoc verò quomodo fecit Pastor? *Vos estis sal terræ.* Victores aliquos captos à se locos conseminârunt sale, ne deinceps in illis quidquam cresceret. Idem efficit Pastor. Sophoniæ 1. *Vivo ego, dicit Dominus, Moab ut Sodoma erit,* &c. *Acervi salis & desertum in æternum.* Sed si sal infatuatum fuerit, *ad nihilum valet nisi ut conculcetur ab hominibus.* A quo in cœlo recipietur? Malach. 2. *Scandalizastis plurimos in lege, propter quod & ego dedi vos contemptibiles.* Vos estis *lux mundi*, illustrant; ut Sol concurrit ad plantarum, ita Pastor ad virtutum generationem. Sed si extinguatur Sol, fit nox. *In ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.* Sed quid Solem extinguit nobis? Terra, cùm ille se terræ subjicit: cùm terrena dominantur Pastori. In tenebris dæmon merces vendit. Virga Moysis quando erat in manu, patrabat miracula: cùm in terram projecta est, facta serpens ut Magorum serpentes. Insuper non solùm ad productionem concurrit Pastor, sed etiam socius est Christi in conservatione. Describit Christum, Ezech. 40. *Vidi virum cui erat aspectus æris candentis, & in manu ejus funiculus, quo universas domûs partes metiebatur.* Experitur utrum alicubi non declinaverit paries, &c. ut occurrat damno, & sic conservet. Ita Pastor explorat, an sint omnia, Ephes. 4. *Ad mensuram quam donavit nobis Christus.*

Quid egi hactenus? Descripsi Stanislaum. Thronus gra-

tiæ fuit, descriptas habuit viduas & pauperes, ut succurreret. Præbuit se omnis virtutis exemplar, adeò ut invitus ad Infulam promoveretur Cracoviensem post Zulam sive Lambertum. Castitas integra, & quia castitas sine charitate, ut loquitur Bern. epist. ad Henric. Est lampas sine oleo. Hujus maxima probatio, si illis benè faciamus, qui nos aliquâ affecerunt injuriâ. Invitaverat illum quidam Nobilis, ut ejus consecraret Ecclesiam, sed lite inter famulos exortâ, & ipse ab eodem pulsus domo in campis egit noctem. Ab eodem manè revocatus consecravit eandem Ecclesiam; planè thronus gratiæ. August. serm. 50. de Verb. Dom. *Vt agnus humilis portavit peccatum erraticæ ovis.* Prodierunt ex hoc throno repetita contra Boleslaum fulmina, qui Russicæ victor gentis à Russicis subactis vitiis, in omnem effusus libidinem, secuti sunt eum milites, secutæ & militum uxores, in quas sævit, dum suum scelus non contegit. Monet Regem bonus Pastor. Sed ille lineam allaborat ostendere inflexam dum Præsuli objicit injustitiam & avaritiam, quasi his artibus bona quædam Ecclesiæ quæsivisset, excitat Sanctus mortuum bonorum Dominum Piotrovinum jam ante triennium in sepulchro mersum. Et hîc fuit sigillum adamantinum. Dicebat Sanctus cum Paulino, epistola 27. *Quis mihi daret*, Boleslae, *ut in conspectu tuo colloquioque requiescerem videns te non te.* Denique ut sal projicitur in Boleslaum, ne in eo crescant ampliùs vitia, & ut quidam referunt, obtinuit, dum post necem suam ad pœnitentiam Boleslaum adduxit, fecitque Monachum. Effecit certè, ne Russiacis inquinaretur Polonia superstitionibus, ad quas inclinaverat.

Nos pro Martyre orare non possumus, nam ut August. serm. 17. de Verbis Dom. *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; quia ut idem 13. Civit. 7. *Idem facit Martyrium quod Baptismus.* Ideò primus Martyr Stephanus, videt cœlos apertos.

Docu-

Documentum tamen ab illo possumus aliquod accipere; & sit. Ego sum Pater, vos oves. Honorate Pastorem. Honorant quidam, si videant serico nitentem, divitem, &c. Sed si pauper sit, contemnunt. Hic honor non est Christianus, propter opes & Turca honorat. Ita Innocentium IV. honorarunt aliquot Soltani, qui in literis dederunt illi titulos. Dominus altissimi Solis, sanctus, illustris, purus, excellens, spiritualis, contemptor rerum terrenarum. Caput Christianitatis, sapiens, sublimis beatissimus, fiducia Sacerdotum & Religiosorum, adjutor Prælatorum & Cleri. Precati sunt illi perpetuam prosperitatem, longam vitam, favores cœli in sua gubernatione. Odericus Rinaldus, An. 1246. Sed si fuisset pauper, contempsissent. Vos honorate etiam pauperem dum sit Pastor. Dum personam Christi repræsentet, dum habeat potestatem administrandi Sacramenta, Christus pessimo etiam Sacerdoti obedit, ac venit ad ejus vocem in altare. Sed ut Ethnici Diis effingebant scelera. August. 12. Civ. 17. *Vt ab hac authoritate adhiberent patrocinium turpitudinis suæ.* Ita aliqui Pastoribus affingunt. Innoc. opusc. 6. cap. 10. *Qui per excellentiam Ordinis & officii dignitatem Deorum nomine nuncupantur.* Quid ex contemptu fit Pastoris. S. Cypr. de zelo & livore. *Prosilitur ad hæreses dum Sacerdotibus obtrectatur.* Spernetur primò minister, postea ministerium, priùs Doctor, postea doctrina.

In Ascensione Domini. CONCIO.

Assumptus est in cœlum. Marc. 16.

IGnoscetis cœli, si lamentamur quòd recipiatis à nobis Dominum. Quò ibimus Filii prodigi, si Pater nobis tollitur. Quò ibit populus DEI, cùm illi Arca testamenti sublata? Quò se

ſe vertet ovicula Paſtore amiſſo? Quò famens & ſitiens, dum panis vivus & fons vitæ aufertur? Sed quo? dum etiam ipſa via tollitur. Errabimus per invia, quia veritas abivit à nobis Peribimus, quia ſublata eſt vita. Areſcemus palmites, quia vitis translata. Sed non ita abit à nobis, ut qui, cùm nobiscum eſſet dabat, non copioſiùs largiatur, quod oſtendam.

Sic DEVS dilexit mundum ut daret nobis Filium, neque amare deſinit, etſi recipiat ad ſe. Job. 39. Deſcribit Aſcenſionem ſub imagine ſtruthionis, ut explicat Euſeb. de præpar. & convenit. Struthio ferrum devorat: Chriſtus 1. Petr. 3. *Deglutiens mortem.* Deinde, quod ad præſens feſtum ſpectat, ſtruthio deponit ova in agro, ipſe avolat: Sol verò pullos excludit. Poſuit Chriſtus veluti imperfectos partus diſcipulos, advolat inſtar Solis, Spiritus S. perficit. Et hinc patet, quòd Chriſtus, ſi antea vita fuit, modò eſt abundantiùs. Quid nobis profuiſſet ſolus de cœlo & doctrina per Chriſtum allata, ſi ad nos non perveniſſet? Apoſtoli verò nunquam in orbem ſe diviſiſſent, niſi Spiritum S. accepiſſent, erant enim rudes, timidi, elingues, &c. *Niſi ego abiero Paracletus non veniet.* Sed cur non veniret? Filius autem Spiritui S. opus ſuum reliquit perficiendum. DEUS agit non violentè, ut vi utatur in homines, ſed priùs illos diſponit; ita, priuſquam faceret Apoſtolos, per longum tempus in ſua doctrina retinuit, &c. Non erant diſcipuli diſpoſiti ad recipiendum Spiritum S. nam omnia deſideria eorum fuerunt circa rem materialem; & ita procul à Spiritu, ſed circa quam? non circa opus, uxores &c. Circa Chriſti humanitatem, quia erat pulcher, ſuavis in moribus, clemens, illam amabant, de Divinitate quam non videbant, nihil cogitando: jam verò quale amamus, talis anima noſtra efficitur: amans enim tranſit in rem amatam, oportebat illos ab amore temporalis rei avelli, ut amando Spiritum fierent

ſuo modo ſpiritus, ut ad Divinitatem in cœlo amorem verterent. Beda. *Expedit ut forma ſervi, veſtris aſpectibus ſubtrahatur, quatenus amor Divinitatis veſtris arctiùs imprimatur cordibus,* Quid putatis, ſi Apoſtoli amaviſſent aurum, veſtem, &c. An Spiritus S. veniſſet? Certè non. Non miremur & nos, ſi non veniet in nos Spiritus S. ſi amamus terreſtria, docet Aug. de Geneſ. ad lit. Quod cùm DEUS poſt creationem aliis rebus benedixiſſet, herbis non benedixerit. Et tandem dat rationem. *Quia per fibras & radices terræ inhærent.* Virga Moyſis quamdiù in manu erat, patrabat miranda, at ubi in terram eſt projecta, facta eſt ſerpens. Cùm diſpoſiti facti ſunt diſcipuli Domini, deſcendit in eos Spiritus S. tanquam in ova ſcruthionis, *Vt* Tertul. de Vel. Virg. c. 1. *digererentur ab illo Vicario Domini Spiritu S.* Hinc vivi velut de novo facti loquuntur linguis, &c.

Aſcendit etiam propter aliud noſtrum bonum. Cœli pro nobis erant facti, ſed uſque ad illam diem clauſi, nec Abraham, nec David introivit. *Nemò* etiam vi ſuâ *aſcendit niſi qui deſcendit,* ut ſol præceſſit qui nos velut vapores attrahat, ut jam volantes nos mirentur Angeli. *Qui ſunt iſti. qui ut nubes volant.* Chriſto naturalis locus cœlum, aër vult eſſe ſupra aquam, terra infra omnia: ſi ſtella detracta è cœlo poneretur in terra, ſubitò in cœlum ſe reciperet, quia ibi eſt ejus locus, Pſ. 111. *Cœlum cœli Domino.* Ivit Chriſtus, ſed ſimul, *Vado parare vobis locum.* Sumus exules, ut Reges apud Adoniſabec, micas ex menſa cœli delabentes colligimus. O qualis ibi menſa, ſi nos ita micæ delectant? O quale ibi palatium, ſi iſte carcer, hæc domus beſtiarum tantoperè placat! Aperuit cœlum, & ſimul oſtendit eſſe præmia virtutibus, humiliatus ille infra omnes, ſuper omnes exaltatus. Idem nos manet, venerat dies quadrageſimæ poſt reſurrectionem; venit Dominus ad diſcipulos pran-

dentes,

dentes, & dixit se hac ipsa die rediturum ad cœlos; ex hoc tristari cæperunt, at ille, Joan 14. *Si diligeritis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Tum ut eos solaretur, comedit cum eis. Et Act. 1. *Convescens eis præcepit, ne discederent ab Jerosolymis, sed expectarent promissionem Patris.* Iverunt inde ad montem Oliveti, ibi rursus apparuit eis, & præcepit. *Euntes docete omnes gentes*, &c. *Non vos dimittam orphanos*, &c. Matth. ult. Et cùm elevari cæpisset à terra, interrogârunt Apostoli; *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël*: At ille. Non *est vestrûm nosse tempora & momenta*, &c. Actor. 1. Deinde illis benedixit, & illum nubes texit. Et dum in cœlum prospiciunt, adstiterunt duo Angeli. *Viri Galilæi quid statis*, &c. Redierunt in Jerusalem discipuli cum gaudio. Luc. ult. Deduxit secum detentos in limbo, & ab hinc cœli patet aditus; & paulò post misit Spiritum S. Spiritum consilii, ut det consilia in via; Spiritum fortitudinis, ut nos confirmet ne animo cadamus, &c.

Cùm ignito curru abiret in Paradisum Elias; Elisæus ejus discipulus orabat, da mihi *duplicem Spiritum*, Eccl. 48. explicatur hic duplex Spiritus. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat.* Opera erant ut ignis, verba ut facula; talis & Spiritus Domini. Act. 1. *Cæpit JESUS facere & docere.* Demisit Elias vestem, in signum quod hunc Spiritum daret. Ampliùs nobis Domine relinquis. *Ego ero vobiscum usque ad consummationem mundi.* Esto Domine, sed quia ut Joseph de carcere, exivisti de mundo, memor esto fratrum tuorum qui fame premuntur.

In Festo

In Festo SSmi. Corporis Christi.

CONCIO. I.

Hic est panis qui de cœlo descendit. Joann. 16.

CUM celebramus Christi Nativitatem, non nascitur Christus, sed solùm fit memoria, quòd fuerit suo tempore natus. Idem de Ascensione, Pentecoste, &c. Sed hodie id celebramus, quod est hodie, id est, verè præsens Christus sub specie panis. Proinde ac si illum oculis spectaremus, ita colendus, & ut magis nos ad se alliciat miracula facit maxima, quæ velitis contemplari.

Quòd verè sit, præsens Christus nemo dubitare potest, qui novit quàm verax sit Christus, & quòd dicat id se facere quod verè facit. Dixit verò, *hoc esse corpus suum*, quod panis videtur oculis, itaque tenendum est ita; & qui nollet acquiescere, rebellis esset Domino: quia, ut Chrysostom. hom. 2. in Rom. Supremo Domino non solùm obedientia voluntatis, sed etiam intellectûs debetur, quando hic motu voluntatis in aliquam partem flecti potest, uti potest in rebus fidei, quæ semper est obscura. Ideò cùm describit Paulus, 1. Cor. 11. Hoc mysterium, quod aliàs non ponit, posuit. *Dominus JESVS in qua nocte tradebatur*, &c. Sed ad miracula, quia hodie *facio memoriam mirabilium suorum.*

1. In parva panis particula totus est Christus. Aug. in Psal. 21. *Ad corpus humilitatis Christi acceditis, ubi maximus est in minimo* Non est tam parva particula, quæ sensu percipi potest, sensibile enim signum est Sacramentum, sub qua non sit totus Christus, magis contractus quàm fuit in Nativitate; & sic homo

hominem edit. Sed si non impingantur, non proficit in devotione, similis est macilentis illis vaccis. Gen. 41. quæ pingues devorárunt vaccas, nec saturitatis dederunt indicium. Ex latere Christi fluxit sanguis, sed simul & aqua. Tertull. de Bapt. cap. 16. *Vt qui sanguinem crederent, aquâ lavarentur.* Ad hoc ipsum facit, quod ante institutionem hujus mysterii dixit. *Occurret vobis homo bajulans amphoram aquæ.* Unde ita fervens in devotione facta est Magdalena? S. Paulinus *Ipsum vivificum panem manibus & ore præsumpsit*, quia eo tempore Fideles in manus accipiebant Eucharistiam; & sic edebant.

2. Est simul Christus in locis pluribus, nimirum in tot in quot est S. Eucharistia. Sicut olim panes multiplicavit, ut sufficerent pluribus hominum millibus. Sicut eadem vox loquentis est in plurium auribus, & ubique verè est, quia verò mutatur substantia panis in substantiam Christi simili modo, etsi altiori, atque in nobis potus & cibus mutatur in nostrum sanguinem. Et qui de hoc dubitat, similis est Bonvillo hæretico, quem asinus in præsentia S. Antonii de Padua convicit, cùm eum cultum redderet Christo quem Hæreticus negabat.

3. Non consumitur à nobis sumptus Christus, imò nos mutat in se, ut ipse dixit Augustino. *Ego sum cibus fortium, verùm non ego mutabo in te, sed tu mutaberis in me.* Inaudita res ut quis aliquid comedat vivum, & hoc licet nutriat comedentem, maneat vivum. Jonam vivum non sustinuit cœtus. Et cùm Christum edimus, in Christum mutamur, quia cibus ut in nos mutetur, debet esse nostro calore debilior. Christus verò est fortior quàm nos, ideò nos in se mutat. Matth. 26. *Dedit eis signum Judas*, id est, Judæis. Quorsum? Utique noverant benè Christum. Sed post sumptionem hujus panis, non solùm in anima, sed etiam in facie Christo similes Apostoli,

atque

atque adeò Judæi errare poterant, ita enim Chrysost. homil. 45. in Joan. *Omnes habebant Christiferas facies.* Illis & Christus dixit. *Ego sum.* Si daretur panis, quem qui ederit, mutaretur, in pulchrum, divitem, doctum, Principem, quantus ad illum fieret concursus? Ecce hic panis mutat in Christum, ut possimus DEO Patri de nobis dicere. *Respice in faciem Christi tui*, & licet hoc modo in facie nostra non appareat; sit tamen si dignè accesseris, in anima. Sed panis hic sæpè à mortuis per mortale peccatum sumitur, ideò prodest sicut panis mortuis: mittitur in guttur peccatoris sicut in tumulum, *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Et cùm olim dignè sumentes etiam in facie mutaret, occidit etiam in corpore indignè sumentes, ut docet Paulus. *Ideò inter vos dormiunt multi.* Mortem appellat more Scripturæ somnum. Inter quoad animam evadunt rei judicii atque si Christum ad mortem tradidissent. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Dum sine puritate animæ velut cibum vulgarem sumit. Ingreditur ut vermiculus in hederam Jonæ Dominus, sed ut illam arefaciat. Apparuit Magdalenæ post resurrectionem, & ait: *Noli me tangere.* Cur ita? *Nondum enim ascendi ad Patrem*, unde vobis missurus sum Spiritum S. qui vos igne suo ad purum excoquet. Ambr. libro 10. in Luc. 21. *Nondum* Magdalena *evacuaverat lubricum sæculi, carnis ambiguum, nondum vixerat vitam Christi.* DEUS bone, post tantas lachrymas nondum digna ut tangat solùm. Major præparatio facienda ad S. Communionem quàm ad mortem, quia majus est malum Christum indignè sumere quàm mori. Sed quare Thomas permissus non solùm tangere, sed etiam digitum in latus imponere? Respondet S. Alexius, lib. 12. in Joann. cap. 58. quia Spiritum S. accepit per illa verba. Accipite Spiritum S.

4. Sub una ſpecie æquè totus ac ſub duabus, neque plus accipit Sacerdos quàm laicus, ſicut non plus accipit qui duas ſumit hoſtias quàm qui unam. Sub ſpecie panis eſt corpus & ſanguis: ſub ſpecie vini eſt ſanguis & corpus, & ſub utraque nihil ampliùs. Si aſpiciamus ſpecies ſolas, & non Chriſti verbum; decipiemur ſicut Iſaac, qui involucrum manuum Jacobi conſiderabat. Falluntur ſenſus etiam in rebus non Divinis, putamus colores in Iride, cùm ſit nihil præter aquam & lucem. *Latent res eximiæ.* Itaque totum Chriſtum ſive in una, ſive in duplici ſpecie ſumimus. Chriſtus totus intra nos venit: & cur nos non facit ſibi conformes? cur non mutat in ſe? Antequam manna caderet, ventus deſiccabat terram. Abulen. ad Exod. 16. deſiccanda ſunt priùs vitia: Eliam non juvit ſubcinericius panis, quando illum jacens comedit, ſed quando ſurrexit & comedit, ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & totidem noctibus. Si dignè ſumimus, habemus illum intra nos qui latronem ſalvavit. Habemus Samaritanum qui curavit à latronibus vulneratum. Habemus illum qui miſeretur ſuper turbas: qui Lazarum reſuſcitat quatriduanum, &c. Sed hic ipſe nobis hodie proponitur, ipſe illius aſpectus ex Matthæo Publicano fecit Apoſtolum, &c. Murmurent hæretici, murmurabunt & Phariſæi, cùm ipſe de hoc Sacramento loqueretur. Monuit: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* In quo? Epiph. hær. 37. Et Ambr. ſerm. in feria poſt Dom. 1. Quadrageſ. quia ſerpens bibiturus aquam priùs evomit venenum, deponamus venena peccati, proponitur *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

De Eodem. CONCIO II.

SI fuiſſemus præſentes, quando Chriſtus poſitus fuit in præſepi

præſepi: Vel quando in cruce pependit, vel ſi in noſtram domum intrâſſet ut in Zachæi: nemo eſſet qui non affectum ſpecialem exhiberet. Alter oraret ut latro bonus, *Memento mei*, &c. Alter ut Petrus, *Exi à me Domine*, &c. Vel ut Centurio. *Domine, non ſum dignus*, &c. Eſſet fortè quæ cum Magdalena lacrymis rigaret pedes. Eſſet quæ cum Chananæa, *Etiam catelli edunt micas*, &c. Ecce, hic eſt iſte, etſi tegatur velo, audit, videt, &c. Propterea hoc feſtum non celebramus ut alia, in quibus ſolùm memoria agitur; hic res ipſa, accedamus, veneremur, petamus. Hoc feſtum vocat S. Th. miraculorum maximum, conſideremus.

Æquè rem facit hîc mirabilem, ac dignam amore, atque dum in præſepi erat, ibi aſſumpſit corpus & animam humanam, ſed unam, non Petri, non Pauli, ſolùm factus eſt homo. Hìc cùm ſingulis noſtrûm ſe unit, aut unire paratus eo modo quo cibus nobiſcum, cujus pars vadit ad oculum, pars ad manum, &c. ut qui vellet ſeparare, valde cru delis eſſet tyrannus; deberet enim ſingula membra in partes minimas reſolvere. Sed cùm DEUS factus homo, non mutatum corpus aut anima in DEUM, nec è contrà. Athanaſ. *Sine confuſione ſubſtantiæ.* Hic nos mutat in ſe, ut docet Auguſt. ut jam dicere poſſimus: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, ac proinde debeo meo oculo, linguâ, manu, &c. uti, ſicut Chriſtus. Hinc ut abſurdiſſimum adducit. 1. Cor. 6. *Tollens membrum Chriſti faciam meretricis?* Hoc ipſum explicat ſimilitudine Jacobi. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Inſeritur ſurculus in arborem ſylveſtrem, jam bonos fructus facit. Arbor non ſuam ſed ſurculi naturam ſequitur, & ſi non ſequeretur, exſcindenda eſſet; ſic in nos inſeritur Chriſtus, ut jam non noſtros, ſed Chriſti faciamus fructus, patientiam, humilitatem, devotionem, &c. Roman. 11. *Tu cùm oleaſter eſſes, inſertus*

es in bonam olivam, & consors pinguedinis ejus factus es. Dat se nobis Christus, & de eo participamus. Ipse à mortuis resurrexit, nos si DEUS aliter à morte non fuisset excitaturus, propter usum hujus panis excitaret Joan. 16. *Qui manducat me, vivet propter me, & ego eum resuscitabo in novissimo die.* Habet ipse gloriam, dat manducanti. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, vivet in æternum*, &c.

Facit non minùs admiranda quàm in cruce; ibi semel obtulit pro nobis sacrificium, in Missa dum hoc conficitur Sacramentum, toties idem repetitur sacrificium. Ibi fecit ut Parens, dum ejus Filius morbo extremo conficitur, nec juvari potest, nisi talis fiat bolus, & poculum medicinæ, ut in illud omnis substantia sit expendenda, præparavit hoc populum, hic talem bolum & tale poculum præbet, carnem & sanguinem, &c. Et quia caro humana non est esca, illam ita sub speciebus abscondit, ut nullo sensu deprehendi possit, ut anima in corpore; & propterea multiplicat miracula. Totus est in tota hostia, & totus in quavis parte illius, ut anima nostra in suo corpore. Unde etiam ad animæ nostræ similitudinem se aptat, ut id quod facit non impossibile videatur. Frangitur hostia, non frangitur ille, idem est de anima nostra cùm membrum amputatur. Major est hostia, nec major nec minor ille, sicut anima infantis & viri. Anima est in toto corpore, & toti animæ unitur oculus, nec tamen oculus est in pede, etsi ibi etiam sit anima, ita Christi humanitas jungitur toti Personæ Divinæ, nec tamen est in omni loco uti est Persona Divina. In cruce facta est mutatio; factus est enim animâ recedente, ex vivo mortuus: hic fit mutatio ex pane in corpus, &c. Sed ibi mansit eadem materia in vivo & mortuo, hìc neque forma neque materia manet in pane; ibi aliqua mutata accidentia. Hìc in pane manent omnia antiqua: ibi carnificum ope peractum

actum est sacrificium; hic etiam ope non solùm boni, sed etiam pessimi potest peragi, nam Sacerdos se habet ut currus per quem Christus vehitur, sit aureus, servabitur; sit ligneus, putridus, tandem comburetur. Missa tamen plus valet boni Sacerdotis quàm mali, &c.

Non minùs mirabile hìc, quàm si ad nos venisset ut ad Petrum, &c. Ibi ad unam venit navim: hodie deducetur per plateas & fora. Ibi in specie propriâ, hìc in specie panis. Ibi ad Petrum, qui jam reliquit omnia, hìc ad quemcunque. Ibi se manifestans, hìc se occultans; ibi nondum ad dexteram Patris sedens, hìc sedens: ibi cum terrore, putabant enim phantasma esse, hìc cum omni amore. Ibi ad illum Petrus per mare progressus, hìc illum per terram adire possumus, &c. Ibi facta gratia semel, hìc quoties volumus & templum accedimus. Vades Domine non solùm ad nos, sed per plateas. Ominosum in scriptuta, quoties DEUS dicitur de loco suo egressus, fortè nostra peccata clamant ut Sodomorum, & tu vis videre; sed hoc tempus non est ultionis. *Pertransivit benefaciendo*, his dabis contritionem, his spem in te, illis in bono perseverantiam, &c. Illuminabis oculos cœcorum, ut videat peccator in quo sit periculo, aperies aures surdorum, ut audiant te & suam conscientiam, sanabis claudos ut currant mandatorum, &c. Proteges adversùs hostes, Judic. 7. *Videbam panem subcinericium volvi in castra Madianitarum, & ea penitùs delere.* Faciet nos degustare adhuc in terris cœlestes delicias. Ps. 72. *Et erit firmamentum in terra in summis montium.* Hunc textum transtulit Hieron. *& erit memorabile triticum.* Paulus Burgensis & Titelman haberi ajunt in translatione Chaldaica. *Et erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum.* Hoc est firmamentum nostrum, hoc cœlum nostrum quod Sacerdotes in Missa elevant supra capita. Sed aitis, vos ista non experiri. Aliquis promitttit se daturum oleum

quod-

quoddam pretiosissimum, dum qui volunt accipere, afferant vasa. Venit unus cum vase rebus aliis oppleto, neque illas vult effundere, venit alius cum vase vacuo quidem, sed valde sordido, neutri datur oleum, quis in causa? Postquam defecerunt vasa stetit oleum Elisæi.

Vadit ergo in plateas, & ad quemvis paratus venire, sed cavete ne illum collocetis cum Dagon. nam & Dagon peribit & vos. Philistæi cœperant arcam Domini, quæ erat figura hujus Sacramenti, loco honesto collocârunt in templo suo, ubi etiam fuit idolum Dagon, quid factum? Dagoni manus, pedes, caput amputatum, & ipse projectus est in limine templi. Si Dominus invenerit idolum. Avaritia est idolorum servitus, aliorum DEUS venter est, aliorum Venus, &c. & morbis puniet, & ipse recedet, ut Philistæos coëgit remittere arcam. Caveamus ne recipiamus Dominum sicut fecit Oza, qui debebat in curru semper arcam tenere, at ille ex indevotione neglexit, & tum primò arripuit cùm videbatur casura, & ipse *mortuus est ibi.* Panis hic prodest, sed si adsit calor charitatis, devotionis: si in homine deficiat calor nativus, & illi panis ingeratur, facit ad interitum. Si invenerit Obededom, benedictionibus implebit.

Sed jam procedet Dominus, agite hilares, deducite, hoc festum institutum est ut compensentur omnes ignominiæ, contumeliæ, quas Judæi Christo intulerunt. Isai. 60. *Pro eo quòd fuisti derelicta & odio habita, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem.* Et ut id alacriùs agatur Papa Urbanus IV. indulgentias, &c. largitus. Caveamus ne illum excipiamus sicut Judæi die palmarum, postea crucifixerunt, crucifigit qui causam dat crucifixionis. *Indulgentias vide in epistola Pastorali.*

In festo

In festo S. Antonii de Padua. CONCIO. I.

Civitas in monte posita est, Matth. 5.

DUM considero Antonium, ocurrit mihi quod Gregor. Nazianz. de Basilio dixit. *In illo laudando ipsius opus esset voce.* Tanta Basilii & vita & eloquentia; tanta Antonii virtus, ut in illo enarrando ipsius linguâ opus esset. Illa nobis diceret: cur cætero corpore resoluto ipsa sit incorrupta. Et diceret: quia tot nationes ex corruptela vitiorum & errorum extraxi, tot ad scholas incorruptionis, scilicet induxi ad monasteria, &c. Diceret: quid egerit Antonius in illis suis latebris quinquennii, quid noctibus, &c. Audiremus, quanta fuerit in dicendo suavitas, ut pisces ad eam confluxerint gustandam: quanta in eadem severitas ut Ezelinus Tyrannus in terram corruerit. Sed nec ipsum æquare possum oratione, neque ejus linguâ gaudere.

Est Civitas, cives virtutes, curia, &c. Quis singula potest breviter? At quæ? ut pictores partem pingunt cætera considera. Quam partem? optimam. Quæ? de Jerosolyma sine dubio. Fundamenta ejus in montibus? Unde *ascendimus Jerosolymam.* Sed quæ in ea pars optima? Templum. In Templo? Arca. Ita Greg. IX. Sanctum appellavit. Dum ergo volo civitatem ostendere, solum ostendam arcam, & totam civitatem considerationi relinquam.

In Arca tria fuerunt, Lex Moysi in tabulis, Manna, & Virga. Moysi & Aaron benè hic depingitur Antonius. *Lex.* 1. Concionator, non doctas fabulas. Inde dictus malleus hæreticorum, conterebat, ad ordinem ut lateres, in muro reducebat. O si modò talis esset! Idem de peccatoribus.

2. Fuit Ordo ſine literis, etſi Sanctus, ille primus Magiſter Theologiæ, primus regens ſtudiorum. Quot inde Cardinales, Pontifices, libri! Ille inſtituit lectiones Alenſ. Bonavent. Scotus, Ocham, Aureolus, Mayron illuminatus, Richard. Lyra, &c. Sed quomodo id cohæret cum eo quod pro S. Franciſco legimus, *Revelaſti ea parvulis*, Bernardus in Cantic. 36. *Revelaſti parvulis, non ſtultis, tumorem damnat non acumen.* Hieron. Soli ſibi prodeſt Sancta ruſticitas, ſed plurimis ſimplex docilitas.

Jam ad *Manna.* Unde illa doctrina Antonio, manna pluit de cœlo in deſerto montis Pauli in Alvilia, illa quinquenni; quando pro laico ſuſceptus, ut laicus egit. Idem Bernardo qui ita in ſua vita loquitur. *Nullos habui alios magiſtros præter fagos & quercus.* Quomodo didicerunt. Duplex eſt viſio, matutina & veſpertina, in cœlo, idem in via, quidam res in DEO cognoſcunt, quidam in ſe, in DEO noſcuntur ut ad Solem, in ſe ut veſpere. Diverſi in manna ſapores, Nationes diverſæ loquentem intelligebant; his terror, his conſolatio. Greg. lib. 31. in Job, cap. 10. *Manna eſt verbum DEI, & quidquid bona voluntas appetit in ore comedentis ſapit.* Sed quo modo ignorantes linguam intelligebant? Pſ. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI,* &c. *Non ſunt loquelæ neque ſermones eorum, quorum non audiantur voces eorum.* Sicut ſtella magis locuta, de qua Auguſt. 30. de temp. *Stella nunciavit tanquam lingua cœlorum.* Cœli per influxus, tonitrua, &c. loquuntur; clariùs dicam. Videtis hunc Infantem, in libro. De hoc Infante libri Antonii, ſicut Joannes Aug. in Joan. tractatu 36. *De illo pectore in ſecreto biberat*, in eremo.

Fuerunt etiam Virgæ duæ in illa Arca, Moyſis & Aaron. Virga ſcilicet fuit inprimis *Moyſi.* Qualis? ex corylo. Cur ita miraculoſa? quia in manu, cum verbis juncta operatio: ſed cùm illam projecit in terram, facta fuit ſerpens, ſit elocutio neſcio

nescio quanta si in terra, &c. Hanc Virgam veluti haberet Anton. In mari, noluit Bonvillus hæreticus audire, audiunt pisces. Per mare ducit, dum prædicaret omnibus relictis curre-batur, templum parvum, ergo extra muros. Burdeos in Gallia, ecce obtenebrescit, grando. Ille, nemo se moveat, in circum pluit, gtandinat. Job. 28. *Ponebat legem pluviis, & viam procellis sonantibus* Ps. 101. *Respexit in orationem humilium.* Alia versio, *in orationem vacui.* Sicut sunt vasa hortensia, quæ metui vacui non dimittunt aquam. Sed etiam hoc scribit Nierenb. hist. 11. c. 60. Hæretici statuam hujus Sancti membris mutilatam in mare dejecerunt, cum hæreticos mare iu Lusitaniam ejecit, etiam statua emersit, & in littore ambulavit, Bajam deinde solnnniter perducta est. Pro magno quòd tempore mortis Christi latro conversus, sed vidit miracula. Sed ut docet S. Vincent. umbra Christi, B. Virgo mediabat. Ad Antonium audiendum venerunt 22. latrones, conversi. Equo imperat ut cibo abstineat, Eucharistiam adoret. Insimulatus pater quòd occidisset filium, excitat Antonius filium, ut testetur, & rursus moriatur. Quid in Vesuvio evocatum ab inferis, mercatorem ut subscriberet syngrapham debiti? messes bis in anno? Aureos ruptos missos in eleemosynam, ex quibus sanguis fluxit? Cor divitis intra nummos post mortem dum concionaretur, *mortuus est dives, & sepultus in inferno.* Opposuit se Ezelino & Fratri Eliæ ut Pharaoni. *Virga Aaron* subitò floruit; in Dominicanorum præsentia concionatus, quâ occasione à S. Francisco creatus regens; subitò, tota ætas anni 35. ex his latuit 5. aliis quinque floruit. Canonizatus eodem anno quo mortuus, & ab eodem Greg. IX. à quo dictus Arca.

Sed cur non illi appingunt has Virgas? Legis tabulæ per librum, item manna exprimitur, Virgæ per lilium; exprimit lilium virgam amygdalinam, sed superaddit. 1. ut Hieronym.

epist. 8. Lilium est signum virginitatis. Novitius jactabatur tentationibus, tantùm attigit vestem Antonii, liber factus. Valet contra venena, Diosc. 3. cap. 99. Non nocuit illi propinatum ab hæreticis, inclinat caput, inclinabat ille coram Notario, quem prævidebat Martyrem. Significat B. Virginem sine macula Guilielm. in Cant. ille cum suis eam defendit. Plantatum videtur priùs arescere, postea floret, Hilar. in Matth. cant. 5. ita Anton. in Religione. Est signum Providentiæ. Ambros. *Lilia non nent neque serunt, tamen neque Salomon*, &c. Ita ejus ordo. Lilium inter spinas, ille, auditâ morte quinque Fratrum, desiderat Martyrium.

Apud arcam exaudiebantur : absolvimus arcam, quid petimus? Sanctus circa res perditas Patronus. Quid amittit peccator? Psal. 39. *Cor meum dereliquit me.* Gregor. 2. Mor. 11. *Quoties graviter delinquitur cor nostrum non habemus. Vbi thesaurus tuus ibi & cor.* Non est cor, cùm agitur de DEO, &c. solùm est cor, cùm de thesauro, rebus. Rogemus ut cor in arca servet, legis Divinæ, judiciorum faciat memores.

De Eadem. CONCIO II.

Vos estis Lux mundi. Matth. 5.

HAbet hoc in more DEUS, ut quò magis propter illum velit quis latere, magis ab eo illustratur. Sic factum S. Eremitis multis : sic Martyribus per tormenta obscuratis, & claris occisis, ut SS. Paulo & Joanni. Antonius se abscondebat ut vix magis potuerit, DEUS illum illustravit, ut vix ampliùs cogitari possit; hoc utrumque explicabo.

Natus Antonius in domo nobili, omnibus excultus scientiis, intrat Religionem S. Francisci in qua tunc non erant literæ

literæ, se non solùm idiotam, sed rudissimum facit, impetratq; ut inter laicos admittatur, & inter eos se gerit ut vilissimus, abjectissimos quosque labores quærit, contemnitur adeò ut in Capitulo generali Assisii repertus Guardianus qui illum recipere; quid ampliùs facere debuit? E contrà DEUS ita illum illustravit, ut de illo dici possit, Eccl. 44. *Non est inventus similis illi in gloria.*

Non est repertus similis quoad scientiam. Nam jussus ex tempore dicere aliquid spirituale, ita dixit ut ejus Superior S. Francisco tum viventi scripserit, non esse illi similem in doctrina, quo motus Franciscus, etsi timeret scientias inducere in ordinem, ne vacillaret humilitas, fierent æmulationes, exemptiones: tamen à DEO inspiratus vidit posse Antonium scientias administrare, sine his incommodis, fecit illum Magistrum, & quòd Antonio negotium successit benè, videmus hucusque, cùm post laboriosas conciones fratres in duro vires reparant strato: Spiritus consumptos in studio pane emendicato restituunt, hic fructus Magisterii Antonii. *O quanta silentio nascitur vox!* Dixit de Joanne S. Petrus Chrysol. cùm ex muto Zacharia genitus fuisset Joannes, qui factus vox clamantis in deserto; hoc ipsum de Antonio. Duravit hæc vox in Bonaventura, Bernardino, Alensi, Scoto, Mayronio, Aureolo; & durat modò, & tum Antonius vix annos 27. ingressus fuerat.

Illustravit illum cùm fecit summum concionatorem, & ad hoc duo dedit illi subsidia, vocis & linguarum. Quantumvis voce mediocri diceret, in quacunque distantia audiebatur; quamvis solo suo nativo sermone, à quavis natione intelligebatur. *Diffusa est gratia in labiis ejus.* Quocunque venit velut in maximo festo, cessabant labores, officinæ claudebantur, totus ad audiendum illum populus confluebat; & quia templa capere

non poterant, vacuâ relictâ civitate in campos exibant. Quo verò fructu? testabitur hostis infernus, qui aut fingebat se illius cathedram frangere, aut elementa commovere, aut nuntios venire mali alicujus ad populum; sed quâ voce collegerat Sanctus populum, eâdem fraudes aperiebat dæmonis: & populus augebatur in tantum, ut oportuerit armatos assistere, ne opprimeretur, aut à carpentibus de ejus vestitu sacras reliquias & ipse discerperetur. Testabuntur qui viginti latrones ex curiositate venerunt ad audiendum, redierunt omnes conversi. Quid inimicitiæ compositæ, Ecclesiæ ad sanctitatem reductæ, monasteria ante vacua, ab illo repleta, hæreses extinctæ, fervor pœnitentiæ, cum ab illius concione non jam solùm percutientes pugnis pectora, sed flagris tempora lacerantes redirent, estque traditio ab illo introductas flagellationes publicas. Testabuntur pisces in littore Ariminensi, ad quos conversus dum nollent auscultare hæretici, cumulatim audierunt, prædicavit illis beneficia collata à DEO in suum genus; Illi soli in diluvio salvi, illi naufragum Jonam servârunt: illi Tobiæ visum: illi nummum quem Petrus pro Christo in Paulum dedit. His & similibus dictis impertitus illis benedictionem, & dimisit; quo viso conversi & hæretici.

Dedit Antonio DEUS in manum virgam Moysi patratricem miraculorum, quâ velut Pharaonem fregit obstinatum Ezelinum; erat hic Tyrannus Patavinorum, sed adeò feri animi, ut cùm fuisset à Mediolanensibus captus, cibum omninò repudiaverit, ne de manu hostium reciperet: omni verbo abstinuit, ne sermonem misceret. Reddidit S. Humbertus ursum placidum, Simonides leonem mansuetum, alii tygrides, &c. Certè hoc non minus Antonii, ad cujus pedes procidit Ezelinus. Dedit DEUS Antonio Spiritum Prophetiæ: prædixit uni infanti nondum nato, & alteri jam viro, futuros Martyres.

Dedit

Dedit cordium notitiam, quod fassus Brugensis Episcopus, cujus & dubia mentis aperuit & solvit; dicet novitius sui ordinis, cui suas illius tentationes explicuit & composuit. Dedit ut aliquando in locis pluribus spectaretur. Dedit ut in somnis appareret, peccata ostenderet, & certo Sacerdoti juberet confiteri. Quid sanatos paraliticos, mortuos excitatos, &c. Dedit in obsequium Angelos, egebat Antonius tabellario, qui ad suum Superiorem deferret literas, detulit Angelus velocissimè, & responsum retulit. Dedit seipsum DEUS Antonio in forma puerili, cum quo sanctissimas sæpe habuit delitias, oscula casta. Annum habuit 36. occurrit JESUS cum Maria, ut animam exciperent morientis; occultare volebant Religiosi mortem, sed infantes fletu & ejulatu per urbem Patavinam publicârunt. Dedit, ob multitudinem miraculorum, uno vix elapso anno ut canonizaretur, & hoc ipsum campanæ spontè sonantes Spoleti & Olissipone publicarent: sepulchrum Angelicis manibus creditur factum: lingua hucusque incorrupta.

Dedit Antonio quod paucis Sanctis evenit, ut gloria in mundo jam in quintum sæculum duret. De aliis dici potest, quod Eccl. 44. *Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Habentur, vel apud solam suam gentem; nescimus ferè, quos Patronos habuit Hispania, Gallia, &c. multò minùs illos colimus. Alii Sancti ad tempus in cultu, postea circa illos devotio tepescit, ut circa Abraham, Moysen, Davidem: transiit non una generatio, æquè colitur Antonius. Et in toto mundo colitur, nullum ejus altare vacat anathemate, &c. Non in sola Italia illum invocant circa res amissas in periculis, anxietatibus animi, &c. Piscina ille est veluti Probatica contra omnes morbos, sed omni loco & tempore, ut repetere cogar. *Vos estis lux mundi*, totius mundi, ait omni. Non est similis tibi in gloria. Denique

fecit

fecit illum DEUS Patronum libertatis, laborabat & Pontifex & Veneti, ut Patavium liberarent ab Ezelino; nihil profecerunt. Hic Tyrannus post mortem Sancti factus insolentior, sed nocte præcedente festum Sancti prostravit se apud ejus sepulchrum quidam Religiosus recommendando civitatis Patavii afflictionem, audivit vocem de sepulchro. Non dubita: in octava mei festi recuperabit civitas libertatem. Venit octava, Ezelinus quodam timore correptus, è civitate profugit, & civitati libertas reddita. Precemur, ut nostram etiam libertatem in suam curam recipiat. Et cum DEO quàm liberalissimè procedamus ejus exemplo.

In Festo S. Aloysii Societ. JESU.

CONCIO.

Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Lucæ 12.

NOtæ sunt hujus Beati virtutes: Mundi contemptus, nam consanguineus Regum, Cæsarum, ipse Marchio, fit Religiosus: de Castitate ipsa S. Rituum Congregatio testatur. *Nunquam stimulos carnis passus, nec ullam impuram cogitationem habuit.* Cum penè infans domi luderet, in quo ludo qui perderat, imponebatur illi aliqua mulcta; illi impositum ut oscularetur umbram in pariete cujusdam Virginis, quam faciebat candela mensæ insistens, ille recusavit. Et cùm diceretur, turpem esse illam umbram; respondit, satis esse quòd mulieris esset. De illius oratione supra dicta Congregatio. *Caruit distractionibus & evagationibus mentis.* Quid de humilitate, patientia, &c. De illo dici potest illud Hieron. epist. 33. *Felix præconium quod nullâ totius vitæ*

vitæ ſorde maculatur. Sed cùm Evangelium memoret ſimilitudinis, virtutes ejus aliquot per ſimilitudines proponam.

Receperat tantam à DEO puritatem animi Beatus, ut Confeſſarius illius doctiſſimus ac pientiſſimus Cardin. Bellarminus auſus fuerit dicere, illum ſtatim ac natus in gratiâ DEI confirmatum. Conſtat eodem inſtanti quo cognovit DEUM, quòd ſtatim illum adamaverit; hinc quadriennio adhuc frequenter orans, diu flexis genibus in angulis domûs ſolitarius deprehendebatur: à ludis & ſpectaculis adhuc puerulus abhorrebat, etſi ad illa fuit adactus, claudebat oculos, verbis parcus, veſtium pretioſarum contemptor, & ita erit annis 17. in ſæculo. Ab undecimo ætatis duas dies ſeptimanæ in pane & aqua tranſigebat, idque ſumptâ ſemel de die, & non excedebat unciam victus quotidianus; cùm deeſſet cilicium calcaribus arabat latera, in lecto ſub linteamine ligna vel lapides abſcondebat, hyeme in ſolo induſio in terra cubebat, horis quatuor orationem continuabat, aliquando ſex, ter de die & ter de nocte flagris ſe cruentabat, illachrymabatur mater cruentatis induſiis. Ita dici poteſt de illo quod Bern. dixit. *Actu innocens ſuſcepit pœnitenter affectum, & qui non habuit unde pœniteret, habuit tamen ut pœniteret.* Novennis DEO vovit Virginitatem, & omni cura tutatur, ut nec Matris faciem fixè aſpexerit. Hæc innocentia; jam ad ſimilitudines.

Vidiſtis aliquando figulum, facit ex eodem luto vas in honorem & vas in verecundiam: ita factum Jerem. 28. Hoc Beato hærebat in animo: poterat me DEUS me facere vas in contumeliam, num quid mei eget? Famulus ſuus & ſervus expectans Dominum, vigilanter agendum, neſcio quâ horâ venturus, quid de me facturus. Aſpiciebat quod ſit lutum ex origine, cætera ſunt dona DEI, poteſt vas ut figulus confringere. Hinc ſæpè auditæ illius voces. *Quid habebit de me miſero Religio?*

ad nihil valeo. O mi Aloysi, quæ tua humilitas? Quid faciet de te Religio? Faciet hoc. Numerabit te inter Sanctos suos, & tuum nomen inter suos honores. Quid faciet? Memoriam tui perpetuam tanquam Angeli proponet suis filiis in exemplar. Depictas tui imagines per orbem distribuet. Depinget te Victorem aquarum, cùm ad Ticinum delapsus in aquam mergi non potuisti: Triumphatorem ignis qui te Castilione non ausus lædere, cùm exussisset lectum in quo jacebat. Compositorem pacis à variis frustra tentatæ inter Fratrem tuum Marchionem Castilionis, & affinem Ducem Mantuanum. Quid faciet Religio? Altaria in tui cultum eriget, pro munere magno Principibus partes tuorum cinerum distribuet, reliquas in argento servabit, & circa plurima appendentur anathemata. Quid faciet? Senis apud tuam imaginem cœcum visum recipiet. Perviis multi paralitici curabuntur, mortui surgent.

Similes hominibus expectantibus cum lucernis. Ambr. in Psal. 118. *Multæ sunt tenebræ, multæ lucernæ necessariæ.* Si quis in tenebris vadit cum vase ficuli, facilè frangit. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Oratio Beati erat continua, quâ lumen petebat, & DEUS ita illustravit, ut nunquam peccaverit graviùs, sed ne veniali fortè ullo. Nihilo minùs cùm lucerna vigilans Dominum expectabat. Jam morbo factus morti vicinus petiit, ut pro suis culpis, cùm ipse non posset, à capite ad calcem aliorum manibus flagellaretur. Videant peccatores, & ad lumen Beati spectent sua peccata, quibus pœnis sint digna, cùm innocentissimus hic Angelus tantis se dignum judicet. Nullum in hoc morbo solatium, nullum revelamen admittit, ut totum patiatur. Hic Beatus, quem S. Magdalena de Pazzis vidit inter Martyres in cœlo, & cùm videret in extasi, exclamavit. *O quàm magna est gloria, quàm Aloysius habet filius Ignatii! Mihi videtur, quòd certo modo dicendo, non sit tanta gloria alia in cœlo quantam*

tam

tam ille habet. Ego vobis dico, quòd sit magnus Sanctus, & vellem si possem ire per totum mundum, ut illum deprædicem. Et post modicum eadem Sancta. *Aloysius fuit Martyr ignotus, & seipsum fecit Martyrem ipse.* Provocabat Beatus mortem, dum ex caritate Nosocomia ægris inficientibus referta frequenter visitaret. Provocabat quando tempore pestis Romæ petiit ardentissimè, ut ad obsequium peste morientium exponeretur. Provocabat quando tam durè corpus suum tractabat. Videbat dicta Sancta Beatum orantem in cœlo pro existentibus in aliqua necessitate præsertim spirituali, sed & ipse adhuc vivens in terris hunc favorem DEI habuit, ut nihil unquam ab illo fuerit precatus quin obtinuerit, quamvis judicio humano videretur res inextricabilis. Precemur ut etiam pro nobis oret.

In festo S. Joannis Baptistæ. CONCIO. I.

Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ. Matth. 11. 10.

COmmunis persuasio populi eos esse majores Sanctos, qui majora faciunt miracula. At Joanne major non surrexit, Jo. 10. *Joannes quidem nullum signum fecit.* Quomodo ergo major aliis? Certè major Greg. Thovenaturgus, qui oratione montem transtulit, alii &c. Non comparo Sanctos, tamen repeto. *Inter natos mulierum*, &c. Et hoc demonstro ex eo, quia nullum fecit miraculum.

Certissimum est, quòd DEUS impossibilia non præcipit, & si aliquando aliquid fieri velit ab aliquo quod ejus vires superet, statim ad hoc confert vires. Plena hujus rei exemplorum S. Scriptura. Jubet Moysen esse Ducem populi, dat illi

animos, sapientiam quantam Ducum nemo habuit. Patet hoc ipsum in Jeremia nesciente loqui, Elisæo bubulco; Amos, Davide pastoribus. In Artificibus Arcam & Tabernaculum ædificaturis, Exod. 31. quos implevit ad hæc opera omni sapientiâ. Jam verò Joannes Jo. 1. *Venit ut omnes crederent per illum.* Et quidem Judæi qui solos se sapere putabant; & ut crederent rem difficillimam, hoc est Christum esse Filium DEI, quam putabant esse Filium fabri, pauperem, &c. Neque dedit ad hoc Joanni ulla miracula, imò dedit unam admirandam sanctitatem, quâ id perficeret. Certè Joannes ad rem tam difficilem eguisse videtur magnis miraculis. Elias 4. Reg. 8. ut se demonstret veri DEI servum de cœlo ignem advocat. Josua ut se successorem verum Moysis aquas dividit. Jos. 3. Moyses ut persuadeat Pharaoni, esse DEI voluntatem, ut populus in deserto sacrificet, quæ non facit prodigia? Exod. 7. Quare non Joannes? Quia supplebat sanctitas, alioqui DEUS impossibilia præcepisset. Persuadere modò Christum esse DEUM non est tanti laboris, atque erat tempore Joannis, tot sunt argumenta modò, ut difficiliùs sit non credere quàm credere. Unum assumo argumentum. Si Christus non est DEUS, quomodo potuit tot homines retrahere à deliciis ad jejunia, à divitiis ad paupertatem voluntariam, & quidem ex omni ætate, sexu, statu, lingua, doctis, Principibus: & sine armis, sine vi ulla, per piscatores, inter persecutiones, ignominias? Hoc Joanni deerat argumentum. Sed neque sanctitas aliqua minor illud supplere potuit. S. Franciscum Xaverium publicè vocabant Ethnici magnum Patrem, Sanctum, videbant ejus jejunia, &c. Tamen ut persuaderet Christum esse DEUM, quantis opus erat miraculis? Excitare mortuos, aquas maris dulces reddere, naufragia avertere, mersas naves recuperare, exercitus furibundos frangere. Similia fecit Rembertus in conversione Danorum, Boni-

Bonifacius in Slavorum, &c. Qualis sanctitatis debuit esse Joannes? Plura certè in illo debebant esse quàm quæ legimus; sanctitate suâ convertit.

Sed respondebitis. Joannes non convertit Judæos. Ita est, non omnes, quia nec Christus hoc effecit cum majori sanctitate & miraculis ob illorum pertinaciam; ita nihilominùs persuasit, ut inexcusabiles reddiderit Joan. 15. 22. Si non venissem, &c. Si opera non fecissem, &c. Nunc autem excusationem non habet. Convertit tamen multos, & Petrum ac Andream, Marc. 1. & redigebantur ad Christum misit, Joan. 1. 38. Et aliqui ideò Joanni non credebant de Christo, quia ipsum potiùs Joannem credebant esse Messiam, ut est Luc. 3. 15. Existimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne fortè ipse esset Christus. Faciebant alii miracula: Elias & Elisæus mortuum excitavit, Isajas Solem retrò jussit ire: Daniel intra leones famentes mansit illæsus: Jonas in ventre ceti; quis horum aliquem cogitavit Messiam? at Joannem absque miraculis putabant Messiam. Fuit Elias in vestitu asper, &c. Itaque his omnibus Joannes sanctior. Hinc ulteriùs. In aliis Sanctis causa est miraculorum sanctitas; in Joanne causa fuit ne faceret miracula, quia si absque miraculis devenit ad hoc, ut Messias putaretur, & ut S. August. tract. 4. in Joan. facilè ad hoc pervenire poterat, ut pro DEO coleretur, & illi fierent sacrificia, &c. Quid fuisset, si miracula accessissent? Siquidem tanti fuit æstimatus cùm faceret Christus miracula, ille verò nulla. Sed hoc est mirum, Apostolis dictum Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, quod propriè Christo competit, Joan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et tamen ex Apostolis quidam pejeravit, quidam non credidit, alii deseruerunt, Joanni titulus non datur lucis, imò *non erat ille lux, sed ut testimonium*

perhiberet de lumine. Marc. 1. 5. Egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi & baptizabantur ab eo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Nunquid Apostolis deterior Joannes? Imò Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ.* Quomodo ergo illi *lux*, Joannes *non lux*. Facilè de illis adverti potuit, quòd non essent lux primaria, quia tenebras admiserunt aliquando, atque adeò non poterat dubitari, quòd nullus illorum esset Christus. At de Joanne alia ratio. Adventus Joannis per Prophetas prædictus ut Christi annuntiata conceptio ab eodem Angelo: sicut Christus ab utero Matris, ut Sanctus proclamatus; vitam egit tam rigorosam, & quod est supra cætera, Christus à Joanne baptisatus, ubi Christus assumpsit speciem pœnitentis, ille enim Baptismus ad pœnitentiam disponebat, Joannes baptisabat. Fuisset periculum, ne Joannes cum Christo confunderetur, si accessisset illi testimonium, quòd & ipse lux esset. Ita ex altera parte Hebræi Joannem pro Messia recipiebant, imò aliqui Doctores Christiani, aut hæretici attributuri erant Joanni plùs quàm decebat. Origenes putabat verè esse Angelum; fuerunt hæretici qui docebant, quòd Joannes suâ poterat authoritate destruere legem Moysis: quòd ipse primus esset author Religionis Christianæ & Baptismi, ut est apud Suar. tom. 2. de Incarnat. disp. 24. sect. aliquot. Imò S. Cyrill. libro 2. in Thessalon. 4. *Ad eos* dicebat, Joannes *pervenit terminos quò natura humana aspirare potest*, cùm tamen B. Virgo altiùs pervenerit, & DEUS in infinitum sanctiores & sanctiores facere possit. Proinde necesse fuit, ut Joannes neque lux appellaretur, neque miracula faceret.

Denique conveniebat, ne tantus Sanctus ulla faceret miracula, ut disceremus, non minoris faciendos illos Sanctos, qui nulla vel pauciora faciunt, quàm qui plurima miracula, non

non eſt ſanctior Joanne, nulla tamen fecit. Sanctitas non in miraculis conſiſtit. Hinc diſcipulis dixit Chriſtus dum gauderent, Luc. 10. *Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur* nobis, dixit, inquam. *In hoc nolite gaudere, gaudete autem quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Ex quo ipſo patet, quòd facere miracula non ſit certum ſignum eſſe aliquem in cœlo. In quo ergo vera ſanctitas conſiſtit? Certè non in guſtu quem quis habet orando, non in extaſibus, non in lachrymis, non in facilitate impetrandi aliquid à DEO, poteſt enim iſtis fraus dæmonis ſubeſſe. Conſiſtit in hoc ſanctitas. Si audias aliquid mali de te dici, falsò te accuſari, ſi non te excuſes, non turberis, ſed feras humiliter, optando videri hominum oculis vilis ut DEO placeas. Conſiſtit ſanctitas in condonanda facilè offenſa, & in reddendo bono pro malo. In hoc conſiſtit: ſi te DEUS vult eſſe pauperem, ſine honore, contentum eſſe; ſi infirmum, gratias agere; ſi afflictum, illum benedicere: nulli invidere, imò gaudere quòd alii ſint feliciores, digniores, ditiores, & ad hoc etiam illos promovere, juvare, Gratiæ gratis datæ non faciunt Sanctum. Audite S. Chryſoſt. homil. 47. in 13. Matth. Ubi hunc ſenſum habet. Si tibi DEUS daret vel per poteſtatem, totius plateæ pulverem in aurum convertendi, vel totum aurum contemnendi, potiùs hunc contemptum eligere deberes. Sed utique ſi aurum faceres, prodeſſe multis poſſes? Multa pia opera facere? Sed etiam poſſes in ſuperbiam propter aurum & avaritiam cadere, &c. Sed ſi aurum contemnas propter Chriſtum, es ſecurus te benè agere; Eodem modo ſubeſt periculo præeſſe aliis, non ſubeſt privatim humiliter vivere. Sanctitas abſque miraculis eſt tutior.

De

De Eodem. CONCIO II.

Quis putas iste puer erit? Lucæ 1.

NEmo est qui consideratis quæ circa Joannem nascentem contingunt, non dicat: *Magnus erit coram Domino.* Adhuc est in utero Mater DEI ad illum festinat, & ipse in utero existens in utero existentem DEUM agnoscit & adorat, ut docet Salmeron, tomo 3. tract. 10. Gabriel Angelos prænunciat. Pater obtumescit; sed adventum Messiæ impetrat, quem tot Patriarchæ non obtinuerunt, nam pro illius missione sacrificabat, non pro Filii sui Nativitate, quem sibi nasciturum desperabat. *Exaudita est Oratio tua.* Quilibet dicere potest: *Magnus erit?* Idque indeterminatè, *magnus.* Non dicit tantus vel non tantus. Quæram aliquem, qui mihi directè ad hoc, *Quis putas erit?* respondeat.

Non est dubium, futurum fuisse Joannem magnum, quia in ipsa Nativitate similis Christo. Audiamus Evangelium, de B. Virgine dicitur. *Impleti sunt dies Mariæ ut pareret:* de Elisabeth, *Impletum est tempus pariendi.* Nascente Christo dicit Angelus: *Evangelizo vobis gaudium magnum.* Nascente Joanne *multi in Nativitate ejus gaudebunt.* Ibi *vocabis nomen ejus JESUM:* hic cum miraculo scribitur & dicitur, *Joannes est nomen ejus,* Christum B. Virgo parit, etiam Joannem videtur parere, more in scriptura consueto. Genes. 30. Rachel dum ipsa esset sterilis suasit marito Jacobo, ut ex Bala procuraret prolem, quod cùm factum est, ait Rachel. *Dominus exaudivit me, dans mihi Filium,* quia Rachel illum suscepit; Sed etiam teste Damiani serm. 23. B. Virgo Joannem levavit, Christus Panis *Verbum:* Joannes *Vox clamantis,* non Patris, quia hic mutus. Damiani. *Eris mutus*

Zacha-

Zachariæ. Cur ita? Vt intelligas Joannis vocem supra naturam formatam. Cujus tamen vox? Origen. in caten. apud S. Th. *Vox ejus qui stabat & clamabat si quis sitit, veniat ad me.* Imò, si res magis consideretur, quædam illustriora in Joanne quàm in in Christo. Hic annuntiatus in domo privata, Joannes in templo, ad dextram altaris. Nomen Joannis gratia; quia ita plenus gratiâ, ut ferrum candens igne, ut jam dici possit ignis, Christus unctus. Deinde vita austera Joannis, Christi communis. Legatos Sacerdotes mittunt ad Joannem, non mittunt ad Christum. Turcæ etiam nunc festum Joannis celebrant. Christus in pueritia victum & vestitum à Matre accepit, non accepit Joannes. *Lex ad Joannem* terminat Vetus Testamentum. Unde sicut nautæ, visâ terrâ, clamant: Terra, terra; Ita viso Ioanne, gratia, gratia. Isai. 40. *Consolamini, consolamini popule meus*, dicit DEUS vester, *loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius*, &c. Quod signum hujus? *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini*, &c. Ioannes signum hujus quòd dimissa iniquitas. De Ioanne Aug. *Præcellit cæteros, eminet universi, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas.* Et hoc est, cur non possim respondere ad illud, *Quis putas iste puer erit?* Martyr erit, Virgo, &c. Supra hos Ioannes Damasc. ubi ponit ordinem, quo Sancti colendi post DEUM, primò ponit B. Virginem, utpote quæ nunquam surrexit, utpote non lapsa in originale. Secundò Ioannem, quo nemo major surrexit. Tertiò ponit Apostolos; tum cæteros Sanctos ordine. Surrexit Ioannes, sed primus, *ex astro Sanctus vocabitur*, priùs sanctificatus quàm Ieremias, ut docet S. Vincent. conc. de Conceptione B. Virginis. Proinde illum allocuti: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, &c. quæ ut scribit S. Ambr. probè infans Ioannes intellexit. Quis ergo Ioannes.

Audiamus DEUM Patrem. Ille dicit illum fore Angelum, Malach. 3. *Ecce, ego mitto Angelum meum*, &c. Sed si ita, quomodo cohæret, Matth. 11. *Qui minor est in regno cælorum major est Joanne?* Quomodo Angelus minimus major Joanne, & Joannes Angelus? Intelligemus: sint duo vasa, unum ex argento, sed rudis operis, proinde tantum valet quantum argentum, v. gr. flor. 50. alterum ex argilla, sed operis admirandi; in hoc non æstimatur materia, sed artificium. Minor itaq; Joannes quovis Angelo, si materiam spectes; sed si artificium DEI, par Angelo, aut etiam fortè superior. Videte, quale opus DEI Joannes. Prov. 30. *Tria mihi sunt difficilia, quartum penitùs ignoro. Via Aquilæ in cælo: via colubri super petram: via navis in mari: via viri in adolescentia.* Præcipui Sancti per ista videntur notari: per Aquilam Joannes Evangelista; per navim Petrus: per colubrum Moyses, qui serpentem in deserto erexit. At per ultimum Joannes Bapt. In hoc uno artificium magis mirum. Christus est lux vera, de Joanne Ps. 46. *Paravi lucernam Christo meo.* Quæ est ista lucerna, quæ lucem veram illustret? Joan. 5. *Joannes erat lucerna lucens & ardens.* Sol est *admirabile opus Excelsi.* Quantò admirabilior esset lucerna quæ Solem illustraret? Illustravit Joannes, Christum cùm demonstravit, *Ecce Agnus DEI*, &c. illustravit in limbo, cùm ibi Christum prædicavit. Illustrat in cœlo, quia ut ibi ordo est, inferiores Sanctos instruit. Hinc fortè Theodor Studita vocat illum *Pronubum Christi & Ecclesiæ.* Sed quisnam Angelus & Joannes? An Michaël, quia ut Lucifero restitit Herodi? An Gabriel, certè annunciat, *Ecce Agnus DEI?* An Raphaël? occidit piscem Asmodæum, id est, draconem. Basil. Seleu. orat. 18. *Cùm diabolus à Christo victoriam desperâsset, in Joannem vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis usus est.* Sed & aliàs vicit hunc draconem, ut scribit Rader in Viridario. Colebatur Antiochiæ draco, &

puellæ

puellæ illi offerebantur: S. Lucas injecit huic draconi digitum S. Joannis, & statim crepuit draco. Niceph. lib. 1. cap. 20. scribit, quòd Herodiadi caput amputaverit glacies. Puto illum Angelum esse Joannem, de quo Apocal. 10. Stetit uno pede in mari, altero in terra: ille enim & Vetus & Novum complexus Testamentum, est vestitus nube, id est, pilis camelorum Juravit per viventem, &c. prædicavit pœnitentiam. *Securis ad radicem posita.*

Audiamus DEI Filium, nam Joannes quodammodo est Frater illius, at mirè illum amat; quid enim diceremus de Rege qui dum properat ad bellum: nihilominùs ex via ad civem unum descendit, & apud illum moras trahit dulces. Certè hunc civem amari summè diceremus à Rege, qui propter illum tam urgentes suspendit curas: hoc fecit Christus, dum festinat. *Nomen ejus festina accelera.* Moratur apud Joannem in utero manentem. Fraternitas Filii DEI cum Joanne in hoc est. Filius DEI est medius inter Patrem & Spiritum S. De Joanne dicit B. Laurent. Justinianus, conc. hod. *Joannes totius medius Trinitatis.* Quid de illo Christus? *Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam?* &c Sed satis quod dixerit: *Non surrexit major Joanne.* Sed non dixit quàm magnus, id factum est propter nos, qui majora nostro intellectu non capimus. Planè hic circa Joannem accidit quod Abrahamo, Gen. 15. Dixit DEUS Abrahæ, *Ero merces tua magna nimii.* Sed quàm magna? Isid. Pelusiota. *Si dici posset, magna non esset.* Ita & Daniel, cùm sub imagine quatuor bestiarum describit quatuor mundi Monarchias, sub specie Leænæ Babilonicam: sub specie Ursi Persicam; sub specie Pardi Græcam, ubi ad Romanam ventum est; non ponit nomen bestiæ. Causam dat Hieronym. *Ut formidolosam faceret, nomen tacuit.* Ita Joannem non dicit, quàm sit magnus, ut tantò majorem cogitemus. *Non surrexit major*, quia

quia tantus ut eum capere non possimus. *Si dici posset, magnus non esset*; erit Joannes ut Romana Monarchia, cui jam Christus succedit. Joannes Evangelista postquam cap. 1. descripsit DEUM, antequam dicat, *Verbum caro factum est*; ponit Joannem, *Fuit homo missus à DEO.* Et sic illum collocat inter DEUM & DEUM hominem. Natus Joannes Apostolus omnium, *ut omnes crederent per illum.* Ostendit veluti in agro defossum thesaurum. *Ecce Agnus DEI*, veluti defossus lateat Christus per annos triginta; ostendit Christum veluti herbam salutarem peste affectis. Prædicat Joannes prædicationem incipiente Christo, quis par esset in Pauli prædicantis conspectu cathedram conscendere? Et Christus ipse accedit, ut Joannem audiat, prædicanti Joanni attestatur DEUS Pater. Joan. 1. *Qui me misit baptisare in aqua, ille mihi dixit*, &c. *Vidi Spiritum quasi columbam descendentem de cœlo.*

Audiamus Spiritum S. quòd dicat per os Zachariæ. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*, per tuum os Spiritus S. loquetur, qui locutus est per Prophetas, sed modo altiore, per te *plebem perfectam* parabit; perfectionem Evangelicam opere & verbo exprimes. Tu eris, Isai. 40. *Vox clamantis*, Tu Ps. 28. *Vox Domini super aquas*, scilicet Jordanis. Tu alter David coram arca saltabis. *Exultabit Infans in utero meo.* Tu Elias, sed non diebus 40. verùm annis 27. in eremo. Tu Moyses sed non ut ille à tergo, sed de facie in faciem videbis Dominum. *Propheta Altissimi*, dices & ostendes digito. *Altissimi*, nemo alter sic vocatus; *Altissimi*, tanquam singulariter eximius Propheta, sed talis qui præibit, qui scientiam dabit, non per ænigmata loquetur. Quocirca omni Prophetâ major Propheta Altissimi.

In fe-

Audiamus denique quid Joannes de se. *Non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Quomodo hæc cum testimonio SS. Trinitatis de illo cohærent? Tantus est DEUS noster. Sit aliquis Angelus, sit æqualis Joanni, non est dignus, & hunc DEUM quomodo nos colimus, quomodo in illum peccare audemus? quomodo nos pœnitet, si in illum peccavimus? Dicamus nobis de nobis, *quis putas iste erit?* quid de te fiet. Quæramus de Filiis, *quis putas iste erit.* Ambr. lib. 3. de Virginib. *Quid potuit Filia de adultera Matre discere nisi damna pudoris?* Sic ille de Herodiade. Ex podagricis podagrici, ex calculosis calculosi nascuntur. Salvian. lib. 5. de Providentia. *Nutrices mores suos, vel bonos vel malos, in pueros quos alunt, cum lacte transfundunt.* Quidni parentes cum sanguine?

In Festo SS. Petri & Pauli Apostol.

CONCIO.

Tu es Petrus. Matth. 19.

CErtum est, quòd paradisus fuerit figura Ecclesiæ. Sicut ibi Adam primus homo, & ex illo omnes, ita hic Christus; ibi Eva quæ non nata, sed modo singulari condita, ita hic B. Virgo, quæ veluti ex Adam non fuisset genita, sed alio modo facta, originale non contraxit. Hinc Christus vocatur secundus Adam, B. Virgo nova Eva. Ibi ad vitam nascituri erant homines, in Ecclesia nascuntur per Baptismum; ibi docturus erat legem DEI Adam, hîc docet Christus, &c. Plurimæ fuerunt ibi arbores, Et aliæ nobiliores aliis, hoc idem in Ecclesia, sed duæ celebriores, arbor vitæ, & alia scientiæ: has assumo in Materiam dicendi, & perinde erit ac si de Clavi Petri, gladio Pauli dicerem.

Clavis Petri mihi probat Petro competere, ut vocetur arbor vitæ, Spiritus S. omnia vivificat, unde eum in Credo in Missa confitemur *vivificantem*, ideoque initio mundi supra aquas ferebatur, fovens eas ut gallina, ut de iis viventia deinde possint prodire, adeoque vitam aperiebat ut Clavis vitæ. At verò Petrus Filius columbæ *Bar. Jon.* Scio bene, quòd Spiritus S. non possit habere filium per naturam, potest tamen modo alio. Hieron. in Matth. 16. *Petrus ex confessione sortitur vocabulum, quòd revelationem ex Spiritu S. habeat, cujus filius appellandus sit.* Hinc cum eo Christus agit veluti cum Fratre, ille mutat Christo nomen: *Tu es Filius DEI.* Christus illi: *Tu es Petrus.* Et sicut in lege mos erat, ut defuncti Fratris semen excitaret Frater: ita Petrum Christus designat, ut postquam mortuus fuerit in Ecclesia, suum suscitet semen, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: alii erunt Pastores avium, tu & ovium & agnorum, sive ipsorum Pastorum Pastor. Tu eris alter Joseph vetus, coram quo undecim manipuli, alii Apostoli, & stellæ innumeris populi se flectent. Tu Ecclesiam conservabis quam sangvine meo acquisivi, quæ de plaga lateris mei nascetur sicut Eva de Adamo: Tibi dabo specialiter potestatem ad vitam admittendi æternam: in tua dispositione relinquam satisfactiones Sanctorum quæ illis non erunt necessariæ, utens cui velis, donec per indulgentias, & hæc potestas etiam ad successores transibit.

Et videte quomodo Christi impleta promissio. Dedit Petro Christus authoritatem, convocat primum Concilium Jerosolymis, & concludit; manet eadem in successoribus, ita ut contra eam nemo in materia fidei ac morum, vel in mente quid admittere velit, imò totius Orbis Concilia illi se submittant, & malint etiam vitam perdere quàm illi resistere: & hæc potestas in totum orbem se extendit. Plures quàm sexcenti erant

erant Patres in Concilio Calcedonensi Baron. an. 438. concluserunt quòd post Romanam alias Putriarchias deberet præcedere Constantinopolitana, & pro hac parte fuerunt Cæsares: contradixit Leo Papa, cesserunt omnes. Sic etiam alia Concilia, quæ non approbavit Petri successor, sunt nulla, ut, Ariminense, Africanum, Antiochenum, Constantinopolitanum, Mediolanense, Numidianum, Seleucense, Ephesinum secundum. Bozius de signis Ecclesiæ l. 5. cap. 8. Et ista potestas fuit, etiamsi Petri successores non fuerunt opulentissimi, & aliquando nec ætate, nec vitâ, nec doctrinâ graves, nec nobilitate illustres, & quidem fuit potestas in omnia regna etiam sub Ethnicorum sceptra sita, ut Bern. de Consideratione, lib. 1. dixerit. *Exeundum orbe illi est, qui fortè velit explorare, qui ad summi Pontificis curam non pertineant.* Cui Imperatorum pedes osculati sunt Reges id Petri successori fecerunt Cæsares Justinus, Justinianus, Carolus Magnus. Dixit equum sub Alexandro tertio, Papa Imperator Fridericus primus Venetiis sub Nicolao primo Ludovicus secundus Roma. Baron. an. 1155. & hos honores non armis, non bello obtinuerunt. Vivebant Pontifices in speluncis & carceribus, & modo eadem colebantur etiam in primitiva Ecclesia, honorabantur legationibus. Misit ad Eleuterium Rex Britanniæ Lucius, Fabianus Pont. in summo honore habitus à duobus Philippis Cæsaribus. Oppugnarunt hanc Petri authoritatem, primò Romani Cæsares, postea Orientis: Reges Herulorum, Ostrogothorum, Longobardorum; Saraceni manet integra; oppugnârunt ferro, igne, calamis, calumniis, bonorum spoliatione, morte, falsis conciliis, perfidiis; uniebantur contra illum etiam aliqui Episcopi cum Novitianis, Donatistis, Arianis, Priscellianistis, Nestorianis, Albingensibus, Hussitis, &c. Nihilominùs, ut dixit S. August. epist. 162. *Semper in Ecclesia Romana Apo-*

stolicæ

ſtolicæ Cathedræ viguit principatus. Quadrageſies Pontifices ejecti Româ, Boz. lib. 17. c. 6. cum uniore gloria ſemper rediere. Et hoc minus fuiſſet datum Petro, ſi omnes fuiſſent ſucceſſores verè ſancti, ſed fuerunt etiam aliqui, quales vide apud Bell. in præf. ad librum de Rom. Pontif. Nihilominùs in nulla Sede ut Sancti quos in Romana? in hac ſeptuaginta duo canonizati, ſaltem viginti, qui non niſi adacti hunc cathedram conſcenderunt. Triginta Antipapas in ſua poteſtate habuerunt, ita ullum morte affecerunt. Nullus cum Ethnicis propter quævis commoda junxit arma. Urbanus ſecundus graviſſimè à Græcis Schiſmaticis læſus; tamen pro illis contra Turcam movit Chriſtianitatem. Sed eſt mirum: Nullus etiam malorum Pontificum in doctrina fidei erravit, nemo docuit hæreſim, nullus unquam Hæreticus aſcendit cathedram, cùm alias conſcenderint.

Jam initia hujus fabricæ dederat Petrus, quando voluit facere tria tabernacula; ſed has curas ad Eccleſiam *tranſtulit*, quia ibi eſt permiſſus, fecit ut flumen, quod ſi loco uno clauſeris, erumpet alio: ita fundavit Sedem Antiochiæ, ſed ibi à DEO prohibitus illam continuare, ut ſcribit Marcellus Papa M. tranſtulit Romam. Hic rurſus Petrus eſt arbor vitæ, qui ejus fidem tenet, non perit: eſt enim Eccleſia quam regit Petrus arca Noë, ut ait S. Cypr. extra quam quiſquis eſt, diluvio mergitur. Chriſtus *verba vitæ æternæ habet.* Petrus per verba dat vitam dum ſolvit. Poteſtas Chriſti exprimitur per clavem, Apoc. 10. & Iſai. 22. *Dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus*, nam Chriſtus regnat in domo David: Cùm clavi Chriſtus vetitur, velum templi ſcinditur, & abſcondita fiunt palàm, latroni Paradiſus aperitur: clauditur infernus, oracula, & ficta miracula dæmonis. Habe fiduciam qui ſtas cum Petro. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. *Claves regni cælorum Petro conceſſit,*

totamque

totamque potestatem ei commisit. Epiph. in Amorato. *In ipso fundata est fides qui claves regni cœlorum accepit.* Primarium caput Ecclesiæ Christus, Vicarius Petrus ad Regimen visibile, publicum. Propter ea cùm numerant Evangelistæ Apostolos, loco primo ponunt Petrum. Petro ante omnes revelata Christi Divinitas, pro Petri fide oravit Christus. Petrus convocat Concilium ad substituendum Matthiam in locum Judæ; primus in Concilio dicit sententiam, Paulus cum Petro confert. Universim Concil. Ephes. cap. 6. *Petrus Apostolorum Princeps & caput, hujus Successor Papa Cœlestinus.* Concil. Chalced. in fine, Successorem Petri Leonem vocat, *Universalis Ecclesiæ caput.*

Sed jam à vitæ arbore ad arborem scientiæ, à clave ad gladium. Abraham obtinuit benedictionem, quia filium obtulit ad mortem. Paulus seipsum obtulit, 2. Cor. 12. *Ego libentissimè impendar, & superimpendar pro omnibus vobis.* Quæ benedictio Abrahæ? Pater gentium, Pauli, Doctor gentium, Pater in Spiritu. Arbor scientiæ. Sed si talis arbor, unde scientia? Petrus à DEO edoctus. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater cœlestis.* Et Paulus: *Non ab hominibus neque per homines accepi Evangelium.* Quomodo verò doceat, audi Greg. 18. Moral. *Prædicando vult omnia simul docere, non in uno loco sed in omnibus, triginta septem annis.* Neque solùm vivens sed etiam moriens, dum lac de collo ejus fluit, convertit carnificem. Sed quantus est Paulus, inde colligamus. Si quispiam Rex habet inimicos, contra alios suos mittit milites, sed contra unum in sua persona progreditur, certè iste videtur potentissimus: ita Christus contra Judæos misit Stephanum, contra alios misit alios, misit suos Apostolos, contra alios misit alios Duces, at dum hostis fuit Paulus, ipse in persona comparens, *Saule, Saule, quid me persequeris?* expostulat. Actor. 7. Nimirum talis fuit Paulus ut Abner Davidi, illo obtento, regnum obtinetur. Idcirco ut

Paulus nasceretur, cùm deleri debebat tota tribus Benjamin, reservati fuerunt viri sexcenti, Judic. 20. & ideò fuisse reservatos asserit Chrysost. Ex tribu Benjamin Paulus, antea filius doloris dum minas spiraret, postea filius dexteræ cum Christo accessit. Nactus hunc virum Christus ad cœlum tertium rapit, ut ipsemet edoceat, & edoctus adducat Gentilitatem. Et ut nascente Benjamin mortua ejus Mater: ita nascente Paulo occubuit Synagoga. Paulus didicit *arcana* DEI *verba*, quæ loqui non licet, quia ut August. 12. in Genesim, vidit DEI essentiam; & quia ipsemet vidit hunc thesaurum, plùs pro illo eruendo laboravit, quàm qui solùm de illo audierunt. Labores ejus quanti! In mari, in terra, in profundo maris, apud Judæos, Gentes, falsos fratres; in fame, siti, frigore, nuditate, ærumnis, carcere, vinculis.

Sed dum Petrum Christus in dignitate est collocaturus, videte de quo illum examinat; de charitate, *Petre amas me?* quia *qui charitatem non habet, prædicationis officium suscipere nequaquam debet*, ait Gregor. & qui amat DEUM, amat proximum. Duos elegit Dominus, *Petro credidit Evangelium Circumcisionis*, seu pro Judæis: Paulo pro Gentibus, ut utrumque angulum jungant, debent ipsi unum secum esse. Jerem. 1. *Vidit virgam vigilantem, & ollam succensam*, utrumque fuit in eodem cœlo. S. Maximus per virgam vult accipi sceptrum Petri, per ollam succensam Paulum spirantem minarum accepit Dominus, fecit virgam Moysi, & ut Num. 20. percussit petram Judæorum. Ollam succensam fecit *vas electionis.* Ambo se amant, & vitam deinceps ducunt similem. Petrus pugnat cum Simone Mago, Paulus cum Elima: Petrus castigat Ananiam & Saphiram, Paulus Corynthium incæstuosum. Paulus resistit Petro, nec Petrus illi dicit: tu es persecutus Ecclesiam DEI, ego cum Christo vixi. Petrus Filius Bar Jonæ, id est, Spiritûs S. Paulus, *Charitas*

DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. inhabitantem in nobis. Petrus totâ vitâ deplorat suum peccatum: de Paulo August. in verba Ps. 147. *Mittit crystallum suam sicut buccellas.* Sic ait: *Paulus durus, ut crystallus in aquam resolvitur, & fit in eo fons salientis aquæ in vitam æternam.* Christus ad fabricandam Ecclesiam accepit Petrum & Paulum sicut Moyses, Deuter. 32. Beseleem & Oliabum ad faciendum tabernaculum concordes: Oliab idem est quod *adjutorium Patris.* DEUS Pater dicit de Christo: *Hic est Filius meus*, adjuvat hunc Petrus, cùm dicit: *Tu es Filius DEI vivi.* Beseleel idem quod *in umbra DEUS.* Paulus dum fit per triduum cæcus, videt DEUM in hac sua umbra. Petro mutat Christus nomen Simonis in Petrum: Saulo in Paulum mutatur. Sed cur non altiora nomina? cur non Petro Caput, Princeps. Cur non Paulo: *Dedi te in lucem Gentium.* Utrumque continet æquè. Petre, memineris te esse petram. In petra nihil nascitur nisi per miraculum. Petra uti & terra tota pendet à meis tribus digitis. Petra ducit ex se venas ad Aquilonem, à quo omne malum, ad quem tendebat me negando. Supra talem te ædifico Ecclesiam; & tu Saule & Paulus, ultimò es ad Apostolatum vocatus, persecutus es DEI Ecclesiam, & natione Græcus non Judæus ex Palestina, ac proinde insititius. Quid Paulus ad hoc? Ita est, tum peccator: non solùm me ipsum pænitet, sed etiam alios à peccàto avocabo. Quid Petrus? Vera sunt omnia; sed in te tantò magis sperabo. Neque hoc solùm in vita faciam cum Paulo; nam Paulus post mortem venit ad Neronem, & scelera exprobravit. Petrus: *Dabo operam ut post mortem sim vestri memor.* Umbra Petri sanabat ægros, sanabant Pauli sudaria, &c.

Ut claudam hunc sermonem, petamus à Petro pabulum vitæ, à Paulo scientiam. Petrus est Præses nostri, id est Ecclesiæ. *Videte ne à vobis auferatur regnum DEI, & detur genti facienti*

fructus ejus. Non faciebat fructus Judæa, translatum in Orientem, inde in Occidentem, hunc hæreses occupárunt, transfertur in Indias, Isai. 1. *Derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea,* dum hyems venit, *& sicut tugurium in cucumerario.* Joan. 5. *Est Moyses qui accusat eos.* Et nos fortè accusant SS. Patroni, itane vivitis ut nos docuimus? Meminerimus nos, monet S. Paulus, esse oleastros, sylvestres arbores, si melioribus non pepercit, non indulgeamus nobis. Heb. 7. *Terra crebro venientem super se bibens imbrem, & non proferens fructus, maledictioni obnoxia,* &c.

In Visitatione B. M. Virginis.

CONCIO. I.

Unde hoc mihi, ut Mater Domini veniat ad me? Lucæ 2.

POstquam Angelus in Annunciatione absolvit suam legationem, *discessit* à S. Virgine obstupefactus; quia vidit quòd nunquam ipsi hactenus videre contigit, ut Euseb. in 1. Luc. *propter plenitudinem virtutis.* Beda in Visit. explicat, propter plenitudinem *humilitatis.* Quæ, ut Chrysost. homil. 23. in 2. Cor. sicut Abraham, *quoniam* Genes. 18. *Non habuit peccata quæ diceret; sed undique bonis operibus fulgebat, circumcursans & nihil contra se inveniens, ad naturam ipsam confugit, & quoniam nomen terræ videtur quodammodo honestum esse, cineris addidit.* Hæc verò addidit *Ancillæ*, quod est plus. Cinerem esse non est quid ignobile, at verò ancillam, est personam libertate spoliatam hoc probat reipsâ cùm hodie vadit ut Elisabethæ serviat. Subsistamus in hoc spectaculo, ad cujus nomen obstupuit Angelus, & simul fructus ejus contemplemur. Ve-

Venit ad Elisabetham Mater DEI ministrare. Mater, quæ ut Epiph. de laud. Virg. *donorum antenuptialium nomine accepit Spiritum S. dotis verò gratiâ cœlum cum Paradiso.* Jam est illius Spiritus S. potest de illo disponere. Bernardin. *In omnes temporales missiones Spiritûs S. potestatem accepit*; habet enim potestatem naturalem in Filium ut Mater, à Filio verò Spiritus S. procedit missione æterna, itaque potestatem accepit etiam ad mittendum illum in suis donis, & hanc communicare potest, sicut & Filius communicavit cùm insufflans in Apostolos dedit eis potestatem, ut acciperent & darent aliis Spiritum S. hanc habet Mater certo modo, quia decebat Matrem omnia quæ sunt Filii communicabilia, jure maternitatis possidere. Hic eget dono remissionis peccatorum, ille linguarum munere; iste Spiritu sapientiæ, aut consilii, aut scientiæ; alter timoris, fortitudinis, aut pietatis; ille dono gubernandi, aut prophetiæ; alius opitulationum aut sanitatum. In has omnes & reliquas missiones temporales, quæ sine Spiritu S. expediri non possunt, Virgo S. potestatem accepit, ut det cui velit. *Accepit dotis gratiâ Paradisum*, jam illum antè habuit ob suam sanctitatem, sed ut det cui velit; nemo enim, ut ait S. Germ. salvatur nisi per illam. Ita dotata Virgo domum Zachariæ ingreditur, sed velut cythara David, quæ dum sonat Spiritus malus abit à Saule, abivit peccatum originale à Joanne, & statim non expectatâ circumcisione vel Baptismo nostro sanctificatur, ubi enim arca collocatur, Dagoni rumpitur caput, & manus, & pedes, & in lumen projiciuntur, ut ea conculcent omnes: propterea Bonav. in Psalterio vocat Virginem S. *finem iræ DEI*, quia *labia* ejus *sicut vitta coccinea.* Ferebat originale sicut hostis captâ civitate, sed ubi vittam coccineam advertit in domo Rahab, ibi stetit suum furorem; dum alii peccato originali obruuntur, Joannes ab illo factus liber, *exultavit infans in utero.*

Tanti momenti res est à peccato eripi; sed tanti etiam est Christo, ut reducat sibi donum à Patre datum, si quis convertatur. De his dicit Joann. 17. *Pater quos dedisti mihi*, utique emit istos suo sanguine, quia tamen sunt eo usi, ita gratum est, ac si Pater dedisset donum, quid de illis fiet, qui alios in peccata inducunt? S. Germ. *Nullus qui salvus fiat nisi per te ô Virgo sanctissima, nemo est qui liberetur à malis nisi per te ô purissima.* Debuit sanctificationi Joanni adesse Virgo S. quia, ut Richard. à S. Laurent. *Dies non potest esse, nisi præcesserit aurora.* Jacuisset in tenebris Joannes, nisi hæc fuisset orta aurora. Christus nobis omnia promeruit, sed ad hoc Virgo S. concurrit. Pugnant duo, uni quispiam arma suggerit, quibus vincat, vincit; qui arma suggessit, nonne ad victoriam concurrit? Pugnavit Christus cum antiquo serpente; sed quibus armis illum vicit, nonne carne quam à Virgine S. accepit? Nisi mortuus fuisset non profuisset nobis: nisi homo fuisset, mori non potuisset. Rursus, offertur victima pro peccato, nonne qui illam dedit, particeps est sacrificii? Dedit DEUS Pater Filium in mortem, sed etiam dedit S. Mater, nam & hæc jus in illum habuit, atque inde infert S. Antonin. *Quod dicitur de Patre æterno, idem dici potest de Matre.* Roman. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Inde Basil. Seleucus illam salutat. *Ave inter DEUM & hominem Mediatrix intercedens.* Hoc illi collatum est ut sit Mediatrix post Christum, sed altiori modo quàm fuit Moyses. Inde Græci in Menæis vocant illam *vehiculum Divinitatis*, quòd ad nos DEUM vehat. Bern. *Aquæ ductum* quòd per illam in nos fluat gratia. Hinc Idiota: *Inventâ Mariâ invenitur omne bonum.* Vis ex mortis periculo eripi & ad honorem quo & fortè spoliatus restitui? Recurre ad Virginem S. Gen. 40 Fuerant duo cum Josepho conjecti in carcerem, sed qui somniavit se vitem videri, liberatus est. Ita valuit sola B. Virignis figura; nam illa de

de ſe, Eccl. 24. *Ego quaſi vitis fructificavi.* Volumus à nobis hoſtem avertere; id per S. Virginem efficiemus. Iſai. 10. Iratus DEUS populo minatur illis Aſſyrios. *Aſſur virga & baculus furoris mei mittam te contra populum*, &c. *ponam in conculcationem.* Nihil factum eſt mali populo. Quare? Rupertns dat cauſam, quia ſtatim ibid. ſequitur. *Egredietur virga de radice Jeſſe*, &c. *Quàm pulchra oppoſitio*, ait idem Rupert. lib. 2. cap. in Iſai. *Supra oſtendebatur Virga furoris, ecce autem virga gratiæ!* Hæc eſt virga Moyſis cui nomen DEI inſcriptum, cùm eſt utero clauſum: hâc virgâ merſus eſt populum inſequens Pharao. Volumus in paupertate ſubſidium? Illa eſt quæ dedit tantum pecuniæ Sacerdoti Polono, de quo Lubinius in vitis Epp. Plocen. ut ſtudia abſolverit, & ad Epiſcopatum Plocenſem pervenerit. Quia ſicut omnia mala ex eo, quia perdidit pro nobis Eva gratiam; ita cùm illam Virgo amiſſam reperit, omnia redeunt bona. Unde Angelus in Annunt. non dixit Acquiſiviſti gratiam, ſed inveniſti quòd rebus amiſſis convenit. Aug. apud Ludolphum, cap. 5. *Gratiam Eva perdidit: Maria invenit, non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro nobis.* Hinc & ipſa hodie: *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Magna, quia magnum damnum reparo. *Qui potens eſt fecit potentiam in brachio ſuo*, quia hoc opus eſt magnæ potentiæ; quia magnæ potentiæ eſt facere ex peccatore juſtum. Det enim DEUS alicui poteſtatem reſuſcitandi mortuos, det creandi cœlum, nondum talis poterat juſtificare peccatorem; at Virgo S. invenit pro peccatoribus.

Sed cur, cum tanta & poſſet & ſoleat facere S. Virgo, nos ſæpè ad ſe clamantes non exaudit? Tres hujus rei cauſas invenio. 1. Quia ipſi nolumus ab ea juvari, ut ſi quis incidiſſet in puteum, & alter illi funem demittat, per quam illum extrahat, ille funem rejiciat. Rejicimus ejus auxilia, nolumus ea arripere, ut de peccato exeamus, monet, aufert ſocios malo-

rum,

rum, alios quærimus. 2. Quia preces tales offerimus, quas non est dignum ut respiciat. Sicut si in lance sordidâ cibos alicui offerres: tale os, tale cor nostrum, imò amplius, ita agimus. Ut si quis occideret, & cruentis manibus ex cæde oraret Matrem ejus, da mihi hæreditatem. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.* Visitare solebat quendam, ut scribit Baron. Sanctum B. Virgo, ille à socio accepit mutuò librum, cui adjunctus erat, liber Nestorii hæretici, venit pro more Virgo S. sed cellam intrare noluit, miratur vir S. At illa. *Habes inimicum meum in cella sua.* Fovet hæreticos, favet blasphemantibus Filium meum atque me Judæis, retinet blasphemos, impudicos, usurarios, &c. ejiciamus illos ex domo nostra; visitabit nos S. Virgo. Greg. lib. I. epist. 47. *Pone finem in voluntate peccandi, & invenies Mariam indubitanter promitto, promptiorem carnali Matre, ac mitiorem in tui dilectione.* Tertia causa. Quia petimus quæ nobis sunt noxia. Ita petiit, ut est apud Baron. Daniel Eremita pro lapicida Eulogio, quem ex suo labore dare videbat pauperibus opes majores à B. Virgine, ut tantò plura haberet quæ largiretur. Promisit B. Virgo, dum sponderet Daniel Eulogium benè illis usurum. Spopondit; Lapides secando Eulogius invenit thesauros; sed statim comparat equos, &c. Fit apud Cæsarem aulicus superbus, pauperum hostis. Venit S. Virgo ad Danielem; redde mihi Eulogium. Laborat circa Eulogium Eremita, sed frustra. Demum orat, ut ad pristinam redeat paupertatem, & impetrat; & tum Eulogius redit ad lapides & ad virtutes. Orant opes multi: sed quid fieret, si obtinerent, modò egent, & inebriantur, & luxuriantur, &c. Orant honores, &c.

De Eadem. CONCIO II.

Magnificat anima mea Dominum. Lucæ 2.

DIfficile intellectu, quomodo possit magnificari, seu magnus fieri à creatura DEUS: propterea ad Patres confugio, ut explicent. Origen. homil. 8. in Luc. *Cùm grandem fecero animam meam quæ est imago DEI, tum in me DEVS magnificatur: decrescit nobis Dominus in nostra imagine, cùm peccatores fuerimus.* Idem sensus Ambros. in Luc. 1. Theophilact. verò *Magnificat DEVM qui ex rerum creatarum magnitudine Opificem contemplatur.* In summa ille magnificat DEUM, qui illum seu illius attributa maximè exprimit, quod B. Virgo quomodo fecerit, videamus.

Sit primò DEI potentia. *Fecit mihi magna qui potens est.* DEUS prout vult creare, naturas mutat. Aqua sub pedibus Petri non cedit. Pueros Babilonios ignis non urit. Idem est circa nostram salutem. S. Ægyd. Minorita. *Nulla est tam nodosa arbor quæ non possit arte fabrorum plana fieri: ita nullus tam flagitiosus peccator, quem non possit DEVS ornare gratiâ suâ.* B. Virgo hoc attributum hodie expressit. Adventu suo Joannem ab originali liberavit, in eodem usum rationalis acceleravit. Intellectum Elisabethæ ad cognoscendum Incarnationis mysterium elevavit. *Vnde mihi hoc ut Dominus meus veniat ad me?* Joanni robur dedit ut exultaret, & se verteret facie ad Dominum, cùm aliàs in utero infantes respiciant dorsum Matris. Exhibet & modò potentiam in tot miraculis, in tot conversionibus peccatorum. Alterum est DEI attributum Sanctitas, *& sanctum nomen ejus.* Sanctitatem definit Dyonis. de Divin. Nomin. cap. 12. *Sanctitas est ab omni labe immunis & omninò perfecta, & immaculata munditia.* S. Virgo immaculatè concepta, nullo deinde se peccato infecit,

& gratiam semper auxit etiam in somno. Bernardin. tomo 1. serm. 61. *B. Virgo magis in contemplatione DEI excelluit dormiendo, quàm alius aliquis vigilando.* Sanctitatem aliis afflabat. Repletus est ejus adventu Zacharias Spiritu S. ac donis ejus. Specialiter omnibus afflabat castitatem. Ambr. de Institut. Virg. cap. 7. *Tanta erat Mariæ gratia, ut non solùm in se Virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret, integritatis insigne conferret.* Non metuebat illi Joseph dum simul irent in Ægyptum, nec petebat ut Abraham à Sara, Genes. 12. *Dic quòd soror mea sis*, &c. Simon de Cassia, libro 2. cap. 22. *Non poterat immundè conspici*; sicut lilium inter spinas, aliæ mulieres *spinæ sunt aliis; quia ex eorum intuitu concupiscentiâ punguntur*, ait Richel. in Cant. 2. s. 2. Monet Isai. cap. 8. *Dominum DEUM exercituum ipsum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem.* Sed etiam Romualdus Abbas cavet, *Meliùs unum Psalmum puro corde, quàm centum impuro dicere.* Hoc applico præsenti rei.

Tertium attributum DEI, est misericordia. *Misericordia ejus à progenie in progeniem.* Cur DEUS nobis benefacit? S. Leo serm. 1. de jejunio mensis Decimi. *Tota ratio ob quam nobis DEUS benefacit, est misericordia ejus.* Expressit hoc attributum S. Virgo. Festinavit ut benefaceret Joanni, dedit sapieentiam quam deinceps exhibuit; dedit donum prædicandi, amorem vitæ eremiticæ, zelum DEI. Genes. 1. *Fecit DEUS duo luminaria*, &c. Hugo in hunc locum. *Majus luminare est Christus, qui præest diei, id est justis: luminare minus est Maria quæ præest peccatoribus.* Misericordia versatur circa miseros, quid miseriùs peccatore? Luna est B. Virgo, quia celerrimè inter omnes planetas currit ad succurrendum. *Pulchra ut Luna.* Sed cur pulchra Luna? Hildebertus epist. 16. *Quia pulchrum est benefacere vel indignis.* Eadem S. Virgo amicta Sole. August. libro de Symbolo. *Mulier amicta Sole est Virgo, quæ DEUM peperit & quotidie parit in mentibus humanis*

humanis suarum precum interventu. Sed videte, hæc misericordia facta est in domo Zachariæ. Hugo Cardin. *Qui extrà vagantur indigni sunt salutatione Mariæ.* Opus est esse in Ecclesia. Origen. hom. 7. in Ezech. *Si quos viderimus homines mansuetos, castos, & benè exteriori conversatione compositos; sed aliunde Hæresum* (aut Judaismi) *defensores: intelligamus illo externo cultu morum & virtutis, idola figmentorum suorum ornâsse, ut vestitu ovium rapinam luporum interiorum operuisse.* Tales in domo Zachariæ non sunt.

Quartum attributum DEI est justitia. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* In hoc est justitia, ut reddatur cuique quod suum est. *Qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.* Scribit S. Antonin. pag. 2. tit. 3. cap. 3. Tyrannus quidam jussit ex hymno *Magnificat* eradi verba, *Deposuit potentes*, &c. Ivit ad balneum, deposuit vestes, has Angelus assumpsit & figuram sibi Tyranno similem aptavit, venit ad famulitium, pro Domino est receptus. Tyrannus verò desertus ab omnibus, coactus sine veste ad aulam venire, sed ab omnibus explosus, tandem pœnitenti reddidit Angelus vestes, additâ monitione; Ita DEUS confundit superbos. S. Virgo expressit justitiam DEI. Justum erat DEO laudes reddere; reddidit. Justum erat serpentis, qui primos Parentes deceperat conterere caput, contrivit dum in Joanne ut à peccato originali exolveretur, effecit. Hæc est Judith quæ caput Holoferni amputavit; hæc Jahel quæ Sisaram occidit. Quintum attributum DEI, non statim vindictam exercet; sed est longanimis. Mansit B. Virgo serviens Elisabethæ, quasi tribus mensibus. Orig. hom. 9. in Luc. *Per tres menses ungebatur Joannes, & præparabatur in Matris utero.* Expectabat ut velut Rebecca impetraret benedictionem Joanni, sicut Judith animavit Betulienses ad sustinendam obsidionem.

Non allego alia DEI attributa sive proprietates, quæ

ſunt infinities plures quàm in Sole radii. Quid enim eſt DEUS? Nyſſen. orat. 7. de beatitud. *Quomodo id definiam, quod neque auribus percipi, neque oculis cerni, neque mente animovè comprehendi poteſt?* Eſt quid incomprehenſibile, eſt mare perfectionum infinitum. Ex hoc mari noſtræ virtutes, ut guttæ in foſſiolas alias fluunt. ſed in B. Virginem, ut in aliud mare; ideò illa ſupra omnes expreſſit DEUM atque adeò magnificavit. Acclamemus illi cum Eliſabetha. *Benedicta tu in mulieribus, completa ſunt in te quæ dicta ſunt à Domino.*. Viſita & nos, & ſicut Joannem ab originali: ita nos ab actualibus tuâ interceſſione libera, & velut Eliſabetham imple Spiritu S.

In feſto S. Bonaventuræ. CONCIO.

Qui fecerit & docuerit, &c. Matt. 5.

QUoties S. Bonaventuram vidit Alexander Alenſis, quem omnes vocant Doctorem irrefragabilem, toties dicebat Joan. *Hic eſt verus Iſraëlita.* Jacob, Geneſ. 38. luctabatur cum Angelo qui referebat DEUM, nec voluit dimittere eum, donec illi daret benedictionem, & vocavit eum Iſraël, inde Iſraëlitæ. Videamus quas benedictiones dederit huic Sancto.

Sicut in terris non omnia in omni regione naſcuntur; ita in Eccleſia, alius interpres Scripturæ, alius Propheta, Concionator, &c. Sed Sancto data ea benedictio, ut omnia protulerit. Quare meritò *magnus vocabitur*, fecit & docuit. Sicut artificium quomodo id poſſet obtinere, acceſſit fontem æternum, de quo omnia profluunt. Acceſſit illum S. Thomas, quærit unde habeat tantam ſcientiam, oſtendit paucos libros, ille miratus; addidit Sanctus, ſuam bibliothecam eſſe Chriſtum crucifixum. Hic eſt fons, Col. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapien-*

ſapientiæ & ſcientiæ DEI abſconditi, Et quia totum ex latere Crucifixi habuit, meruit vocari Doctor Seraphicus. Cauſam dat Gerſon. *Quia inflammat affectum, & illuminat intellectum.* Hoc figurabat templum ſapientiſſimi Salomonis, ad quod aſcendebatur per gradus quindecim, de quo Gregor. in Proœm. ſexti Pſal. Pænit. *Numerus iſte in ſeptem & octo dividitur, & ideò per eum gemina Sanctorum vita deſignatur, activa & contemplativa. Hinc Salomon ait* Eccl. 17. *Da mihi Domine partes ſeptem, nec non & octo.* Hæc fuit ſcientia Sancti. Participant omnes creaturæ de DEO, aliæ eſſe, aliæ moveri, vivere, intelligere; ſed altiſſima participatio ſecundùm ſapientiam, quia Chriſtus eſt Patris ſapientia, proinde hoc eſt Chriſtum induere: de ſapientia vera loquor, qualem hic Sanctus habuit. Sed quare Sanctus pro Bibliotheca elegit Crucifixum, non natum, &c. Quia in Apoc. nemo poterat aperire librum niſi Agnus ab origine mundi occiſus. Inde fluxit hæc ſapientia: in Cruce fecit & docuit. Non eſt miles Joſue, Jud. 7. qui ſolùm aquam linguâ lambit, in ore ſolùm ſanctitas, ſed qui manu. Pſal. 49. *Exaltationes DEI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* S. Th. p. 1. q. 23. art. 8. *Prædeſtinatis curandum eſt ad benè operandum & orandum; quia per ejuſmodi prædeſtinationis effectus impletur.* Sic docetur ſapientia Sanctorum, ſi facias ipſe. Oves Jacobi ex ea colorem accipiebant quod videbant. Aſpiciebat Sanctus Crucifixum, & faciebat ſicut ille. Et qui alios docet, ipſe proficit. Nazianz. orat. 2. in Paſcha. *Doctrina & inſtitutio ejus qui alios alit, cibus & alimentum eſt.* Sed cibus ſpiritualis non convertitur in alitum, ſed qui illum edit convertitur aliquo modo in cibum; ſic Bonaventura in Chriſtum. Et ita Sanctus *vocabitur magnus.* Vixit pauper, ex humilitate abſtinuit à Miſſa; ſed Chriſtus miſit ad illum partem hoſtiæ, dum audiret Miſſam. Habemus unde humiliemur. Paulus de ſe, 1. Cor. 19. *Ego ſum minimus Apoſto-*

lorum. Salomon Prov. 30. *Stultissimus sum virorum.* David Psal. 21. *Vermis & non homo, opprobrium hominum*: si isti, quid nos? Cant. 6. *Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala Punica.* Multa erant in horto nobiliora, à viliori appellat *Hortum nucum*: quia Sancti non attendunt ad bona quæ fecerunt, sed solùm ad mala, & inde se humiliant. 1. Cor. 4. *Nos autem tanquam purgamenta hujus mundi.* Et tamen multa bona fecerat Paulus. Hoc totum procedebat ex intuitu Crucifixi. Gregor. libro 4. epistola 36. *Quanta humilitas virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem mortis factus est parvus? &c. Quid nos dicimus qui honoris locum ex Redemptoris nostri humilitate suscepimus, & tamen superbiam ipsius hostis imitamur?* Quia dum homo contemplatur eum qui crucifixus, id illi evenit, quod Gregor. 27. Moral. 25. dixit. Homo *si loqui de DEO cœperit, illicò quàm sit nihil ostenditur: quia magnitudinis illius immensitate devoratur, & quasi in profundum raptus absconditur.*

Ampliùs Sanctum implevit Christus benedictionibus. Post annos triginta à morte Sancti, dum ejus corpus transferrent in novum templum, invenerunt os, caput & cor Sancti recentissima; per quod DEUS ostendit ejus caput, sapientiam incorruptibilem, quâ gubernando suum Ordinem reduxit ad primum vigorem; cor incorruptum & os, quia Divino amore perusta. Quare Sixtus IV. in Bulla ejus Canonizationis dixit, quòd Spiritus S. per illum loquebatur. Quiá, ut dicit de illo Innoc. V. nemo veniebat ad illum, etiam pessimus quin redderetur melior; nemo illum audiebat quin acceptaret illius admonitiones, ut Seraphinus ubique accendebat ignem. Græcos reduxit ad obedientiam Romanæ Sedis. Quare qui habent talentum dicendi, non sileant. Bernard. serm. 36. in Cantic. *Si tacuero, os meum condemnat me.* Sed simul agant benè: ibid.

Quodsi

Quodsi loquar, profectò vereor idem judicium, ne loquentem videat, & non facientem, identidem os meum condemnat me, &c. An non responsum mortis & damnationis in seipso habebit, quoties in mentem venerit sermo quem dixit DEUS; quia servus sciens voluntatem Domini sui & non faciens vapulabit multis? Meminerint etiam Auditores, quòd dixit Gregor. homil. 12. in Ezech. *Aliquando propter malos Auditores datur sermo Doctoribus etiam malis.* Magnus in regno cœlorum Bonaventura, quia fecit & docuit; potest id quilibet in domo sua præstare. Denique ut idem ibid. *Quia nobis cuncta de meritis nostris incerta sunt, unam humilitatem teneamus.* Vitemus verò scandalum tam verbo quàm opere: quia si magnus est in cœlo, qui bona facit & docet, nec parvus erit in inferno, qui mala facit & docet.

In Festo S. Margaritæ Virg. & Mart.
CONCIO.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti. Matth. 13.

AN nos cœlum magis desideret & quærat, an verò è contra, inde judicemus. Invitavit ad se cœlum, cœperunt se omnes excusare; alius, *emi juga boum*, &c. Venit ergo ad nos Dominus cœli, ecce *manducat cum peccatoribus*, &c. Neque hoc placuit, *murmurabant de hoc Pharisæi.* Loquebatur de regno DEI illud commendans, negligebatur: Ipse ergo descendit in specie negotiatoris tanquam ad margaritas, sed solùm *inventa una*, & hæc est hodierna Sancta, de hac loquar quòd una.

Quòd Sanctam appellem unam, non ideò derogo aliis, sed

ſed & illi dico quòd fuerint una margarita, & hæc una inter millia non margaritarum, ſed lapidum luti, &c. in urbe Antiochena. Ideò verò dicitur una, quia *omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JESV CHRISTI.* Illa una non ſua quærebat, ſed quæ Chriſti.; quia inprimis Virgo fuit. *Mulier quærit quomodo placeat viro ſuo: Virgo quomodo placeat Chriſto.* Patet hoc in Elia Virgine qui etiam ideò curru igneo raptus in Paradiſum; oportebat impios fame puniri, etiam ipſe vult famem ſuſtinere, dum ſatisfiat DEO. Iſte enim loquitur apud Chryſoſt. hom. 1. de Elia. *Non ingratum eſt quòd fame crucior, tantùm ut impios puniri videam.* Non curo me ut Jonas, nec meum nomen, prædicabo famem impiis, etſi interim DEUS illis miſereatur, & ego pro falſo habear Propheta, ſive, ut loquitur Baſil. Seleu. orat. 12. *DEVS flectetur, & ego mendax vates inveniar.* Flectitur DEUS & illum ipſum mittit ad Regem Achab, ut annunciet futuram pluviam, non ſolùm vadit, ſed etiam jubet proſpicere puerum, an jam nubes pluvioſæ conſurgant. Virgo quærit, *quomodo plateat Chriſto.* Ita Sancta non reſpicit Parentes, propinquos, S. Ephrem. ſerm. de margarita. *Margarita eſt lapis ex carnibus genitus*, genita ex Parentibus, ſed eorum non meminit ut lapis, non movetur eorum precibus & lacrymis ut lapis, ſoli curat placere Chriſto. Nata Patre ſummo Sacerdote idolorum, edocta fidem à nutrice, baptiſatur occultè ſeptennis vel octennis, & ſimul emittit votum caſtitatis, nata ex carne ſed lapis, manet deinde in hoc voto firma ut lapis, periit ovicula Chriſto, quia jam hanc herbam, jam illam ſectata, donec ita receſſiſſet, ut ampliùs Paſtorem videre non poſſet, & quò magis deinde progreſſa, magis erravit. At Margarita lapis manet loco eodem, velut lapis non quærit paſtum ſæculi, quaſi non viveret, quaſi nullos haberet ſenſus, ſolum eſt, ut per hoc placeat DEO qui Moyſi petenti ſe quis eſſet, reſpondit illi. *Ego ſum*

ſum qui ſum, qui eſt miſit me ad te. Ita dices Pharaoni. Intellexit impius pater Margaritam factam eſſe Chriſtianam, flagellavit, necem intentavit, & perfeciſſet niſi mater diſſuaſiſſet. Mortua interim mater; ferox pater Filiam in propoſito ſtabilem domo ferè nudam ejicit; ſed unio non eget ornamentis, ipſe ornat cætera, & ipſe per ſe pulcher. Ejecta quò ſe vertat? quò Princeps Virginum Elias, in deſertum. Vadit ad domum illius ſuæ ſed pauperrimæ nutricis, quæ nec ſuo victui ſufficiebat, neque domi Virginem S. ut haberet, tutum erat. Committit ergo ei aliquot, quas habuit, paſcendas oviculas, & jam eremitam agere docet procul ab omnibus. O quæ mutatio! Pro annulo ſumit baculum; pro ſerico vetus linteum. Vadit Virgo, & ſoli curat placere Chriſto; antea ovicula, nunc Paſtorcula; antea in palatio, nunc in ſylva: antea in cibis deliciosis, nunc ut Elias in pane ſubcinericio. Perge & age ut maxima pœnitens, quæ es maxima innocens; jaceat pauliſper margarita in ſterquilinio, non perdet pretium.

Margarita una quia ſola. *Porro unum eſt neceſſarium*, unum quærit, & ſolùm quomodo Chriſto placeat. Ex rore naſcitur margarita ut Ephrem. l. 1. Naſcebatur ibi & creſcebat Chriſto dum ad perfectam plenitudinem perveniret, quantus ros in illam gratiarum DEI fluebat, quantus lachrymarum ab oculis depluebat. Cœli influxus perficiunt Margaritam, ferebatur Spiritus ſuper iſtas lacrymarum aquas & fœcunditatem illis dabat. Duravit hæc vita Sanctæ annis aliquot, donec jam nubilis fieret. Tranſiverat fortè Olibrius perſecutor Chriſtianorum, advertit non paſtorculam, ſed margaritam; jejunia & egeſtas non minuerant, ſed auxerant formam. Margarita etiam ſine auro placet, & placuit ut eam ſuo thalamo vellet inſerere Olybrius; ſed priùs quærit nomen, illa profert ſe eſſe Margaritam, & videt nomen conſonare faciei: deinde petit,

quo ſit patre nata? ait, Summo Deorum Sacerdote Antiocheno Aedeſio. Subdit Olybrius, an patrem ſequatur in Deorum cultu? Hoc illa pernegat, ſuadet argumentis, adjicit minas, ſed in lapidem incidit, frangi poteſt, flecti non poteſt; ergo minatur frangere, & intentat mortem, deſiderat hanc ipſam Margarita. Nam ut Iſidorus ſcripſit, longè purior fit margarita, ſi à columba devoretur. Incitat Virgo Olybrium ad iram, ne ſi blanda videretur, etiam à virginitate crederet poſſe avocari. Tutior puellis ira virorum quàm amor. Una eſt Margarita. Pſ. 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Veni cœleſtis negotiator accipe hanc margaritam, una ſum, ait, non eſt ullus qui me adjuvet. Projecta eſt in carcerem, inde educta invenit & præmia ſi negaret Chriſtum, & pœnas ſi affirmaret. Sed *una uni* eligit pœnas. Primò ut inverecundia puniretur, nuda producitur, hic Elia Princeps Virginum demitte pallium, quod Eliſæo demiſiſti, ſed & verecundia teget, & impudicorum obtenebrabit oculos; ſed jam video tegi purpurâ, nam ita flagellis conciſa ut ſit unus ſanguis, unum vulnus. Parum hoc, laceratur, deinde ferreis laminis concluſa, & clavis affixa, ferreis laniata fuſcinis, ac ſic in obſcurum redacta carcerem; & jam eſt altera veſtis, partes corporis avulſi, dependentes. Uritur deinde laminis candentibus, ac projicitur in aquam, *ut per ignem & aquam tranſeat in refrigerium.* Recluditur iterum in carcere, ubi antea venerat ad eam dæmon in ſpecie draconis ingentis veluti illam devoraturus. Sed columbæ hæc margarita debetur, quæ ſupra illius aquas lachrymarum ferebatur, quæ illam etiam ſanat, pellit dæmonem ſigno Crucis. Vertitur coluber tortuoſus, & ubi non proceſſit aperta vis, ad dolos ſe convertit. Aſſumit Eremitæ Chriſtiani ſpeciem, ſuadet ut fide Chriſti interim diſſimulatâ, conſentiat in matrimonium Olybrii,

multa

multa ex hoc ſecutura bona, poſſe fieri ut ejus prudentiâ etiam ipſe Olybrius fidem ſuſcipiat, perſecutio ceſſet, ipſa dives facta multis egenis ſuccurrat, advertit Virgo S. dolos, rejicit dæmonem, & in Chriſti confeſſione ſe confirmat, & Olybrius irâ & deſperatione victus, profert ſententiam capitis in Virginem, quam cœleſtis Negotiator ut ſuam Margaritam in theſauro ſuo reponit.

In feſto S. Mariæ Magdalenæ. CONCIO I.

Vides hanc mulierem. Lucæ 7.

QUI audit quòd mulier, quod in civitate peccatrix modicam poteſt de ſanctitate Magdalenæ concipere opinionem. Mulier appellatur quæcunque fœmina, peccatrix jam illa quæ ad ſummum venit peccatorum. Ita Ariſtoteles ſummus in Philoſophia vocatur Philoſophus; Cicero Orator; Paulus Apoſtolus, &c. Sed qui cum Chryſol. ſerm. 93. conſiderat ejus lacrymas, dicere debet: *Mutatur rerum ordo, pluviam cœlum terræ dat ſemper, ecce nunc rigat terra cœlum, imò ſuper cœlos usq; ad ipſum DEUM imber humanarum proſiliit lacrymarum.* Rigat cœlum, ut in eo creſcant Sancti; ad Dominum pervenit imber, ut ipſi creſcat gloria. Et ita crevit, ut quæ antea non dicebatur Maria, nomen ipſo Domino mutante acquirit novum, ſit Maria. Ita enim Modeſtus Archiep. Jeroſol. apud Photium, *Maria de nomine nuncupatur*, in quo ſanctitas ejus converſæ exprimitur, de qua dicere conſtitui.

Sicut per receſſum à DEO conſtituitur peccator: ita Sancitas eſt maximè accedit ad DEUM, nullus verò major acceſſus eſt quàm cùm ſeipſum contemnit homo, DEUM ſummè amat Magdalena *dilexit multùm*; & hæc duo præſtitit. Lazarus

& Martha fecerunt convivium Christo in domo sui affinis. Nam Niceph. vocat Simonem Patrem Lazari propter affinitatem aliquam, certè non fuit Pater, aderant multi, quid Magdalena? August. serm. 14. de temp. cap. 6. *Non mensam invado, sed micas quæro.* Veluti caniculus, & projicit se sub mensam, pedes lambit Domini. Si parum est sub specie caniculi ad DEUM redire, audite ampliùs. Cogitavit Christum suum sponsum, & se ab eo delapsam in adulterium, hoc enim habet peccatum. Cogitavit non solùm seipsam id mali fecisse, verùm etiam illius charos occidisse. Prov. 7. dicit ejusmodi mulier, *intexui funibus lectulum meum.* LXX. legunt, *intexui institis*, qualibus ligabantur pedes & manus mortuorum, ut patet ex historia Lazari, Joan. 11. Plus est, DEUS mihi animam meam commisit tanquam castrum ad custodiam, prodidi hostibus. Quid agam? Modò plurimi hospites sunt apud Dominum, sunt mei affines, noti, confusio magna erit, procidam ad pedes ejus, si me ab illis rejecerit sustinebo, amplectar nec me avelli sinam, fortè veniam tanto sceleri dabit. Effundam per lacrymas cor meum, agam ut Moyses sacrificaturus Domino. Exod. 10. *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis ungula.* Nihil celabo, nihil occultabo, quæ feci in occulto in conspectu Solis hujus proferam. Scio contra me latam sententiam, Ezechiel. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Scio latroni qui sæpè ad idem crimen rediit non solere ignosci; sed scio etiam, Thren. 3. *Non defecerunt miserationes ejus.* Scio non expectatum esse cum aliis per annum, imò nec mensem, nec diem; sed cùm me tamdiu expectaverit, expectavit ut pœnitenti faceret misericordiam. Læsi DEUM, me tamen defendit ab hoste, jure me posset occidere, an adhuc hostis partes contra illum tenebo? An dæmoni contra illum militabo? O non sit! procedam, deprecabor. Et dum procedit, fortè id illi accidit, aut

quid

quid simile quod scribit Godescalcus Scalea. Quædam mulier lebat se comere, pingere; vocat pro more famulam, ut in hoc præstet illi obsequium, accurrit dæmon specie famulæ, vestit, ornat, pingit, sed sicut dæmon facit unum monstrum; in fine dat speculum, ut se conspiciat qualis sit. Drogo, *Fecisti de corpore tuo D. JESV speculum animæ meæ.* Hinc Magdalena conspecto Domino, ut in speculo videt suam turpitudinem. Tum primò intra se incipit gemere, quid feci, quid feci? Ego stulta hactenus domum mihi fabricabam in inferno. Hostem intra me admisi apertis sensuum portis. Arcam fœderis, ejectis legis tabulis, feci hospitium dæmonum. Quid feci? Quid agam? Psal. 55. *Pro nihilo salvos facies illos.* Redigam me in nihil, illius proprium opus facere aliquid de nihilo. *Adam ubi es?* Magdalena ubi es? Sed saltem Adam post peccatum audivit monentis vocem, ego tot instinctus sprevi. *Surgam, circumibo*: ita fit, si cui gemma pretiosissima est concredita, & dum ille dormiret est ablata, non edam, non bibam do nec reperero. Amplectar pedes Domini, de illis scriptum: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leones & dracones.* Ego leo, ego draco, ego basiliscus, ego aspis. Mei oculi fuerunt sicut basilisci in Jerusalem, mea lingua sicut aspidis, interficiebat animas ut leo & draco; calcet me Dominus meus dum remittat. Scio Domine, Job. 13. *Scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Non frustra enim, Ezech. 9. habes atramentarium in lumbis tuis. Cecidit ad pedes, rigavit lachrymis, osculata est, obstersit capillis, effudit unguentum. Et Dominus quid? *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Egit sicut Joseph cum Fratribus: Nolite timere, ego sum Frater vester, complexus errabundam ovem, recepit drachmam perditam. Illa amplius pergit. *Fortis ut mors dilectio*, mors aufert omnia, ab illa dilectio abstulit,

Projicit gemmas, &c. Isai. 30. *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis, hæc est via, ambulate in ea, &c. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut munditiam menstruatæ, egredere, dices ei.* Projicit omnia sicut victus solet arma projicere ad pedes victoris. Dominus etiam non solùm peccata, sed etiam pœnam debitam peccatis dimittit, & facit illam tam mundum, atque si nunquam peccavisset; audivit à Christo. *Fides tua te salvam fecit.* Tertull. contra Marcion. l. 4. *Etsi pœnitentiæ stimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide justificata audivit, Fides tua te salvam fecit.* Vincent. conc. hod. *Si tunc fuisset mortua nullum habuisset purgatorium*, Ezech. 16. *Suscitabo ego pactum meum tecum, & scies quia ego Dominus, ut recorderis & confundaris, & non sit tibi ultrà aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti.* Jam Magdalena facta est æqualis illis, qui nunquam peccaverunt; jam his in oblivionem actis quæ fecerat, videamus quomodo de sanctitate cum Sanctis contendit.

Facultates suas inprimis convertit in eleemosynas, Luc. 8. *Iter faciebat JESVS per civitates & castella*, &c. *Et Maria quæ vocatur Magdalena ministrabat ei de facultatibus suis.* Tradidit se in discipulam Christo, quantùm sub hoc Magistro profecit, cùm præ omnihus illi attenderit! Luc. 10. *Maria sedebat secùs pedes JESV, & audiebat verbum illius.* Quid ibi Christus dixerit, nescimus. S. Vincent. ita opinatur. *Cogito ego quòd ipsa petebat à Christo audire de ordinatione & gloria Sanctorum. Christus dixit de tribus hierarchiis Angelorum, item quomodo animæ collocantur in illis ordinibus. Credo quòd ipsa petiit de se in quo ordine collocaretur, & fortè fuit dictum à Christo, quòd cum Seraphinis ob ardentem charitatem.* Deinde ut idem S. Vincent. dedit Magdalenam sociam Matri suæ, ut sic duæ viæ cœli ostenderentur, una per Innocentiam, altera

altera per pœnitentiam; atque hinc videtur sequi, quòd sicut S. Mater fuit summè innocens, ita hæc summè pœnitens. Et cùm non oportuerit illam satisfacere pro peccatis, quia dimissa jam fuerunt. Cum sua pœna, & tamen summam agebat pœnitentiam, itaque cùm satisfactionem meritum comitetur, summè merebatur, & ad summam perveniebat sanctitatem. Hinc etiam Christus fecit illam Apostolam Apostolorum; illa Joan. 20. illis annuntiavit resurrectionem Christi. *Vade ad fratres meos, & dic eis*, &c. Sed etiam perfectionem Apostolorum habuit, omnia post Christi ascensionem vendidit, & dedit pauperibus, ac DEO serviens labore manuum vivebat. Fuit Martyr sicut S. Joannes Evang. etsi mors non secuta, quia cum fratre Lazaro sorore Martham navi lacera sine remis, velis, à Judæis ejecta in mare, ut sic perirent. Ibi Magdalena rursus Apostolam egit, & totam Provinciam Massiliæ, in quam delata est navi illâ, convertit. Cùm ita haberet perfectionem Confessorum, Martyrum, Apostolorum, ut ampliùs in sanctitate proficeret, etiam ad Virginum perfectionem enixa. Scribit Egesippus, quòd post suam conversionem nullum de facie virum vidit nisi Christum. Ampliùs conscendit & rogavit Dominum, ut illam vitæ contemplativæ redderet, quam ad pedes ejus degustaverat, & statim ex civitate Aquensi in qua tunc erat, delata ab Angelo in profundam eremum. Scribit Guilielm. Parisiens. conc. de hac Sancta, eremum illam fuisse plenam venenatis, statim omnia cesserunt. Crucem erexit Angelus coram qua oraret, specum ostendit, deerat aqua, statim eam saxa fuderunt. Ubi locum quietis delegit, lapis factus est instar ceræ, & figuram ejus excepit. Quotidie in altum septies elevata, quotidie à Christo, ut scribit Sylvester Pierius, centies & decies visitata, præcincta circa lumbos cingulo lucido aureo. Angelum custodem visibilem habuit, qui

illi

illi quotidie ſacram afferebat Euchariſtiam. Hæc vita aſpera duravit annis triginta duobus, ibi illa recogitabat, *quid feci?* Atmodò, Jerem. 8. *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſupra peccato ſuo, dicens: quid feci?* Omnes imitantur Magdalenam peccantem, nemo pœnitentem, ſeminamus avenam, & ſperamus meſſem tritici. Fœtebat antea Magdalena, Eccl. 4. *Mulier fornicaria ut ſtercus in via*, non ſolùm unguenta effudit ut repleretur odore domus. Sed ipſa in odorem utebatur caſto amore. Multum fecit Moyſes qui jejunavit diebus quadraginta hæc amampliùs triginta annis. Magnum ſi alicui Sancto per Angelum afferatur S. Euchariſtia, illi afferebatur toties. Magnum ſi hora mortis nuncietur, illi nuntiata, & ab Angelis ad S. Maximinum deportata, ut deinceps manu ſacrum ſumeret viaticum. Unde S. Vincent. vocat illam *excellentem Creaturam, & glorioſiſſimam Sanctam ſuper omnes alias exceptâ Virgine S. Maria.* Oret pro nobis, & ſpero faciet; non enim fruſtrà ex capite illius poſt mortem enata eſt vitis, hoc enim indicio, quod ipſa per ſomnium Carolo Regi Siciliæ oſtendit, repertum eſt hoc caput. Vitis hæc in noſtris nos lætificabit neceſſitatibus. Sanctæ miſit Chriſtus per Angelum Michaëlem Crucem pro ſolatio Sylv. Roa. & nos illa ſolabitur.

De Eodem. CONCIO II.

Erat in Civitate peccatrix. Lucæ 7.

SIcut dicimus de aliquo ſuperbiſſimo, ipſa eſt ſuperbia: ita Chryſol. ſerm. 93. de Magdalena. *Ipſius civitatis facta fuerat ipſa peccatum.* Diſcit eſſe peccatrix ut ſcitis, quâ id conſecuta arte; etſi ſcitis, proderit tamen ſi illam breviter expoſuero.

Nata fuit in domo illuſtri, ut ſcribit Petr. de Natalibus Epiſc.

Episc. Equilinus, quamdiu vivebant Parentes habuit custodes virtutis; iis mortuis, & bonis divisis, Lazarus frater accepit ea quæ fuerunt in ipsa Jerosolyma, Martha Bethaniam, Magdalena arcem Magdalum, libertatem nacta in omne scelus prorupit, ita ut August. & Chrysost. vocent eam meretricem. Servius verò Græcus. *Ecce mulier peccatrix, utpote non uni, sed omnibus peccatis, atque adeò fornicationi obnoxia; Scriptura enim sacra omne peccatum fornicationem appellare consuevit.* Annos duodecim ita exegit, tamdiu fuit in his tenebris & umbra mortis; sub illo decreto, Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Et ecce Christus circumferebat lucem, Psal. 75. *Illuminans à montibus æternis.* Tetigit hæc lux Magdalenam. Ubi sum? Accedit Christum concionantem, audit de mundi contemptu, & videt quanta sint omnia vanitas, &c. Ubi sum? Incipit cogitare æternitatem. Væ mihi. Videt jam quàm turpe sit peccatum. Anselm. lib. de similitud. cap. 190. *Si hinc peccati pudorem, illinc inferni horrorem cernerem, priùs me in infernum mergerem, quàm me in peccatum intromitterem.* Videt clarè hunc pudorem. O Domine, verba tua sunt sagittæ acutæ, ibit illa *in luce sagittarum tuarum.* Origen. homil. 2. in Cant. *Præbe & te* Magdalena *jaculo formoso, siquidem DEUS sagittarius est.* Quid agam? ajo: Ecce inter tua unguenta est unum pretiosum, vade, in pedes Domini effunde, placa, deprecare. Vadit in domum Simonis, ubi convivio Dominus excipiebatur. Dominus hic recipit pecatores. Chrysost. homil 6. in Matth. *Quia perfectè incaluerat pœnitendo, bacchari, ut ita dixerim, cœpit, exagitari desiderio Christi.* Amplectitur pedes Domini velut reus altare. Quid agis? quid dicent homines? At illa: Sinite me; *surgam & circumibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea*; si apud Simonem non reperero, quæram, &c. Balabo ovis perdita, ut me audiat Pastor; ibo filia prodiga ad Patrem. Augustin. homil. 23.

inter L. *Quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat.* Procidit ergo ad pedes Christi. Paulin. epist. 4. *Ipsos pedes altare sibi constituit*, in eo cor suum cremat. Sed quid agis? Te lacrymis ablue non Dominum. Sed & sic benè agis, sunt in his pedibus & tua peccata. Zeno Veronens. *Dominus sumendo carnem, totius humani generis peccatorum sordibus est obsolitatus*, Tergit capillis, & fit ut Judith 4. *Altare DEI operuerunt cilicio.* Accedit retrò; quia se oculis Christi indignam judicat; amplectitur ut naufragus si inveniat saxum. *Respice in me, & miserere mei.* Spectemus exemplum pœnitentis, qui imitati sumus peccatum. Ambros. in Catena c. Th. *Lavit maculas pedum Christi, lavit maculas proprias, tersit comis, ut per eos sibi assumeret sacros sudores.*

Et assumpsit hos sudores. Omnibus DEUS dat lucem sufficientem ad sua peccata agnoscenda. August. lib. 1. contra Manich. cap. 3. ad hoc adducit illa verba. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed cur non omnes pœnitent? Adrianus Papa VI. quodlibeto 7. quæst. 1. explicat hunc modum tali similitudine. Incidit quispiam in puteum; porrigitur funis per quem extrahatur, rejicit funèm: alter recipit funem, & extrahitur. In quo culpa? In puteo sunt peccatores omnes, sed unus arripit, alter non arripuit oblatam sibi gratiam. Arripuit illa mulier de qua Mazarinus, in Psal. 50. Inprimis à Patre inducta ad incæstum, propter quod cùm à Matre fuisset correpta, eam veneno sustulit. Ob hoc scelus novum à Patre reprehensa, caput illi securi abstulit; venit ad Templum, incidit desperabunda in Concionem de Misericordia DEI, compungitur, confitetur, in satisfactionem illi datùr, ut iterum audiat concionem, tantùm dolore & amore inarsit, ut in hujus concionis medio sit mortua; & revelatum est, illam salvatam. Hæc gratiam arripuit, at è contrà verum est,

eſt, quod Leſſius de gratia, cap. 10. n. 64. *Multi loquuntur apud inferos, qui multò majoribus auxiliis ad ſalutem à DEO donati fuêre, quàm nonnulli Beati.* Magdalena peccaverat multùm, quantum eſt vulnus tantum debet eſſe emplaſtrum, nec de gravibus peccatis leviter eſt dolendum. Roman. 6. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati, ita exhibete ſervire juſtitiæ.* Greg. hom. 33. Magdalena. *Vnguentum quod pro odore carnis ſuæ turpiter ſibi adhibuerat, jam hoc DEO laudabiliter offerebat, oculis terrena concupiebat, ſed hoc jam per pœnitentiam flebat, capillos ad compoſitionem vultûs exhibebat; ſed jam pedes capillis tergebat.* Per quæ peccabat, per eadem agebat pœnitentiam. Ita fecerunt & imitatores Magdalenæ. Ita Valentianus Imp. delectabatur ludo circa beſtias, ut ſcribit Ambr. orat. in ejus obitu, juſſit omnes interfici. In Japone quædam mulier quater decies millies nomen ſui Idoli de die nominabat, hoc ipſum facta Chriſtiana fecit circa nomina ſancta JESU & MARIÆ. De Roberto Rege ſcribit Heldegalilus, ſolebat more fœmineo longiorem nutrire comam, vanitatis hujus pœnitens, convocatis 160. & ampliùs Clericis, juſſit poſt menſam prælegi Evangelium quod legitur in Cœna Domini, ac ſingulorum lavit pedes, & capillis terſit. S. Arſenius, quia delectabatur antea odoribus, factus Monachus aquam fœtidiſſimam in qua folia palmarum fuerant macerata, aſſervabat in cella. Dum Clodovæus Rex Gallorum antea fidei noſtræ perſecutor Baptiſmum volebat accipere, S. Remigius illum baptiſaturus, ex una parte poſuit effigiem Crucifixi, ex altera illius Idola, dicens: *Incende quod adorâſti, odora quod incendiſti.* Chryſoſtom. ſerm. de S. Philegonio. *Provocâſti DEVM pecuniarum rapinâ, per eaſdem illum reconcilia: provocâſti linguæ maledicentiâ, nunc puras effundas preces.* Otho IV. Imper. quia contra caput Eccleſiæ inſurrexerat, ut ſcribit Crantzius, libro 7. hiſtor. Saxon. cap. 39. Vicinus morti voluit in aream

publicam palatii exportari, coquinarios autem jussit ut collum suum ac caput premerent calcibus. Testatur in lib. 4. Reg. cap. 3. *Non pœnitet aliquem verè, qui permanet in peccato, nec aliquis verè dolet de fornicatione, dum tenet concubinam in domo.*

Sed revertamur ad Magdalenam. Loquere verbum Domine, solare flentem, utique lachrymæ istæ sunt cibus & potus tuus. Chrysost. serm. 93. *DEUS delinquentium lacrymas esurit, sitit lacrymas peccatorum.* Hieronymus in Isai. 38. *Oratio DEUM lenit, sed lacryma cogit.* Ambr. in Psal. 38. *Lacryma vincit invincibilem, ligat Omnipotentem.* Cùm rigatur cœlum à vaporibus terræ, depluit Chrysol. serm. 93. de Magdalena. *Ecce nunc rigat terra cœlum,* descendat pluvia. Audi Domine melos. Id. ibid. *Ad delicias Deitatis totius totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam.* Sed non sum spe deceptus. Hieron. in Psal. 93. *Quantum pondus lacrymarum, tantus & consolationum numerus.* Pluvia purgat aërem, & sequitur serenitas. Isal. 21. *Babilon dilecto meo posita est mihi in miraculum.* Videte omnes DEI misericordiam, nemo desperet. *Remittuntur ei peccata.* Sollicitatur adhuc Magdalena quæ multa habet peccata, an omnia dimittantur. *Dimittuntur ei multa.* Quantum ibi gaudium! S. Francisco ante mortem in extasi dimissa sunt pauca, quia habuit pauca; & teste Bonav. in ejus vita. Adhuc in extasi exclamavit. *Laudetur Dominus, ipsi honor & gloria in sæcula.* Hæc ipsa verba per octiduum ita repetebat, ut vix aliud loqui posset. Lætitia Magdalenæ non fuit sterilis; sed dimissis peccatis se ad meliora vertit, & vitam præteritam cœpit compensare. Audierat à Domino: *Vende omnia, & da pauperibus.* Omnia bona in sustentationem Domini ac servorum ejus vertit. Luc. 8. *Maria quæ vocatur Magdalena ministrabat ei de facultatibus suis.* Post Ascensionem Domini reliqua ad pedes Apostolorum projecit. Interim Judæi in navim sine velis & remis eam imponunt cum Lazaro, Martha,

tha, Marcella, & Maximino uno de septuaginta Domini discipulis, cui fuit ipsa à S. Petro commendata; facto signo S. Crucis conscendunt navim, perveniunt ad Massiliam in Gallia, ibi plurimos sancto verbo ad salutem ducit, quia antea non paucos abduxerat. Impetrat sterili illius loci Dominæ filium; & per somnum apparet monendo, ut locum donent suis sociis. Id fit & secundò, & negligitur. Comparet tertiò Domino & Dominæ, monet sint grati, quia oratione suâ filium habent. Datur locus, & in eo erigunt Ecclesiam, & ejus Episcopus fit Lazarus. Maximinus autem fit Aquensis, ipsa in eremum abit. Oculis antea peccabat, scribit Egesippus, quòd deinceps nunquam virum videre voluit. Addit alia ut reddat pro peccatis. Dixerat Joannes de Christo: *Ventilabrum in manu ejus.* Quid hoc sibi vult? Laur. Justinian. apud Novarin. hom. de pœnitentia. *Ipse perpendit utrumque pondus, & pœnitentiæ, & pestilentiæ.* Saul 1. Reg. 15. dixit: *Peccavi,* non consecutus veniam. Idem dixit David, consecutus. Cur hoc? Cæsarius Arelat. homil. 29. *Quia* in Saul *non compensabat magnitudinem criminis levis humiliatio supplicantis.* In David compensabat; qui enim debet decem millia talenta, si ea possit reddere, & nummulum offerat, videtur illudere. Non levi & transitoriâ opus est satisfactione pro malis quibus est paratus ignis æternus. Roman. 11. *Dedit illis DEUS spiritum compunctionis, oculos ut non videant, aures ut non audiant.* S. Aëlredus libro 2. Specul. Charit. cap. 20. *Nunquid non genus compunctionis hoc excæcat oculos, aures obturat, illorum duntaxat qui immanissimas vitiorum sordes sine pœnitentiæ fructibus paucis hîc lacrymis æstimant abluendas? O quàm falluntur! O quàm sunt salutis suæ proditores!* Videte Magdalenam in eremo quid agat. cùm à Domino fuisset illi tempus mortis nuntiatum; hoc ipsum indicat Maximino, & noctu in ejus Templum defertur ab Angelis, in quo ab eodem reperitur

manè ſupra terram duabus ulnis ſublimis, & Sacramento reficitur; tum ante altare ſe proſternit ac moritur, & cum odore fragrantiſſimo per dies ſeptem manet, ac demum à Maximino ſepelitur. Hîc nos Origen. monet. *Sequamur hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum.* Computemus quantum debemus, & quantum ſolvamus. Idem. *Diſce peccator à peccatrice muliere. Ploret quiſque ad JESUM, quia non celavit ſe quærenti peccatrici.*

In Feſto S. Jacobi Apoſtoli. CONCIO.

Calicem meum bibetis. Matth. 20.

DUM calicem Domini cogitamus, formido quædam invadit, & nihil niſi cruces, mortes cogitamus; ſed non ſic. Juxta proverbium Judæorum calix iſta omnia, quæ illi ineſſe putamus ſignificabat. At verò, *Dilectus meus quemadmodum filius unicornium.* Sicut unicornis, dum invenit aquam venenatam, miſcet cornu, & reddit ſalubrem. Abac. *Cornua in manibus*, quando ipſe ſumpſit in manus calicem, jam omne ex illo malum pepulit; & ut ſimus de hac re certi, dedit Jacobo bibendum: & non tantùm illi non nocuit, ſed victorem mortis & omnis crucis malæ & amaræ fecit, quod fuſiùs explicare propoſui.

Primus hunc calicem bibit Jacobus inter omnes Apoſtolos; nam dum calicem Domini promiſſum haberet, ita ſpe ſolà calicis animatus, ut ſicut Aminadab, cùm rubrum mare eſſet tranſeundum primus inſilierit, unde Cant. *Conturbata eſt anima mea propter quadrigas Aminadab*, loquitur in perſona Synagogæ, quam vehementer Jacobus confutabat, oſtendendo quia *hic eſt Chriſtus*, hic eſt Meſſias promiſſus, hæc eſt veritas,

Syna-

Synagogæ doctrina umbra. Finitum tempus adventûs Messiæ, quod Daniel in suis hebdomadis clarè prædixerat, ostendebat ex Prophetis alium non expectandum. Chrysost. hom. 57. in Matth. 17. *Sic acer atque gravis Judæis Jacobus erat, ut magnum munus eis obtulisse, cùm eum Herodes interfecit, visus est.* S. Th. ita de Jacobo loquitur. *Præcipuus debellator erat Adversariorum fidei, ideò Herodes eum occidit.* Cùm Judæi sunt repressi, ausus cum illo confligere, quà argumentis, quà miraculis, quæ non nisi falsa afferre poterat Hermogenes Magus; sed etiam confutatus: movet iste contra Jacobum omnem scientiam Gentilium, sed succubuit: movet omnes præstigias, sed cesserunt: advocavit dæmones, sed jussi sunt silere. Sed ad calicem festinat Jacobus, quia ita nobis propinat DEUS, sicut aliquando bonus Princeps suo famulo, implet auro calicem, postea vinum infundit, bibe. Ebibit ille vinum, aurum accipit. Sed estne calix Christi, cùm aliquid adversi accidit? Hinc ad peccata ruimus, quia non reputamus esse calicem Christi, & jam nobis facimus *calicem dæmoniorum.* Afflictus plagis Pharao à Moyse, nolebat agnoscere quòd esset calix Domini, vocavit Magos. Sed nunquid dæmon benè potest velle homini? Fecerunt illum obstinatiorem, in majora peccata præcipitârunt, & tandam amisit cum anima regnum. Hic est fructus eorum, qui ad Magos, vetulas sortilegas, cùm filius aut animal infirmatur, cùm adversitas incidit, recurrunt. Casu putant fieri quæ DEUS vel in pœnam, vel ad exercendos eos in patientia, immittit, & doctrinæ Philistæorum adhærent, cùm DEUS eos flagellavit propter Arcam irreverenter tractatam, si boves hàc viâ iverint factum est à DEO, si illâ factum est casu, cùm nihil fiat casu. Amos 3. *Si est malum pœnale in civitate quod non fecerit DEUS?* Christiani debent imitari Davidem. Maledicebat ei subditus proprius Semei; at ille quid? 2. Reg. 16. Domi-

Dominus jussit, ut Semei maledicat. Afflixit Sachan Jobum. At ille Job. 1. *Manus Domini tetigit me.* Ipse est Dominus de quo Psal. 79. *Dabis nobis potum in mensura.*

Properat Jacobus ad Calicem Domini, videt sævientes ob suum zelum Judæos cum Herode festinandum. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Capitur ab Herode, damnatur capitis, propinat calicem carnifici, osculatur. Pax tibi, sumit hunc calicem carnifex, bibit salutem, quia fidem veram amplectitur: Ita dulcis est Christi calix. Job in suis plagis *radebat testâ* vulnera, sed num aliquid mollius reperire non poterat? Non, quia ad illam in spiritu respiciebat testam de qua Ps. in persona Christi. *Aruit tanquam testa virtus mea.* Inde in illa prorumpebat. *Credo quòd Redemptor meus vivit*, &c. In calice suo Christus ebibet gloriam. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam.* Bibam & ego ut eum sequar ad gloriam. Primus inter Apostolos Jacobus moritur, & quidem eâ ipsâ die quâ Christus, id est 1. April. ut scribit Osorius. Adfuit morti illius B. Virgo, & omnes Apostoli, quia nondum per orbem fuerunt dispersi. Ebibit calicem, sed in eo gloriam non solùm in cœlo, verùm etiam in terra.

Vivens laboravit circa Hispanos, sed septem vel novem solùm convertit, arabat veluti petram; nam Hispania est petrosa, sed modò Hispania ita Catholica, ut nullum aliud regnum, nullus hæreticus, nullus Judæus, nullus infidelis. Imò per Hispanum S. Franciscum Xaverium insulæ maris Japonia, &c. Chinæ Imperium fidem acceperunt, per filios Hispanornm S. Dominici & Ignatii orbis reparatus, domitæ hæreses. Hoc erat constanter & ad fundum calicem Domini bibisse. Jam est impletum, Isai. 41. *Laudate habitatores Petræ*, Hispani qui petras inhabitatis, *de vertice montium clamabunt, donec Domino gloriam & laudem ejus in insulis nunciabunt.* Jam Mater Filiorum

liorum Zebedæi, noli esse sollicita in procurando loco pro tuo filio, procuravit ille sibi illum calicem bibendo, ut sedeat à dextris in regno Christi. Eliam currus igneus paulatim tulit, paulatim tuus filius procedat, perveniet, noli festinare. Abulensis de Elia. *Currus trahebatur prius super terram, postea in nubem mutatus abiit altè.* Magos ad Christum stella duxit, quia ut Chrisost. hom. 87. *Magos tenuiter micans stella assuefecit ad lucem*, ut possent intueri Solem Christum. David sumptis armis Saulis non statim prosilit contra Goliath; sed priùs *tentat an possit incedere.* Nesciebat Petrus quid loqueretur, cum in Thabor, diceret. *Faciamus hîc tria tabernacula.* Unde Timoth. Antiochen. *Retia didicisti texere, tabernacula vis ædificare.* Ad ambitionem noli Mater aperire viam. Ambitosus quærit honorem non laborem, sicut adulter voluptatem non prolem. Bibat priùs calicem Filius, tum sequetur gloria. Erit tuus Filius gloria Hispanorum, ad ejus sepulchrum ex toto orbe sicut ad Petri confluunt peregrini, stella ipsius sepulchro locum in campo dedesignabit, unde locus dicetur Compostella. Et certè non hæc una gloria ubi calicem Domini sumpsit Jacobo contigit. Vocaverat illum Christus Bonaergen, hoc est filium tonitrui, quod juxta Hebraicam phrasim est tonitru; nam sic etiam dicitur filius perditionis qui est perditus, filius iniquitatis iniquus, &c. Ecce tonat hoc tonitru. Ps. 103. *A voce tonitrui tui formidabunt*; est velut Josue de quo cap. 24. *Sepelierunt eum in finibus possessionis suæ*, contra Moabitas in præsidium. Sepultus Jacobus in Galæcia in finibus suæ Hispaniæ. Tuetur illam ut suam possessionem, adest in bellis, hostium civitates pro Hispanis expugnat. Plurima ejus rei exempla. Omittere non possum quod affert Ferdinandus in Genes. tom. 3. laborabat Ferdinandus I. Rex Hispaniæ ut Conimbriam à Mauris recuperaret, & S. Jacobum invocabat, venit ad Regem quidam Episcopus

ſcopus Græcus, diſſuadet ut invocet Jacobum, aſſerens eſſe piſcatorem non militem. Venit Jacobus ad Epiſcopum cum clavibus Conimbriæ, trade has Regi, ego illi cras aperiam Conimbriam, & ita factum eſt. Factum id Anno 1045.

Sed neque illud eſt minus. Graſſabantur Mauri per Hiſpaniæ partes, Abderemanet Dux Maurorum unum obſederat caſtellum, in quod multa plebs Hiſpanorum ſe receperat, erat etiam in illo Joannes Abbas. Deſperata eſt loci defenſio, ergo jactum conſilium, ne plebs in hoſtium manus veniret, exſcindere, caſtellum exurere: apti bello cum Abbate viam per hoſtem quærerent. Irruunt in hoſtem, novem millia ſternunt Maurorum, cæteros diſpergunt; tum unicus dolor ſupereſt, quòd ita in ſuos egerint ſævè. Redeunt in arcem petendo, ut S. Jacobus qui dedit victoriam, dolorem abſtergat; abſterſit, nam omnes cæſi facti redivivi obviam proceſſerunt victoribus, in collo quo gladius tranſierat, veluti coccineo præcincti funiculo.

In feſto S. Annæ Matris B. M. V.

CONCIO.

Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti. Matt. 13.

VAria de S. Anna invenio apud SS. Patres. Epiph. hæreſi 39. vocat illam *nobiliſſimam*. Germ. & Nyſſenus *Sanctiſſimam*. Hieron. *juſtiſſimam*; quia bona ſua in tres partes diviſit: unam Eccleſiæ, alteram pauperibus dabat: de tertia ipſa vivebat. Alii vocant *patientiſſimam*, quia publicè ab altari repulſa

repulsa æquanimiter tulit. Dabo ei ego, non recedendo ab Evangelio, titulum agri qui margaritam protulit, pro qua emenda cœlestis negotiator omnibus venditis descendit.

Attulerat ad templum victimam S. Anna; sed quia sterilis fuit, tanquam maledicta à DEO cum suo marito Joachimo à Sacerdote rejecta: cùm per annos viginti expectassent prolem, & novissent ut si DEUS illam daret, in templo serviret. Sic ab altari pulsus Joachim abiit in sylvam ad pastores ubi vacabat orationi; Anna idem fecit domi, tum ad Joachimum venit Gabriel Angelus. Exaudita est oratio tua, habebis Filiam; sed quæ erit Mater Messiæ, in signum hujus vade, & in porta quæ dicitur aurea invenies Annam uxorem tuam. Similia Annæ idem Angelus dixit. Habes jam ô Anna victimam, offer DEO; acceptabit, faciet hoc munus ad intentionem DEI, qui proposuit redimere mundum. Offer unionem, qui faciet tibi pretium. David quia tantùm voluit ædificare templum. 2. Reg. 7. obtinuit à DEO. *Fidelis erit domus tua, & regnum usq; in æternum ante faciem tuam.* Quid non dabit Annæ DEUS pro hac unione omni templo pretiosiore? Nescivissemus quanta sit Anna, nisi hæc fuisset nata margarita. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* B. Virgo Filia, Christus nepos. In verba Isai. 13. *Flos de radice ejus ascendet.* Ita habet Bern. *Non magis se Mariæ Filium Christus quàm Annæ gloriatur esse nepotem.*

Ex Nepote ergo habet Anna benedictionem Abrahæ, Davidis, & Joannis Bapt. Abrahamo solùm in figura ostensus fuit hic nepos, & facta obscura promissio, quòd ex posteris ejus esset nasciturus, & ecce apud illum Angeli hospitantur. De Sodoma punienda cum eo confertur. Loth salvatur. Promissio etiam facta obscura Davidi, & ecce à Saule defenditur, Goliathum superat, Spiritu Prophetico repletur. Joannes quia Præcursor erat futurus, in ventre Matris sanctificatur,

miracula fiunt in nativitate, Pater prophetat. Jam verò Annæ non obſcura, ſed clara facta promiſſio, ſanguine Chriſtum tangit; eſt enim illi duplici modo Chriſtus nepos, quia ſola ſine viro Filia S. illum gignit, at cùm alii nepotes ratione patris alicui ſunt nepotes, & ratione matris ſunt alteri, hic quaſi utroque modo eſt Annæ. Plus Anna conjungitur Chriſto quàm Præcurſor; ille famulus, hæc matris mater. Itaque repleta eſt majoribus aliquibus benedictionibus quàm iſti. Moyſes effectus luminoſus ut radii de capite emicarent, neque illum ſine velo poſſent Judæi videre, quia diebus quadraginta moratus cum DEO: Anna certè pluribus cum Chriſto. Audità voce, vel facie Chriſti viſà ſemel, effecti ſunt quidam Sancti, ut Paulus, Quid Anna quæ illum non ſemel in ulnas ſuſcepit, pavit, tenuit? S. Th. docet non poſſe meliorem creari Maternitatem, quàm ſit B. Virginis; quia Filius melior eſſe non poteſt. Sed etiam Nepos melior eſſe non poteſt; itaque neque dignitas, quam ex hac parte accipit S. Anna major eſſe poteſt, & Abrahæ, & Davidis, &c. creſcere potuit dignitas, Annæ iſta non potuit, eſt in ſummo, addi illi nihil poteſt, eminet ſupra omnes. Proinde eſt in ſingulari obſervatione apud Nepotem, propter illam facit multa, ejus pteces non rejicit. Dictum eſt Judæis, Iſai. 51. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ vos peperit.* Hoc ipſum præſtat ſine dubio Chriſtus, *qui non venit legem ſolvere, ſed adimplere.* Jeſſe quàm remotus à Chriſto, attamen, ut Hieron. interpretatur, idem eſt quod *Ardens*, ubi eſt alluſio ad Ruben ardentem, quem Moyſes viderat, & juſſus calceamenta deponere, ſi propiùs vellet accedere: per quod innuebatur, quòd Jeſſe reverenter eſſet habendus, quia ex poſteris ejus naſciturus eſſet Salvator. In quo honore habenda eſt Anna, quæ non per mille annos ut Jeſſe diſtat à Chriſto; ſed Matris ejus eſt Mater,

ille

ille nepos illius. Ædificat aliquis Princeps templum, statim in primo fundamento ponit adamantes, rubinos, &c. Quales deinde erunt parietes? Christus est Templum, nam de se dixit: *Dirue hoc Templum, & in triduo reædificabo illud.* Fundamenta illius Abraham, David, &c. gemmæ. Quid Anna quæ proximè ad illud complendum accessit?

Accedit S. Annæ ex Filia pretium; hæc enim ejus margarita pretiosissima. Margarita enim Matris est filia juxta illud Hieron. ad Lætam de institut. Paulæ. *Postquam ablactaveris, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ.* Hic verò Unio natus velut in agro, in Anna, & intra eam per novem menses latuit. S. Vincent. conc. hod. Proponit sibi, cur S. Joachimi non ita solenniter celebratur dies ut S. Annæ? Et respondet: *Quia licet Joachim fuit sanctus, & benedictus amicus DEI, tamen majoris sanctitatis fuit S. Anna. Ratio, quia majorem participationem habuit cum Virgine Maria Filia sua, Pater verò modicum participat cum Filiis; sed Mater quæ novem menses portat, & post nativitatem lactat, nutrit, dormit cum eis, & osculatur. Quia ergo B. Anna habuit majorem participationem cum Virgine Maria Filia sua fonte totius sanctitatis, quæ jam in utero existens erat sancta, cogitate ergo quanta sanctitas remansit in B. Anna, quæ ipsam portavit & nutrivit dando sibi illa quæ habebat, Virgo Maria dabat Matri sanctitatem.* Et hìc impletum est Roman. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem vestram.* Certè bona filia exornat Matrem quantùm potest. Umbra solùm fuit B. Virginis Arca, & cùm aliquamdiu stetisset in domo Obededom, benedictione DEI illam replevit. Quomodo non multò magis B. Virgo S. Annam? Maneat sanè in aliquo vase balsamum, an non odore illud replebit? Maneat Sol, an non illustrabit? Manet oleum, an non unget? Ipsa Eccl. 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Si solùm qui transit ad B. Virginem

impletur DEO quem illa genuit; quomodo non multò magis Anna? Certè sumpsit tantùm de bonis, ut nobis etiam impertiri possit. Damasc. Orat. 1. de Nativit. *Joachim & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillaverunt.* Exempla hujus rei posuimus in libello de S. Anna, Eccl. 11. *In filiis agnoscitur vir.* Chrysost. in Matth. 23. homil. 45. *Sicut arbor in fructu cognoscitur: sic Parentes in Filiis. Nam de spinis colligunt uvas.* Hinc illa. *Beatus venter qui te portavit.*

In Festo S. Ignatii Societatis JESU.

CONCIO. I.

Misit illos binos ante faciem suam.

Lucæ 10.

HAnc curam DEUS habet de Ecclesia: quoties nova in mundo oritur corruptela, toties aliquem virum excitat qui illi occurrat. Eccl. 33. *Contra malum bonum est, contra mortem vita.* Eadem nata est die B. Virgo quo Eva, ait Canis. de Deip. &c. *Quo tempore*, ait Prosper, *natus in Britannia Pelagius Hæresiarcha ceu caligo quædam, natus est in Africa Augustinus veluti clarissimus. Sol noctem illam discutiens*; sic Dominicus contra Albingenses, &c. De S. Ignatio dicit Breviarium, quod contra Lutherum & alios. Sed cùm hos mittit Dominus, ipse sequitur. Gregor. hom. 17. *Prædicatores suos Dominus sequitur.* Videamus quomodo S. Ignatius præcessit, quanquam gratiâ præventus Dominus secutus.

Ut aliquis sit operarius Christi idoneus, duo requiruntur: virtus & doctrina. Ut virtutem acquireret Ignatius, à profundissimo incepit fundamento, & nihil se fecit quoad animam

mam & corpus. Quoad animam: ita se constituit exinanire, ut statim infernus expaverit, unde domum in qua fecit propositum, terræ motu concussit ut ante effectum occideret Ignatium: sed nihil aliud in lucro tulit quàm fragmenta murorum, & calcem deciduam. Tota quasi anima fuit Ignatii gloria mundi, ad hanc spiritus accepit à sua natione gloriosissima Hispanica, ad hanc è sua nobilissima familia Ognias, ab educatione in aula, à Præposituris militaribus sic erat constitutum. Sed occurrebat modò, me ad DEUM convertam, cùm Pampalonam quæ meæ curæ commissa fuit, accepit Gallus; quid dicet mundus? Omnes vocabunt desperationem; vulnus etiam in pede nondum solidatum. Sed conculcanda omnia, & hoc ipsum juvabit ut sim magis nihil. Vestes ergo splendidas donat mendico, sordidas sumit, arma in templo appendit, accipit rudem baculum, caput non tegit, barbam & capillos negligit, & ostiatim mendicat, ridendum, vexandum se proponit. Quomodo magis in nihil se reduceret, ubi gloria domûs, militiæ, &c. Facta sunt nihil. Hoc facto etiam corpus in nihil reducit; cilicium continuum, spinæ latera præcingunt, jejunium quotidie in pane & aqua præter dies Dominicos, quibus adjungebat aliquam herbam amaram, conditam cinere vel arenâ: quotidie cruenta quinquies catenis acutis flagellatis, pectus saxo tundit, saxum est lectus, septem horis de die flexo genu orat, sine cessatione plorat, aliquando tribus, sex, septem, aut etiam octo diebus omni cibo abstinet, nec miseretur sui, etsi languor, deliquium, morbi, etiam febris accedat, sic annus transigitur in specu Montis serrati, sive Manressæ.

Sed quid hoc? Anno exacto, abit ex specu, deponit catenam, quanquam cilicium non relinquit, vestem sumit honestiorem, caput tegit, capillos ordinat, calceos induit, dura solvit jejunia, adit civitates & domos. Itane ille fervor qui

fuit ut torrens, cessavit ut torrens? Reduxit se in nihilum Ignatius; sed nisi hæc fecisset quæ modò diximus, non fuisset secutus Dominus. Non fuisset Xaverius & per illum eversus Paganismus; non Japon, non China fidem Christi audiisset, non Reges venissent, ab ultimis terris Romam, non laboravisset in Brasilia Anchieta, non in Tumquim Baldinotti, non in Æthiopia Oviedo, non vidisset zelum Campiani Anglia; non Germaniæ succurrisset Canisius, non Franciæ Cottonus, non habuisset Italia Bellarminum, Polonia Scargam, non tot volumina prodiissent, non tot Martyres, non Kostka, &c. Sed antequam ad hæc Ignati, opus est quærere subsidium à literis, quomodo aliàs confutabis Lutherum in Germania, Calvinum in Gallia, Henricum in Anglia? Invenit modum Ignatius, quo & literas edisceret, & magis se nihil redderet, ut tantò copiosiùs se illi DEUS infunderet. Acceperat ille tantam rerum cœlestium notitiam in specu Marresano, ut mysteria creationis, redemptionis mundi, præcipuè SS. Trinitatis, ut si Scriptura, concilia, &c. periissent, imò totus mundus à fide defecisset, ita ille mansisset constans ut pro fide mori paratus esset, scripserat adhuc homo solùm legere ac scribere sciens, illum parvum sed admirabilem exercitiorum libellum, quem hæretici vocant opus diaboli, compendium incantationum, sed B. Virgo illum variis temporibus dictavit, ipsa usui ordinavit. Fuit in schola cœlesti in illo specu, dum per dies ac noctes octo fuit continuas in extasi. O si quæ ibi didicerat scripsisset! Vera hæc sunt, & verum est quod Exod. 16. *Sole orto manna liquescebat.* Ubi Divina allucet Sapientia, deficit humana. Sed hoc ferè soli Ignatio utile fuit. Fuit Apocal. 5. Liber signatus inter seniores, nec nisi Agnus illum aperuit. Ignatius in stabulo natus ut agnus. Clausi fuerunt libri, rude illud erat sæculum, oportebat scholas aperire, cathedras, &c. Oportebat

bat & ipsum & filios quos erat habiturus fieri malleos hæreticorum. Hunc titulum dat Bern. in Cant. S. Augustino qui contra Pelagium à DEO missus; cur non dem Ignatio, qui contra Lutherum? Hæretici sunt ut Hyppotamus, qui solo malleo vincitur. Multi erant sumpturi malleum ab Ignatio, 1. Esdræ 3. Cùm à Cyro templum Domini fuit ædificatum, *steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis, & Levitæ in cymbalis, ut laudarent DEUM per manus David.* Jam David erat mortuus, sed cantica ejus cantabant. Ignatium videtur descripsisse Ezech 40. *Et ecce vir cujus species erat quasi æris, & in manu ejus funiculus lineus, & calamus mensorius, & mensus est.* Vir est juxta Rupert qui *integritatem virtutis habet*, habuit Ignatius; *quasi species æris*, miles fuit, cataphracturam veteres ex ære cudebant; *mensus est*, mensus terram & omnia officia templi, est Eremita & Concionator: est peregrinus & studiosus: est Catechista & Religiosus legislator. Uno anno in Hispania, altero in Gallia; uno in India, altero Jerosolymis. Est in specu & in foro, est in carceribus & Academicis, est in hospitalibus & aulis, &c. Mensus est ubi opus esset malleo. S. Th. de Villan. conc. de S. August. *Lapides extrusos malleo æquabat, faciens concordare funiculo Evangelii.* Opus fuit ad hoc doctrina.

Triginta quatuor annorum erat, dum pueriles in manum sumit lectiones publicè, qui Manresæ ad cœlestia admissus arcana DEO Magistro. Quanta hic opus fuit victoriâ, & sui nihilo? nec cessat donec in Doctorem Theologiæ evadat; terruit hæc res statim initio dæmonem. Videte, quam iniit artem! Excitabat in Ignatio devotionem sensibilem velut esset in cœlo, illâ diffluebat, reducebat visiones in memoriam quas habuit Manoresæ, lachrymas provocabat cùm aperiret librum, ut primam disceret conjugationem,

ut disceret *Amo, amas.* Non jam impuros amores adducebat; sed amorem Divinum objiciebat menti. Quid amori Divino rebellis in libris hæres, disces hunc amorem sine libro, in sylvis ab avibus DEO canentibus, plantis, &c. Et in specum revocabat, & jam ad hoc cœpit inclinari, sed à DEO illustratus, resilit, & jurat non cessaturum se à studiis, & accedens Magistrum in templo, & ad pedes ejus procidens, petiit veniam, & in posterum si in aliquo scholæ non satisfaceret, ut veluti cum puero ageretur, & statim omnis tentatio cessavit. Quò ulteriùs debuit descendere Ignatius?

Præcesit Ignatius in sui abyssum. Videamus quomodo secutus Dominus ad exaltationem ejus maximam. Adhuc Ignatius erat in suis opibus & gloria, & solùm præcedendi Dominum concipiebat propositum æger in lecto, misit ad illum S. Petrum Apostolum, ut à vulnere sanaret. Parum est; venit B. V. Maria, cum suo Infante, & abstulit ab illo omnem sensum libidinis, qui favor vix factus alicui, qui consenuit in sanctitate. Senex in eremo Hieronymus lamentatur, videri sibi se choris puellarum interesse. Narrat Augustinus multos aliàs Sanctissimos in hoc visco hæsisse. Parum est, sæpiùs quàm quadragesies illi Christus apparuit: Idem illi visus in itinere dum iret Pataviam, visus dum navigaret in Cyprum, visus in terra sancta. Si parum hoc, dum it Romam, intravit in quandam desolatam Ecclesiam propè muros, ut oraret. Apparuit illi DEUS Pater, qui illum unicè Filio crucem tenenti commendabat, ubi Filius dixit Ignatio: *Romæ vobis propitius ero.* Cum cruce Christus, quia solatiis hujus Religionis miscet cruces. Quid plùs favoris DEUS facere debuit? Fecit hoc, Spiritum S. Romæ, sicut olim in Apostolos, misit in specie ignis. Præterea quantam ejus curam gessit DEUS! Destituitur victu & domo Ignatius, & in

in publica jacet platea, excitatur cœlesti voce Senator Taruisinus, & audit sibi imperari, surgat de lecto, etsi nox erat, quærat Ignatium, in domum suam recipiat. Quid quod DEUS injurias Ignatio illatas vindicabat? In navigatione ad Cyprum constituerant nautæ Ignatium in deserto exponere scopulo, nunquam ob ventos adversos ad illum pervenire potuerunt. Dum rediret Ignatius è terra sancta, noluit Præfectus navis recipere Ignatium in suam navim, periit cum navi, Ignatius verò lacerâ trajecit mare. Quidam cum stricto ense invadebat Ignatium, sed motum omnem perdidit. Alcalæ quidam asseruit Ignatium dignum igne, mox ipse periit. Cordubæ alter Ignatium submersione dignum, & ipse submersus. Quid verò è contra Ignatius? Orabat vehementer à DEO in præmium suorum laborum, ut illum omnes vivum contemnerent, mortui oblivišcerentur; è contrà DEUS, cùm secundò transferretur corpus Ignatii, stellas jussit comitari feretrum.

De Eodem. CONCIO II.

Dicite illis: Appropinquavit in vos regnum DEI. Lucæ 10.

DUm imaginem hujus Sancti considero, miror cur non pingatur sicut S. Norbertus proculcans hæreses, nam & ipse protrivit. Cur non ut S. Bernardinus cum JESU nomine, nam ab hoc nomine & religionem suam vocavit, & pro insigni illud accepit. Cur non ut S. Augustinus cum transfixo corde, & iste amavit DEUM. Cur non ut S. Margaritam tenentem in catena dœmonem, & iste *mirum in dæ-*

mones exercuit imperium. Cur non cum ſtellis quæ cum transferretur ejus corpus, ſupra comitari ſunt viſæ. Cur non cum Sanctiſſima Trinitate quæ illi ſe mirè explicuit; cur non cum B. Virgine quæ illi regulas dictavit; cum Spiritu S. qui in illum viſibiliter deſcendit? Pingitur cum libro cui inſcriptum: *Ad majorem DEI gloriam*, quia hæc verba totam ipſius ſanctitatem explicant. In his appropinquavit in eum regnum DEI. Regnum Chriſti eſt quod quæſivit. *Ego gloriam non quæro, ſed Patris. Gloriam DEI ſemper in ore habuerat, ſemper in omnibus quæſierat.* In hoc vita ejus concluſa, hæreſes calcatæ, nomen JESU geſtatum, cor amore confixum, dæmones victi, hîc ſtella, hîc viſiones. Hîc ſiſtamus.

Legimus in Geneſi, *Benjamin lupus rapax.* Aug. ſerm. 14. *Hoc in Apoſtolo impletum eſt*, non in Benjamino, *ad veſperam dividet eſcas.* Hoc impletum cùm Paulus portabat nomen JESU coram Gentibus. In Luſitania ac Indiis vocant ſocios JESU Apoſtolos, itaque multò magis caput eorum Ignatius dici debet Apoſtolus. Benjamin Ignatius, quia octavo genitus & inter ſuos fratres minimus. Omnis Biſcaiæ ſeu Cantabriæ nobilitas, è qua eſt Ignatius; habet lupum in ſtemmate licèt ſitu vario. Primus de domo Loyola, cùm ſuo vicino, deprehendit illum dormientem in ſua camera pepercit illi, & ſolùm ahenum, quod pro more illius loci in camino fuit appenſum abſtulit, & ſic eum ad concordiam coëgit, quam ut partes firmarent, pro ſtemmate acceperunt duos lupos de illo aheno ſimul comedentes, mutatum hoc deinde ſtemma in illud quod geſtat Auſtraca domus. Dividit eſcas veſpere Ignatius; eſca quomodo de Paulo prolata conveniunt Ignatio? Eſca eſt, 1. Cor. 10. *Omnia ad DEI gloriam facite.* 1. Epheſ. *In laudem gloriæ ejus.* Philip. 2. *Ad gloriam & laudem DEI*, &c. Hanc eandem dividit Ignatius.

Omnes

Omnes qui Apocalypsim rimantur, agnoscunt quòd in illa sit historia status Ecclesiæ, ibi descriptæ persecutiones, incrementa, &c. atque etiam futuræ religiones. Mulier secedens in solitudinem notat Benedictinos: Angelus spargens carbones, Ordinem Prædicatorum: Angelus clamans voce magnâ, ne quatuor Angeli noceant &c. Franciscanos; & sic de aliis. S. Franciscus enim cum S. Dominico mundum, ne lanceis Christi periret, conservârunt. Angelus qui uno pede stetit in mare, altero in terra, videtur designâsse Societatem & ejus Fundatorem. *Ethnicæ superstitioni* trans mare, *hæresique* in terra *bellum indixit, ab ipso templorum nitor, Catechismi traditio, Sacramentorum frequentia, &c.* Unde Baron. vocavit Societatem *Anastasiam*, id est, resurrectionem. Patuit hoc statim in Baptismo Ignatii, cùm paternum illi nomen imponeretur Beltramus, ut scribit Melchior de la Corda, quo infans exclamavit. *Ignatius est nomen meum*, quasi diceret. Ego alter Ignatius S. Petri, *nihil de his quæ videntur, desiderans ut JESUM CHRISTUM inveniam.* Ego Ignatius in cujus corde nomen JESU erit, sicut in illius. Ego Petri discipulus, ille me Pampelonæ vulneratum sanabit, & viam Domini docebit. *Ego cum leonibus & leopardis pugnabo*; ego ero triticum Christi quo pascatur mundus, pugnandum mihi erit cum bestiis, *quibus & cùm benefeceris pejores fiunt.* Proinde ut has dividat escas, jam vir inter pueros discit Grammaticam: edocetur in raptu Manresano ut Paulus. Castigat corpus ut Paulus. Anathema optat esse pro fratribus ut Paulus. Audivimus nonnullos qui pro seipsis nives, aquas gelidas ingressi, fecit hoc Bernardus, Cutbertus, Henricus, Petrus Damiani, sed qui pro altero fecerit, non legi. Ignatius omnes, ut est natura ignis, in sui conabatur similes convertere. Fuit Parisiis juvenis lasciviâ notus, laborabat Ignatius variis modis, ut eum à turpi revocaret

vitâ, non profuit; obſervavit ergo viam ille quâ itutus erat ad mulierculam, lacus fuit propè & gelu acre, inſiliens in lacum Ignatius cœpit clamare: Vide miſer, vade, ego de lacu non exibo & pro te me cruciabo, neque exibo dum te videbo hâc euntem; vicit Juvenem. Vocabant ob magnas converſiones quas faciebat, incantatorem cordium, & propterea Barcellonæ, Alcalæ, Salmanticæ, Pariſiis, Venetiis, Romæ examinatus, & cum laude factus liber. Infamabatur calumniis, irridebatur, ad carceres rapiebatur, catenas ſuſtinebat propter ſuum zelum; & quia ſicut dixit S. Hieron. *Illud verum eſt teſtimonium, quod ab inimici voce profertur.* Teſtatus dæmon non ſemel ſe in mundo graviorem Ignatio non habere inimicum, & tamen tunc vivebant aliquot Sancti.

Paulus non ab homine accepit Evangelium, & Ignatius; ſed quia mirè occultabat, non multa ſcire poſſumus; concrediderat ſuo Confeſſario aliqua, ſed poſtquam intellexit hunc optare, ut ſibi aliquantùm ſuperviveret, quò ea quæ audivit ab Ignatio poſſet edicere, & Confeſſarium *Ignatius ſtatim* mutavit, & Confeſſarius mortuus antequam Ignatius. Concionabatur ſubinde ſemimortuus in campo, & ad trecentos paſſus audiebatur. S. Carolus Borromæus ex illius exercitiis initium ſanctitatis ſumpſit. S. Philippus Nerius ſuum donum contemplationis profitebatur ſe ab Ignatio accepiſſe. S. Franciſcus Xaverius adhuc viventem appellabat Sanctum, & flexo genu illi ſcribebat. Summi Pontifices, Paulus tertius, Julius tertius, Paulus quartus, Marcellus ſecundus, non alio nomine quàm Sancti vivum adhuc vocabant. Joannes tertius Rex Portugalliæ procurabat, ut Ignatius in Summum Pontificem aſſumeretur. Concil. Tarraconenſe. *Ignatium ſingulari providentiâ DEUS dedit his temporibus Eccleſiæ, ut tanquam Atlas geminis humeris doctrinæ & pietatis Eccleſiam ſuſtentaret.* Suſtinet tanquam Paulus

Paulus, *omnibus factus debitor sapientibus & insipientibus*: tam pueris quàm doctis. Dum Calari vespere tormenta bellica exploderentur, accepto nuncio de ejus festi institutione, quòd adhuc plebi ignotum erat, scribit Escobus pag. 273. mirantibus hanc explosionem, infantulus clarâ voce dixit: *Crastinâ die festum S. Ignatii celebrabitur.* Debitor sapientibus & insipientibus. Ethnicis, voto se obstrinxit ad conversionem Turcarum, & propterea in terra sancta peregrinatus. Judæis, erat quidam obstinatus Isaac, hoc solo dicto eum convertit. *Isaac mane nobiscum.* Inimicis, furatus illi quidam pecuniolam quam habuit in necessaria studiorum, & cum ea Rotomagum profugit, ibique in morbum lapsus, ubi id cognovit Ignatius, pedes absque cibo ad eum cucurrit, ut subveniret: uno verbo ut processus Canonizationis loquitur. *Omnes suas cogitationes, verba, opera in DEUM tanquam finem referebat, ad DEUM, ad DEI gloriam, honoremque destinabat.* Ut verò fructus Ignatii meliùs videamus locum Ezech. 1. consideremus. *Vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Lutherus & alii *& nubes magna, & nubes involuens, & splendor in circuitu ejus & de medio ejus quasi species electri.* Hebraica versio, *Quasi species Chasmal*, hæc vox nihil significat, ita labores Ignatii videntur quibusdam nulli. Non apparet nempe qualis fuerit ager in quo jam post laborem crevit triticum. Sed lege eam retrorsum, significabit Christum. Vide quid ante Ignatium fuerit in templis, scholis, domibus, foris, &c. Ecce videbis in medio nubis hæresim involuentis Christum advectum, videbis in circuitu splendorem in templis, &c. Videbis ignem, hujus globus supra caput Ignatii sacrificantis, aliquando apparuit; sed & ipse cum mitteret in Indias Xaverium ac alios, dicebat. *Itote omnia incendite, ac inflammate.* Ecce nubes involvens.

Illud hic omittere non possum quod solatio omnibus

circa animas laborantibus esse potest. Cùm Ignatius Romam iret, apparuit illi Christus cum spinea corona & cruce jam utique Christus impatibilis, quid spinæ, quid crux? Multa erat passurus Romæ Ignatius, Christus videtur suscipere ejus in se spinas & crucem, non tibi sed mihi ista inferentur, ego patiar non tu; ita cùm Saulus Christianos persequeretur, Christus illi. *Saule quid me persequeris?* Fuit in arce Xaver. crucifixi effigies, hæc sudabat quoties Xaverius affligeretur in Indiis. Raptabatur Ignatius à Turca in terra sancta, & Christus se illi ostendit ligatus ad columnam. Hos operarios circa animas ut confortem claudo verbis Gregorii quæ scripsit S. Vilibaldo Episcopo, & illa recitat Lipomanus. *Tot damnatorum pœnas sustinebat, quot animas neglexerit quis lucrari prætextu privatæ quietis.* Optabat Ignatius salutis propriæ incertus vivere potiùs quàm ad cœlum ire, ut animas juvaret.

In Festo S. Ignatii. CONCIO III.

Misit eos in omnem civitatem. Lucæ 10.

APeriebantur sigilla septem in Apoc. per hæc interpretes intelligunt septem majores Religiones, sive per totum orbem diffuras, ut per sextum sigillum intelligam Societatem JESU, adducit me ad hoc prophetia Joachimi Abbatis, qui multò ante Societatem vixit, ita ille parte 1. Apoc. 6. *Ordo quem de nomine JESV initiandum in tempore sexto datum est illi perfecte imitari filium hominis, datum est illi habere lingvam eruditam in Evangelio.* De nomine JESU, sæculo sexto, id est mundi sexto millenario, &c. Sexta Religio universalis, sexta Regula, vestis nigra, & per cilicium notatur prædicatio pœniten-

nitentiæ ; Hoc præcipuè concessit Ignatio. Videamus quomodo misit illum Dominus, & ipse ivit.

Ita mittit Christus discipulos ut Sol radios, quos etiam Solem dicimus. *Ego sum lux mundi*, id est Sol. *Vos estis lux mundi.* Jam hic modus loquendi, in lege veteri fuit in usu. De Simone filio Oniæ, Eccl. 15. *Quasi Sol refulgens sic ille effulsit in domo DEI.* Rationem dat S. Greg. 11. Moral. 3. *Ut Sol oculis nostris fiunt, qui contemplationem nobis veræ lucis aperiunt.* Sed aperto sigillo Apoc. priusquam Sol appareret vestitus cilicium factus est terræ motus; contremuit camera in qua ex Pampelonensi decumbebat Ignatius, ubi cœpit de conversione cogitare, fit motus populi, dum illum conspiciunt in veste mendici, dum inter pueros Grammaticæ studentem. Induitur jam Sol cilicio in specu Manresano ; patitur deinde vincula & verbera. Elucet deinde, cùm sæpè illum B. Virgo adit, regulas scribenti assistit, cùm Spiritus S. in specie ignis descendit, cùm illi tum aliàs tum in Eucharistia Christus se ostendit, cùm DEUS Pater illum recommendat Filio, cùm se SS. Trinitati exhibet. Incipit hic Sol illuminare ab Oriente, vadit in Palæstinam, inde pergit ad occidentem in Hispaniam, mittit radios in Aquilonem quem hæresis obscurabat. Tunc planè factnm est quod vidit Jer. 1. *Ollam succensam ego video, & locum ejus à facie Aquilonis.* Procedebat Lutherus veluti olla tollendo jejunia, & quod sequitur, carnis licentiam inducendo, procedebat velut olla incensa tot bella miscendo. In olla bulliente aqua sursum deorsum movetur; ita & tunc fiebat, omnia sacra profana & profana sacra. Laici prædicabant, sacra administrabant, Sacerdotes rejiciebantur. Et statim Jer. ibid. è contrà : *Virgam vigilantem ego video.* Per virgam cum oculo, scilicet vigilantem, Sol notabatur in Ægyptiis Hieroglyphicis. Macrob. lib. 1. c. 21. Hic

Sol Ignatius oppositus ollæ succensæ; Illa ardet, hic lumen amplissimum spargit; illa urit, iste illuminat; illa tandem extinguetur, hic semper lucebit. Radii Solis hujus novem, socii primi novem. Petrus Faber mittitur à Paulo tertio Theologus Sedis Apostolicæ ad Concil. Trident. Jacobus Laynez qui in eodem Concilio velut oraculum audiebatur. Claudius Jajus qui sæpè cum hæreticis conflixit Ratisbonæ, Augustæ, Ingolstadii, Viennæ, Vormotiæ, passim vocatus Angelus & Apostolus. Quid Francisc. Xaverius? Nicol. Bobadilla zeli Apostolici, Paschasius Broëtus destinatus Patriarcha Æthiopiæ, Nuncius Pauli tertii in Hiberniam, Joannes Codurius Confessarius Margaritæ filiæ Caroli V. cujus animam vidit S. Ignatius inter choros Angelorum; Alphonsus Salmeron scriptis notissimus. Laynez ita æstimatus, ut cùm in morbum incidisset tempore Concilii, substiterit Concilium donec convalesceret; supra ejus caput, dicitur, sæpè columba est visa. Simon Rodriquez Indorum seminaria erexit, & multa patravit, ut historia narrat, miraculosa. Per hos radios Ignatius reduxit. Eccl. 42. *Sol illuminans per omnia respexit, & gloriâ Domini plenum est opus ejus.* Jeremias ait: Virgam video, fortè virgam Moysis. In virga Moysis fuit insculptum nomen DEI, ut Cornel. in Exod. 4. vers. 25. inde robur sumebat. In Societate insculptum nomen JESU. *Ne despicias illam, nomen meum in illa est.* Illuminavit hic Sol omnes: Catholicos, hæreticos, Judæos, Ethnicos, pueros. Illuminavit omni modo: calamo, voce, confessionibus, concionibus, missionibus, scholis, &c. Omni loco: in templis, plateis, carceribus, nosocomiis, &c. Omni auxilio: Congregationibus Studiosorum, colloquiis, &c. Omni scientiâ, linguâ; omnes terras, &c. ut de Sole dictum: *Non est qui se abscondat à calore ejus,* per S. exercitia, documenta, monita, &c.

Demum iste Sol ubi ad Occasum perrexit, cœleste auditum melos, & stellæ supra funus apparuerunt; tum jam in miraculis veluti stellis Solare lumen resplendere. Sunt etiam de die stellæ, sed non apparent; faciebat vivus miracula, sed ita occultabat, ut solum sciri potuerit suspensum, per illum ad vitam revocatum. Aridam manum mulieris sanatam, viri unius exustam manum verbo curatam, aliquos epilepticos aut febri pestifera correptos ejus ope sanos evasisse, ipsum simul Romæ & Coloniæ visum. Sed post Solis occasum plenum spectatur stellis cœlum; plenus orbis Ignatii miraculis, de illius chartacea imagine fluit sanguis in Sicilia, illius imagines certissimè spectra è domibus pellunt. Reliquiæ puerperas nunquam fallunt in difficili partu. Quinquies Pater Ave dictum in memoriam quinque sensuum, in quibus fuit ille, scil. Miles, pœnitens, peregrinus, Studiosus, Religiosus impetrant omnia quæ sunt è salute alicujus. Aqua Ignatiana quàm potens contra lemures? Ille paulò post mortem apparet ad Genuam puellæ, & liberat à naufragio. Ille in sylva Petuana juveni & tutum facit à latronibus; ille in civitate Leucensi conspicitur à moribunda & sanat. Ille in Archiepiscopatu Toletano afflictam virginem consolatur. Ille conspicuus in Monasterio Maceratensi Monialem morti eripit. Ille visibilis in Pedemontio reddit sanum filium matri. Ille in Vasconia inimicum Societatis suæ arguit. Ille Florentiæ se videndum præbet, & Nobilem tam quoad res ejus quàm quoad personam ab incendio eripit. Ille Munebergæ & Manresæ duos infantes mortuos vitæ reddit. Ille in Hispania, in loco Pardos, puellam duodecim annorum à morte resuscitat. Ille Ferrariæ, dum lapsu ex alta fenestra in terram elisus fuisset infans, sanum reponit in eadem fenestra. Ille cogit dæmones, ut reddant duabus juvenibus syngraphas quas miseri

ſupra animam dederant. Dies deficeret, ſi vellem omnia numerare; facit prodigia quotidie magnitudine admirabilia, numero copioſiſſima. Ita miſſus à Chriſto in mundum Ignatius ivit, etſi etiamnum tum in ſuis filiis, tum in miraculis ire non deſinat.

De Eodem. CONCIO IV.

Deſignavit Dominus & alios. Lucæ 10.

VIdit S. Petrus Act. 10. tribus vicibus de cœlo plenum vas animalibus demitti. Per animalia certum eſt deſignari Gentes; per initia quatuor. Gloſſa vult quatuor Fundatores Ordinum: Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, Franciſcum. Ubinam S. Ignatium ſtatuam? Sequar Concil. Tarraconenſe habitum anno 1612. hoc mihi locum indicat his verbis, ut referunt in Imagine Soc. lib. 5. cap. 1. Ignatius Angelus Apocalypticus eſt, de quo Apoc. 10. *Vidi Angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus ut columnæ nubis, & habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, & clamavit voce magnâ quemadmodum cùm leo rugit.* His verbis inſiſtendo fortè circa illud vas Petri locum Ignatio reperiam; nam *deſignavit Dominus & alios.*

Vidi Angelum. Cœlibes inter Angelos numerari, patet ex Tertull. lib. 1. ad Uxorem. *In terris non nubendo de familia Angelica deputantur.* Et Fabianus libro 1. cap. 9. *Cælibes quaſi cælites dictos.* Sic patet Ignatium debere dici Angelum; Fortem verò, quia nullis adverſitatibus ceſſit. Imag. lib. 5. c. 1. Gaſpar Quiroga Archiep. Tolet. negat Sanctum fuiſſe ullis perturbationibus obnoxium. Cogitabat aliquando Sanctus, quid

quid se posset turbare, venit in mentem, si Ordo suus dissiparetur, tamen adjecit se intra quartam hanc partem animum compositurum. Non etiam motus favore, nam illum Joan. III. Rex Lusit. alterum Petrum vocabat. Imag. l. c. ipse se despiciebat.

Vidi Angelum descendentem de cœlo. Descenderunt de cœlo quatuor vasis initia, id est quatuor Fundatores, quidni & Ignatius? Audite quid de illo Petri successores? Marcellus II. vocat eum *DEI instrumentum velociter operantis.* Urbanus VIII. *Ducem & Atlantem Ecclesiæ.* Coram Greg. XV. à Cardin. Francider. asseritur *opus esse Providentiæ Divinæ*, quod ut Athanasium, Basilium, Hieron. & August. Dominicum & Franciscum contra hæceses hodiernas excitavit cum legione fortissima. Gabriel Cardon. Paleottus, *Lumen Ecclesiæ*, quo reviviscerct Ecclesiæ disciplina. Ludov. Cardin. Ludovisius vocat *totum orbis thesaurum*, ista ex Actu Canoniz. fol. 3. Igitur debet habere Ignatius inter illos Fundatores locum. Et ut de cœlo deseendat, ad octiduum rapitur in extasim, ibi ut Paulus edoctus quod deinde traderet. Jo. Vega Prorex Siciliæ Ignatium vocat *ejusmodi esse Ducem, cujus signa in cœlo cum Dominici & Francisci trophæis sunt constituta.* Imag. l. c. Angelus est qui Loth de Sodomis eduxit, Genes. 19. quia ut ille non sensit ignem; etsi non ut Franciscus immerserit se nivibus, non ut Benedictus spinis, non stagno gelido ut Bernardus. Hieronymum in solitudine choreæ Romanæ vexârunt, Augustinum antiquæ amicæ lacessiverunt. Senex Nazianzenus plorat quòd uratur. Ignatius statim post conversionem hoc obtinet, quod Tertull. de Resurrect. in cœlo futurum promisit: *In regno DEI erit caro reformata & Angelificata.* Ille Angelus eduxit Loth per manum. Ignatius vocat illum juvenem, pro quo se mersit in lacu Parisiensi. Clem. Alexand. libro 1.

Stromatum : *Angelicæ virtutis est juvare sive per manum, sive per lingvam.* Et tum factum est quod Chrysost. in Act. 2. dicit de Pauli labiis. *Lutum in iis* (corpus) *otiabatur, ignis loquebatur.*

Vidi Angelum fortem. Cypr. de bono pudicitiæ. *Nulla major victoria, quàm quæ de cupiditatibus refertur.* Cupiditas carnis quomodo statim ab Ignatio victa; Cupiditas vindictæ & iræ quæ ad irascibilem appetitum spectat, sicut prior ad concupiscibilem, pariter victa, quæ non minùs difficilis ac prior; nam ut August. *Ira sua nulli videtur injusta.* Hanc in dolo fervidus ita vicit Sanctus, ut à Medicis judicatus fuerit frigidus. Per triginta annos post conversionem verbo neminem læsit. Quanta passus! 2. Reg. 14. *Sicut est Angelus DEI Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* In his omnibus talis est Angelus Ignatius.

Nube vestitum. Ex hac nube continui lacrymarum imbres, ut Medici oculis ejus metuerent nubes, post cujus pluviam tot manipuli frugum sacrarum creverunt. Quidquid per filios ejus actum, isti nubi debetur. *Iris in capite ejus.* Signum pacis. Iris in capite ejus; Societas de illius capite nata. *Facies ejus erat ut Sol.* Omnia pro DEI gloria; omnia gratis. Lactantius institut. l. 3. *Nec aquam neque Solem vendimus. Facies ut Sol,* quia Societas JESU. Similis est Angelo illi, de quo DEUS. *Observa, & audi vocem ejus; est enim nomen meum in illo.* Sed ulteriùs. *Pedes ejus ut columbæ.* Fundat Religionem in obedientia Summi Pontificis. Psalm. 17. *Ponit pedes meos quasi cervorum* ad exequendum sua mandata. Unde Marcellus II. fertur dixisse: *Eja Ignati, tu milites collige, nos iis utemur.* Similis in hoc illi Angelo, de quo Zachar. 1. qui equo insidens ruso stabat inter myrteta, & post se ducebat exercitum equitum, rubris, & albis, & variis equis insidentium. S. Hieron. & alii

passim,

paſſim, per primum Angelum intelligunt S. Michaëlem, per alios regnorum præſides. In rubro equo Michaël, quia tum Synagoga fuit in captivitate Babilonica: ſtat inter myrteta, quia promittit feliciora, quod factum eſt cùm Eſther nupſit Aſſuero, quia myrthus eſt arbor nuptialis. Stetit Ignatius inter myrtheta clamans: *Ecce ſponſus venit, exite:* illi obviam ſequitur exercitus variorum, qui ſunt converſi. *Nube fuit amictus* ille Angelus, Apocal. Nubes eſt ſymbolum Apoſtolorum, ita Iſai 60. intelligunt. Aug. Hieron. *Qui ſunt iſti qui volant ut nubes?* Aug. in Pſ. 96. *Videntur nubes, & contemnuntur antequam de illis exiliat quod mireris.* Vita eſt communis, nihil ſingulare in victu, veſtitu, templo. Hinc cuidam Eremitæ Sancto, ut ſcribit Andr. Luc. in vita S. Ignatii, vilis orta opinio de S. Ignatio; ſed DEUS oranti Eremitæ. *Iſte quem tu contemnis eò quòd nihil auſterum ac triſte in exteriori ejus ſpecie obſerves, vas eſt mihi electionis ad ſalutem multorum, Apoſtolico ſpiritu plenum.* Hoc eſt quod Greg. 10. Moral. 16. *Sæpè electus à cunctis deſpicabilis cernitur; ſed tamen ante oculos occulti Judicis virtutibus emicat.* Unde enim hoc proveniret niſi ex magna virtute, *Sordet mihi terra?* Franc. Xaverius ejus nomine ſcripto patrabat miracula. S. Carolus Borromæus ex ipſius exercitiis initia Sanctitatis ſumpſit. Magdalena de Pazzis, &c.

Habebat libellum in manu ſua. Video Sanctum ſub Pampelona læſum, cum libro in manu, de quo meliorem vitam incepit. Ibi factum quod Nazianz. de laud. Baſil. *Cùm Martyrum encomia lego, corpus aſpernor.* Video librum noſtrarum conſtitutionum, de quo ipſemet Sanctus, ut ſcribit Palma in Exerc. die 8. *Cùm illum ſcriberem, ſæpè ad me venerunt JESUS & Maria.* Hic eſt liber qui à Cardinalibus examinatus, in nullo correctus, de hoc Pontifex: *Digitus DEI hic eſt.* Video librum Exercitiorum quem initio converſionis conſcripſit, hic primos de-

cem socios peperit. Hunc libellum Ludov. Strada, Ord. S. Francisc. vocat *Tyrocinium toti humano generi institutum.* Hunc Ludov. Granatensis Ord. Prædic. *divinum* appellat. Hunc Martialis Doctor Sorbonicus dum gustasset, laboravit ut Sanctus Doctoratu Theologiæ ornaretur, eò quòd diceret, altitudinem scientiæ, praxim virtutum; nullis è libris, scholis, templis se tantam hausisse. Hic in omnes versus linguas. *Clamavit voce magnâ, quemadmodum cùm leo rugit; & elevavit manum, & juravit, quia tempus non erit ampliùs, & septem tonitrua evigilârunt, & locuta sunt.* Omnes consentiunt quòd hic Angelus pœnitentiam prædicet. Rugit, ut in gemitu cordis rugiant; elevat manus, ut DEUM offensum placent. Tempus non erit, igitr hoc modico quod habemus, benè utendum. Ignatius aperit finem propter quem homo creatus. Edicta sunt media ad hunc finem. Respicite, non erit tempus. Ita epist. de perfectione. *Si mentis oculos in gloriæ æternæ præmium mercedemque jaciamus, nullo negotio nobis illud Apostoli in animum inducemus. Non sunt condignæ passiones hujus temporis, &c.* Cùm igitur nos adversitas premit, dicamus: Momentaneum quod affligit, æternum quod delectat, &c.

Sed quo loco, ad quod initium vasis, de quo in Actis Apost. collocabimus Sanctum. Angelus est, loco non circumscribitur, & ut S. Th. *Ibi est Angelus, ubi operatur.* Benedictus tenet initium unum, id est, altitudinem contemplationis: Augustinus ardorem claritatis, tubam Verbi Divini Dominicus: Paupertatis murum Franciscus; at Ignatius ibi est ubi operatur, aperit contemptationes in Exercitiis, &c. Tubam Verbi DEI tenet in prædicationibus. Ardorem charitatis circa pauperes & nosocomia, & pueros: paupertatem etsi ubique, præcipuè in domibus professis.

In Festo

In Festo S. Dominici. CONCIO.

Vos estis lux Mundi. Matt. 5.

QUod Possidonius dixit de S. August. hoc meritò possum dicere de S. Dominico. *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, adhuc non essem dignus aut sufficiens ad laudandum tantum patrem.* Est Virgo, est Doctor, est Religiosus, est Patriarcha, Prædicator, Propheta, Martyr voluntate, &c. Solùm id assumam quod Sacerdos dixit loco, *Dominus vobiscum*, dum Missam celebraret, quam mater cum filio suo Dominico audiebat. *Ecce reparator mundi.* Sed hoc quoniam hoc tam sublime, ut Christo sit conveniens principaliter, est tam illustre ut oculos perstringat, utar cœcorum industriâ, illi permittunt se à caniculo duci, & ego pro duce assumam catellum facem præferentem qui Sancto appingitur.

Christus D. cùm repareret mundum, præcipuè fecit, tenebrosa illustravit, Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem.* Et frigentia calefecit, inflammavit. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Ad eadem me docuit Catellus S. Dominici facem ore tenens, quæ simul & illuminat & accendit mundum. Sicut noctu dum sunt tenebræ, nec fossas ante nos videmus, nec montes, &c. Idem fit dum intellectus obscuratur & tenebrescit, putat se apprehendere verum & ecce falsum, DEUM & ecce idolum. Quærunt beatitudinem homines, & incidunt in honorem, voluptatem, & putant veram beatitudinem. *In tenebris ambulant*, perveniunt ad fossas, præcipitia. Invenit Sanctus ejusmodi tenebras, & tantas quidem ut mun-

dus periiſſet, niſi ille cum S. Franciſco illuminaviſſet: & ad hoc fundavit Religionem Prædicatorum, ſeu mundi Magiſtrorum, quia etiam hoc modo Chriſtus illuminavit per Apoſtolos. *Vos eſtis lux mundi.* S. Th. in 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. docet, quòd Apoſtoli relinquentes omnia propter Chriſtum, voverunt pertinentia ad perfectionis ſtatum. Igitur voverunt paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; atque veri fuerunt Religioſi. Et cùm dixit, *Prædicate omni creaturæ*: erexit Ordinem Prædicatorum. Inde viſus eſt Sanctus habens in fronte ſtellam quæ totum illuſtrabat mundum. Peccabant atque ſi DEUM ſupra ſe non viderent, plenæ domus erant luxuriâ, uſura exercebatur veluti non eſſet peccatum, ſed induſtria. Simonia frequens fuit, & putabant ſe rectè obtinere beneficia, nec ad reſtitutionem obligari. Jejunia pro nihilo erant, vindicta pro generoſitate ducebatur, ebrietas erat civilitas. Eccleſiaſticos reditus defraudare, juſtitia & cura conſervandæ patriæ. Propter hoc jam Chriſtus vibrabat tres lanceas quibus mundum confoderet, ſicut Joab Abſalonem. Illuſtravit S. Dominicus, & oſtendit, quòd uſura ſit uſura, Simonia ſit Simonia, &c. Et hoc eſt quod vidit Innocentius III. Papa, ruentem ſcilicet Eccleſiam Lateranenſem, & Dominicum illi humeros ſupponentem. Hoc eſt, quòd dum fuiſſet ingreſſus Romæ Eccleſiam S. Petri. S. Paulus illi comparendo librum dedit. *Vade & concionare, nam ad hoc miniſterium divinitùs es electus.* Præter tenebras in moribus fuerunt tenebræ in fide. Albingenſes hæretici fidei lumen locis multis extinxerant, illuſtravit Sanctus, nam ut S. Antoninus in vita S. Catharinæ, ultra centum millia illorum convertit, & ut omnes illuſtraret adhibuit ignem. Nam cùm Toloſſæ diſputantis argumentis per meram obſtinationem non cederent: pro-

projiciam meos ego, inquit, & vos projicite libros vestros in ignem, & illius valeant argnmenta, cujus libri manserunt incolumes; Manserunt Dominici. Alterâ vice ut illos illustraret, misit iisdem libros quos legerent, projecerunt libros in ignem, sed ignis non læsit libros. Cùm hanc lucem igni non possent vincere hæretici, confugerunt ad aquam; sed lux aquis non superatur. Libros Sancti projecerunt: sed post triduum & sicci, & non dissoluti sunt reperti. Bzovius, Anno 1204.

Altera pars reparationis mundi consistit in calefactione. Refrixerat charitas in mundo antequam Christus venisset, misit Spiritum S. in specie ignis ut illam accenderet. Refrixit etiam tempore Sancti, & hic ad ignem recurrit, charitate suâ charitatem accendit. Charitas DEI consistit in præceptorum observatione. *Si diligitis me, mandata mea servate.* Erat in mundo superbia, & charitatem conglaciabat, ille adhuc unius anni infans in domo nobilissima natus, ad accendendam humilitatem frequenter in terra egit noctem: violabatur lex jejunii, ipse decennio abstinuit à vino, & jejunabat sæpè in pane & aqua. Violabatur lex de succurrendo in necessitate proximis, ille accendit suo exemplo, Valentiæ dum esset, supellectilem, etiam libros vendidit, & pecuniam distribuit inter pauperes: secuti exemplum divites cœperunt esse liberaliores. Violabatur de parcendo inimicis, ille dum in civitate Gargasona prædicaret, convitiis, luto, impetitus, libenter ignovit. Negligebatur pœnitentiâ, ille ter in die flagellabat se catenâ ferreâ. Instituerat Romæ Capitulum Fratrum, tanta erat paupertas, ut nihil esset quod in cibo apponeretur, ut doceret in Domino sperare; jubet instrui mensas, & ecce, afferunt Angeli cibos: deerat vinum, jubet Fratrem nihilominùs promere, reperiuntur omnia plena vino.

Fuerunt aliqui ita obſtinati in odiis, ut nec moriendo illa vellent remittere, ille ante mortem ſuos oſculatus Fratres. Fuit negligentia in fide defendenda, ille, cùm prodiiſſent hæretici cum centum millibus armatorum in campum, aſſumptis cum Simone Monfortio bis mille Catholicis ita fortiter egit, ut viginti millia ceciderint hæreticorum. Et iſte eſt modus præſtantiſſimus charitatem accendendi dare exempla charitatis. Abundabat Sanctus unâ planè Divinâ eloquentiâ, ſed ſemper exempla fortiùs movent quàm verba. Baſil. Conſtit. cap. 22. *Qui pervertit exemplo alios, ad imitationem flagitiorum inſtigat.* Similiter qui exemplo ad bonum incitat, inſtigat. Oſtendit manus & pedes ſuos Chriſtus diſcipulis, tandem poſtea miſit ad prædicationem. De Concionibus Sancti illud ſolùm dicam: *Erant verba ejus facula ardens.* Nullum cor ita durum quod non emolliverit, nullum ita frigidum quod non calefecerit, ita congelatum quod non ſolverit. Ingens hujus rei copia eſt exemplorum. Hinc jam intelligere poſſumus quid ſibi velit Brixienſis Epiſcopi viſio dum S. Dominicus moreretur. Vidit ille duas ſcalas ad cœlum pertingentes, unius caput tenebat Chriſtus, alterius B. Virgo, & Sanctus cœlum aureâ coronâ intrabat coronatus. Dixerat olim S. Paulus de ſuis diſcipulis. *Vos eſtis corona mea.* Corona S. Dominici quàm pretioſa Hyacinthus, Antoninus, Vincentius, Thomas de Aquino, Raymundus, Albertus Magnus, Petrus Martyr, &c. Catharina Senenſis, Roſa Peruana, &c. Aurea corona quia plena charitatis, quam S. Scriptura vocat aurum; fulgentiſſima, quia radiis ejus lucet orbis. Duplex ſcala eſt, non tantùm ideò quia Ordo S. Dominici vitam & contemplativam & activam continet; ſed quia partim more ſui Patris orbem illuminat, partim accendit. Hic hæreſes, hîc Ethniciſmum, hîc Judaiſmum, ut tenebras pellit; hic Fidei Sanctæ aſſidet,

en.

ne aliquando *lumen fiat tenebræ.* Ab altera parte exemplis & verbo frigeſcentem mundum inflammat. Sunt ad capita ſcalarum Chriſtus & B. Virgo, quia dum verè imitatur Chriſtum in illuminando, B. Virginis cultum acerrimè promovet. Verè *lucerna ardens & lucens.*

In Dedicatione B. M. ad Nives. CONCIO.

Beatus venter qui te portavit; Beata ubera quæ te lactaverunt. Lucæ 11.

QUæcunque hæc fuerit mulier quæ iſta dixit, fuiſſe putant Marcellam Magdalenæ pediſſequam, & fortiſſima & ſapientiſſima fuit. Fortitudo patet, quia cùm Sacerdotes Judæorum detraherent Chriſto, & qui inter eos videbantur ſanctiores, videlicet Phariſæi, veneficum appellabant, *in Beelſebub ejicit dæmonia*, ſeſe oppoſuit. Sapientia patet, quia futuri erant hæretici prodromi Antichriſti, qui & Chriſtum & Matrem ejus erant blaſphematuri; hoc enim futurum ſcribit Apoc. 12. *Blaſphemavit nomen DEI & tabernaculum ejus.* Per tabernaculum S. Athanaſ. Methodius & alii, B. Virginem intelligunt, ita illis occurrit, & illa laudavit tali argumento B. Virginem ut omnia eorum ſolverit ſophiſmata; relictâ interim fortitudine, videamus hoc argumentum.

Argumentum hoc eſt. *Beatus venter*, &c. quod ita ſe habet. *Beatiùs eſt dare, quàm accipere*, ut dixit Æterna Sapientia, Act. 20. Beata Virgo plurimùm dedit Chriſto, cùm eſſet Mater & Nutrix ejus, ut homo plus homini dare non poſſit, quia Mater dat eſſe filio; nutriendo verò, dat meliùs eſſe & conſervat. DEUS verò liberalitate ſe vinci non patitur,

itaque dedit tantum quantum nemo dare matri vel educatrici potuit. Videamus quanta matribus boni filii fecerunt, quanta educatoribus itaque plus dedit, ac proinde gloria sua maximè implevit, super omnem creaturam exaltavit, sibi assidere fecit proximam, ejus verba pro plenis authoritate habet, contra ejus voluntatem non facit, quantum exornare juxta statum ejus potuit, exornavit, potestatem suam illi communicavit, omnia obtdientiæ illius subjecit, &c. &c. quia dicit DEUM esse beatiorem quàm creaturam; beatior verò, qui dat quàm qui accipit. Multò ergo plus illi dedit quàm illa ipsi, ut illius beatitudinem infinitè superant, infinitè & liberalitatem; itaque est Sanctissima, Beatissima, Regina Mundi; Regina Angelorum, &c. Et jam nihil contra hiscere potest vel Hæreticus, vel Antichristus. Superat igitur sapientia hujus mulieris, omnes laudatores Virginis qui laudant ex iis quæ B. Virgo accepit. Hic continetur laus Angeli, *Gratiâ plena*, hoc enim decuit ut Matri daret DEUS: continetur Elisabethæ, *Benedicta tu in mulieribus*; continetur alia quævis. Habuit hanc sapientiam S. Paulus; nam cùm laudarent illum, quia visiones, linguas, prophetiam, &c. habuit, quia Doctor Gentium esset; ille contrà. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. Laudes non curo; sed si laudandus essem, laudandus ab infirmitatibus, vinculis, contumeliis, verberibus, &c. quæ Christo dedi, cùm propter illum sustinuerim, inde enim quisque prudens inferret, quòd multò majora mihi DEUS reddiderit, quàm vos offeratis, cùm millies majora DEUS reddat quàm illi à Creatura dentur. Sed statim contra hunc meum discursum opponetis. Christus correxit mulierem cùm dixit. *Imò Beati qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud*. Sed hoc discursum hactenus factum non destruit, imò ampliùs extendit. Si enim Beata est Virgo, & ad multam erga illam effudit

effudit se liberalitatem: quia ab ea carnem & lac accepit, quæ sunt res materiales: multò majora in eam contulit propter virtutes, quæ res sunt spirituales & in se digniores qua sic in se considerata caro & lac. Inter has virtutes obedientia est tanta, ut de illa sit dictum. *Melior est obedientia quàm victimæ*, quia per victimas caro animalium datur DEO; at per obedientiam anima hominis, imò pars animæ nobilissima, scil. voluntas. Mater mea perfectissimè mihi obedit, & verba mea custodit, propterea non solùm dat mihi carnem suam & lac, sed jam animam; quare si propter carnem & lac tanta illi dedi, quid non dabo propter datam mihi animam, cùm & hoc ipsum quòd sit mea mater, quòd mihi carnem & lac dederit, contulerim ipsi propter hoc; quia mihi suam antè dederat animam, suâ voluntate relictâ meæ me conformando. *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et quia audit verba mea, novo modo efficitur Mater mea. *Qui facit voluntatem Patris mei, hic est Mater mea & fratres mei.* Mater mea, quia me in se gignit modo mystico, quo sensu dixit Paulus. *Filioli mei quos iterum parturio donec in vobis formetur Christus.* Nascitur enim & formatur Christus in auditore & factore Verbi DEI, & formatur ad justam staturam *Fratres* sunt, quia juvant Christum pugnantem contra hostem, dum ejus verbi complent opus. Fratres sunt, quia Christus ex DEO, *& qui audit Verbum DEI, ex DEO est.* Jam si B. Virgo novo modo est Mater & Soror Christi, & auxiliatrix, dat Christo de novo: & Christus dat illi de novo. Et hic iterum gratulemur illi. *Beatus venter, beata ubera.*

Inter dona quæ dedit Matri numero hodiernam nivem. At quale hoc munus. Non vilipendite priusquam explicem rei seriem. *Legatur historia ut est in Breviario.* An res parva naturas rerum mutare, nivem in magno æstu demittere

tere, in majori conservare, quid sibi velit per nivem explico. Nivem dedit. Peccator David de se dicit. *Super nivem dealbabor.* Matri suæ dedit peccatores ad dealbandum. O quot quantosque dealbavit, ad contritionem, pœnitentiam, &c. adduxit. Cooperata es mihi Mater contra hostem dando velut cataphracturam, carnem in qua illum vincerem, & ego te faciam cooperatricem in conversione peccatorum, quod certè majus est quàm si illam assumpsisset in cooperatricem Creationis cœli. Dedit illi nivem, sed hoc significat potestatem extinguendi æstum libidinis. Dum Virgo B. viveret, nemo illam aspexit quin castus evaserit; nemo invocat modò, quin in hoc æstu sentiat refrigerium. *Vide Prophetissam nostram.* Dedit nivem, & hoc est signum quòd ad suæ sapientiæ mysteria admiserit, ad suos thesauros inspiciendos. Job. 33. *Nunquid ingressus es thesauros nivis?* In thesauris servat causas nivium, ventorum, & aliorum quæ in aëre nascuntur, causas ventorum veras ignoramus, probabiles conjicimus. Ps. 134. *Qui profert ventos de thesauris suis.* Illa dedit suum intellectum DEO. *Quomodo fiet istud? virum non cognosco. Fiat mihi secundùm verbum tuum.* At ille dedit Sapientiam, ut sit *Mater Sapientiæ*, ut Albertos Magnos, Scotos, Hermannos, &c. pariat sapientes. Dedit nivem, ergò dedit potestatem regna defendendi eo modo quo ipse defendit per similia Meteora, 1. Reg. 12. &c. Et Exod. 9. & Psal. 104. & Josue 10. & Isai. 30. Dedit nivem, ergo ut nos vestiat, tegat. Ps. 147. *Qui dat nivem sicut lanam.* Nix tegit in terra omnes sordes, illa oratione suâ in peccatoribus. Dedit nivem, ergo illam fecit præsidium contra famem. Isai. 55. *Nix inebriat & infundit terram, & facit eam germinare.* Dedit nivem, ergo auxilium contra siccitates. Zach. 13. *Petite pluviam à Domino in tempore opportuno, & Dominus faciet nives*; refrigerabit veluti nive potum, in æstu terram.

ram. Et fiet, Prov. 25. *sicut frigus nivis in die messis.* Dedit alia innumera, & omnia in bonum nostrum. Sed ut de illis participemus, audiamus illius ipsius consilium. Eccl. 24. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Transite; ex indevotis fiatis devoti ut ego, ex impuris casti ut ego, &c. *Transite ad me.* In necessitatibus vestris non ad mendacia, perjuria, maledicta, maleficia; sed ad me transite. *Implemini generationibus meis*, dabo vobis fructus quos percepi ex maternitate tam materiali quàm mystica.

In Transfiguratione Domini. CONCIO.

Transfiguratus est coram eis. Matt. 17.

PLanè ita nobis accidit ut pueris famelicis & sitientibus, qui vilissima quæque vorant, atque etiam noxia. Pater ubi advertit, deducit illos ad bonum jentaculum, comedite antequam detur prandium. In hoc mundo famemus, inquietum cor nostrum, vertimus nos ad opes, honores, imò ad vindictam, &c. Christus hodie ducit in Thabor, ostendit bona corporis vera, quibus priusquam detur prandium bonorum animæ in cœlo, accumbite, ego distribuam hoc jentaculum.

Prandium nostrum sive cœna quæ per totam æternitatem durabit, à nobis intelligi multò minùs potest quàm dulcedo Musicæ à surdo percipi, nihil in intellectu quod non prius fuerit in sensu, nec in surdi aure Musica, nec in nostro oculo visio benefica DEI, tamen surdo solùm deest naturalis auditus, nobis supernaturale lumen gloriæ veluti nova potentia addi debet. Illa beat animam quæ beatitudo etiam

in corpus redundat, & hujus effectus, id est, dotes corporis glorificati faciliùs in hac vita capere possumus; & instar jentaculi nobis Christus ostendit, ut interim illis nos solemur. Sunt verò tantæ, etsi respectu visionis DEI sunt minimæ, ut Petrus illis visis extra se quasi factus, & nesciens an id diceret, voluerit tabernacula extruere, ut è spectaculo illarum nunquam abiret. Est enim illa satietas corporis quæ non timet famem, illa sanitas quæ morbum non timet, illa subtilitas quam carcer & vincula non concludent. 3. Reg. 11. *Regnabis super omnia quæ desiderat anima tua.* Desiderabis pulchritudinem corporis, ecce habebis claritatem: desiderabis sanitatem, ecce est impatibile; desiderabis libertatem, ecce est subtile, omnia illi patent: desiderabis quò voles ire, videre, ecce agilitas. Has dotes corporis innuit nobis, 1. Cor. 15. *Seminatur* cùm terræ mandatur corpus nostrum *in ignobilitate*, corruptioni, obscuritati subjectum, *surget in gloriâ*, erit clarum incorruptibile. *Seminatur in infirmitate*, fatigatur ambulando, *surget in virtute*, cùm habebit agilitatem. *Seminatur animale*, *surget spirituale*, cùm veluti spiritus propter subtilitatem omnia penetrabit. Et de claritate rursus Sap. 2. *Fulgebunt justi.*

Fulgebunt, ecce in Christo exemplum. Facies *ejus refulsit ut Sol.* Sole nihil pulchrius, hinc claritati adnectitur pulchritudo. Sol post finem mundi septuplò erit clarior; quanta erit pulchritudo? Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ*, vilitatis, *configuratum corpori claritatis suæ.* Ille *speciosus formâ præ filiis hominum*, & nos erimus, plus quàm Jonathas aut Absalon. Exibimus ex hac vilitate nostra sicut Asuveri sponsæ: & quia pulchritudo recreat videntem, inter cætera verò præmia erit, vide corpus alterius gloriosum, tanta erit pulchritudo, ut eam videre sit magni alicujus laboris justum præmium.

nium. Et quia anima transibit quodammodo in similitudinem DEI, qui est fons omnis pulchritudinis, & mare, & ex quo omnia pulchra sumunt ut sint pulchra: corpus verò assimilabit se animæ. O quàm pulchrum erit! Lucent in hoc mundo justi exemplis. Prov. 5. *Justorum via sicut lux splendet, & crescit usque ad perfectam diem.* In terra splendet, ibi lucet ut perfecta dies, seu meridies. De agilitate August. 12. Civit. 30. *Ubi volet spiritus, protinùs corpus erit*; quia quò sanius corpus velociùs movetur, ibi erit sanissimum. Sap. 2. *Sicut scintillæ in arundineto discurrent*; modò, *corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Ezech. 1. *Animalia ibant in similitudinem fulguris.* Hieronymus in hunc locum. *Animalia quatuor sunt elementa, ex quibus componimur.* Jam ista currunt ut fulgur. Aderit subtilitas quâ omnia penetrabimus; & quia penetrabimus non solùm corticem rerum, sed intima, etiam videbimus. Isai. 40. *Assument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient.* Nihil erit quod volatum nostræ agilitatis possit sistere. Impassibilitas nihil adversi permittet sentire, etiamsi per medium transiremus infernum. August. 13. Civit. 23. *Fiet spirituale corpus quia subdetur spiritui usque ad immortalitatem.* Quo modo subjicietur? quia vincet anima, & suas leges jubebit sequi; sicut vincit vinum generosum aquam sibi mixtam. Agilitas corporis major erit quàm sagittæ, imò quàm astrorum quæ una horâ millia milliarium percurrunt. Sicut modò ubi volumus statim sumus per imaginationem: ita tunc corpore. Subtilius erit quàm lux quæ vitrum, quia corpus gloriosum etiam metalla quævis transit, nullo claudi potest. Sicut Christus ad discipulos intravit per clausam januam. Impassibiles erimus, nec igne uri, neque gladio secari poterimus. Claritas tanta, ut si loco Solis poneremur, magis quàm Sol illuminaremus. Agilitas datur pro victoria acediæ, impatibilitas pro patientia, sub-

tilitas pro abstinentia, charitas pro perseverantia in bono.

Sed quid nos juvabit ad has virtutes per quas dictas consequemur dotes. 1. Ascendamus in montem Thabor, Ps. 88. *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Hi duo montes junguntur cum monte Calvario, ut scribit Joseph. Consideremus quâ alacritate pro nobis in Calvaria Christus passus, nam & in Thabor hodie loquitur de excessu, & vincemus acediam, qui DEI excessus in amore, quis noster in peccatis? Ascendamus in montem, de monte non solùm proxima, sed etiam remota videntur; non solùm spectemus quod *est*, sed etiam quod *erit*. Ita Petrus fecit cùm dixit: *Ecce reliquimus omnia quid erit nobis*? Prospiciamus quod præmium erit, quæ pœna. 2. Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, præsens seu *est*, momentaneum est; quod *erit* æternum est. Divitiæ, Matth. 13. *fallaces*, 1. Tim. 6. *incertæ*; Luc. 6. *iniquæ.* Sic armabimur patientiâ. Sed quidam aspiciunt, *essem.* Laicus dicit, si essem Sacerdos, ita & ita viverem: Sacerdos, si essem Prælatus: Miles, si essem Monachus. Fac hoc quod es, & specta quid erit. Ascende in montem, & vide Moysen & Eliam, quid meruerint jejunio dierum quadraginta, & voles esse abstinens. Ascende ad orandum, pete in bono perseverantiam. 1. Cor. 3. *Nos revelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem gloriam transformamur.* Speculemur gloriam DEI, cùm aspicicimus speculum, nostra est imago in speculo: sed cùm DEUM, DEUS fit in nobis novo modo præsens, & nos ut domum suam exornat. Isai. 58. *Implevit splendoribus animam tuam quasi hortus irriguus.* Hinc de anima dici potest, Cant. 4. *Pulchra ut Luna.* Tamen pulchritudinem sumit à Sole Luna, & maximè in plenilunio pulchra, quia directè aspicit Solem. Sed plures sunt qui conscendunt non Thabor, sed montem Seir; volunt esse beati, sed

ſed quaſi joco, cùm alia faciant omnia. Iſai. 21. *Ad me clamas ex Seir. Cuſtos quid nocte? Cuſtos quid de nocte?* Sed quid lucrantur? *Dixit cuſtos, venit manè, & nox.* Pro non ſeriis redduntur non ſeria, quis enim neſcit quòd poſt diem veniat nox? Idcircò ut ibid. *Si quæritis, quærite: convertimini & venite.* Jer. 14. *Homo de domo Iſraël, qui ſcandalum iniquitatis poſuerit contra me, & venerit ad Prophetam* non ſincero corde, *ut interroget me per eum. Propheta cùm erraverit, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Hinc fit ut DEUS permittat, ut nos nobis perverſa dictamina formemus. Hoc non eſt peccatum. Sacerdotes exaggerunt infernum. Si eleemoſynam dedero pauper evadam: ſi reſtituero, filii mei mendicabunt, &c. Et ita ut eſt in Pſal. *Ibunt in adinventionibus ſuis.*

In Feſto S. Laurentii. Mart. CONCIO.

Niſi granum frumenti cadens in terram, &c. Joan. 12.

NOn eſt ambigendum quòd Martyres ſint grana. Nam S. Ignatius M. de ſe: *Frumentum Chriſti ſum*, &c. Sed in terra non eſt ſeminatus S. Laurentius, verùm in igne, quis fructus ſperari poteſt? Tulit certè magnos fructus, quia illos deprædicant Itali: S. Leo, Maximus, Ambroſius, Africanus, S. Aug. Græci: Nazianz. Chryſoſt. Igitur cùm granum frumenti non fructificet niſi in terra, ignis pro terra fuit Laurentio, de quo ampliùs dicam.

An ignis in terram verti poſſit, diſputant Philoſophi, Laurentio ignis eſt terra, quia ibi eſt terra viro forti ubi habet adverſarium. Mater Sancti habuit nomen *Patientia*, ut ſcribit

Ribadeneira in vita S. Laur. Patientiæ filio ibi locus ubi maximè viget, nam quia piſcis in aqua, avis in aëre, gramen in terra viget maximè, illorum locus proprius hæc ſunt elementa, illis gaudent. Sanctus hic natus Cæſarauguſtæ, factus Romæ Cardinalis. Seminatur à DEO in igne. Sap. 3. *Tanquam aurum in fornace probavit electos*, Job. 23. *Probavit me quaſi aurum quod per ignem tranſit.* Ibi expertus quos ferat fructus. Cùm apparuit in curru igneo Elias, tum Eliſæo duplicem ſpiritum protulit. Ardebat jam antea interno igne Laurentius, *Diſperſit, dedit pauperibus, &c.* Et factum eſt quod Iſai. 58. *Anteibit faciem tuam miſericordia, & colliget te gloria.* Miſericors in pauperes ad gloriam tranſit. Ita in lege victimæ quæ in craticula uri debebant, ungebantur oleo, quod ſignificat miſericordiam. Ponitur ergo Sanctus in igne, & ut ille rubus Moyſi DEUM profert. Cùm nos afflictio corripit, lamentamur ut Rachel, quæ cùm in doloribus parit filium, appellat filium doloris, id eſt, filium dexteræ. Gen. 35. Putamus quòd ad ſiniſtram ſimus, cùm in calamitate vivimus, in dextra ſumus. Benedictio datur nobis ſicut à Joſepho decuſſatis manibus, ubi putamus ſiniſtram, ibi eſt dextra. Abac. 3. *Fluvios ſcindes terræ.* Hieron. explicat, ſcindit per terræ motum, & ecce fluvius qui erat ſupra terram, ad abyſſum abit, qui erat infra terram eſt ſupra, cùm ſcindit DEUS fortunas, credimus perire, interea meliores emergunt.

Diſpenſabat opes S. Laurentius, nam eum S. Sixtus ſive Xiſtus Papa cùm eundo ad Concilium Toletanum tranſiret Cæſarauguſtam, ob famam virtutum tranſtulit Romam, fecit Cardinalem Diaconum. Fuit tum Imperator Chriſtianus Philippus, qui magnas contulit Eccleſiæ opes; ſed ejus ſucceſſor Decius hoſtis Chriſtianorum, omnia eripere conſtituit, quod futurum proſpiciens Sanctus, diſperſit inter pauperes. *Bonum*

opus

opus operatus, &c, Emit cœlum sibi, quæ erat amissurus in cœlum transtulit. Sed hoc granum nondum fructificat DEUM. Accedunt tormenta, Decius cùm videt se delusum suâ spe, incipit eò magis odisse fidem Christianam, quâ impulsus Laurentius opes distribuit, & eam tanquam crimem summum objicit Laurentio, & in obscurum carcerem projicit. Jam est granum intra terram, sed non hic locus ejus. Deinde ita carcere, fame ac siti fatigatum interrogat Decius, an velit Diis sacrificare, renuentem jubet fustibus contundi. Jam hic ad fructum paratus Sanctus, quia quædam semina priusquam inferantur, contunduntur. Tertiò ponitur in eculeo, & scorpionibus laceratur, in quo tormento cùm se putat moriturum, vox de cœlo auditur. *Adhuc multa tibi debentur certamina*, quod ipsum paulò ante prædixerat S. Xystus. *Majora tibi debentur*, &c. Cum nimirum Laurentius optabat cum Xysto collum subjicere gladio. Quartò, jubet Decius ad latera candentes laminas apponi, jam amplius granum ad inferendum paratur, sicut quædam semina prius certo liquore disponuntur. Quintò, Decius jubet plumbatis gravissimè cædi, ecce iterum granum contunditur ut feraciùs evadat. Sextò, pectinibus ferreis laceratur; & jam adest Angelus de cœlo qui spe fructûs solatur, & eum prædicit. Septimò, sine potu & cibo tetruditur in carcerem, hic granum toties madefactum siccatur. Octavò, in craticula deponitur; hic jam DEUM profert. *Gratias ago tibi Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Hic rubus ardens incombustus. *Assatum est jam, versa, manduca.*

De hoc rubo dici potest. *Locus iste sanctus est.* Plenus est igne charitatis DEI. Amor est maximus DEI, cùm propter DEUM quæcunque nobis dulcissima sunt contemnimus, ut Sanctus contempsit opes, honores, vitam denique quâ nihil

nihil eſt carius. Eſt in hoc loco rubus durus, fortitudo, quæ tantò major eſt, quantò circa difficiliora verſatur; quæ verò difficiliora poſſunt his eſſe quæ iſte vincit; Alii fortitudinem circa res ſuas oſtenderunt: Job ſuſtinuit damna rerum, ſanitatis, ſed vita illi non eſt ablata: Fortitudinem commendat, ſi quis adverſa hilariter ſuſtineat. Sànctus illa quæſivit, deſideravit, dixit enim Xyſto cùm ille ad Martyrium raperetur: *Cur me deſeris Pater*, &c. *Experire, utrum idoneum miniſtrum elegeris*, &c. Fortitudinem commendat ſi plura quis perferat, quot pertulit Laurentius? Eſt prudentia, *pellem pro pelle dabit homo*; dedit corpus pro anima, elegit momentaneum quod cruciat, ut poſſideret æternum quod delectat; tranſiit intra paucos dies cruciatus, durat gaudium jam per mille ampliùs annos, & durabit abſque fine. Eſt hìc juſtitia, dedit prior pro nobis vitam Chriſtus, juſtum eſt ut noſtram quando res poſcit pro illo demus. Ex hoc rubo invitamur, ut nos à ſervitute Pharaonis liberemur, & ad terram promiſſionis eamus. Imitemur Sanctum, *ille januas coeli ingreſſus*, reliquit veſtigia quibus inſiſtamus. Fuit coelum, ſi non peccaviſſemus, apertum; modò violenti rapiunt illud, fuit inſtar horti patens, modò urbs clauſa muris. *Cœleſtis urbs Jeruſalem*, &c. Fuit hæreditas poſt Baptiſmum, poſt peccatum eſt denarius tolerantium pondus diei ac æſtûs. Deſcribit Pſ. 38. cœlum. *Quàm dilecta tabernacula tua?* &c. Sed videte hujus Pſalmi titulum. *In finem pro torcularibus filii Core* ſtatim torcularium fit mentio, ſtatim *Core* per quod Caſſiod. vult ſignificari montem Calvariæ. Non deeſt & nobis Martyrii occaſio, & ſine ſanguine peragi poterit. Auguſtinus ſerm. 60. ad Fratres. *Si imitabimur* ſequendo Laurentium, *iracundiam mitigare, libidinem frangere, juſtitiam cuſtodire, cupiditates contemnere, pars magna eſt Martyrii.* Duo enim ſunt in Martyrio,

tyrio, & pati propter DEUM, & hoc est præcipuum; nam ut Aug. in Psal. 38. Causa facit non pœna Martyrem: & pati usque ad mortem. Hoc sensu Greg. hom. 39. *Injurias tolerare, inimicos diligere, secretum est Martyrium.* Volumus aliquid lenius? & hoc à Sancto discere poterimus. *Dispersit, dedit*, Gregor. hom. 5. *Regnum DEI tantum valet quantum habes*: da tantum, & regnum accipis. Chrysost. hom. 9. de pœnit. *Da panem, & accipe cœlum.* Si diceretur: da panem, accipe civitatem, plus est regnum cœli. Si diceretur: da panem, & trecentis annis vives. Cur ita vile cœlum? Cur non æstimantur inferni supplicia, nec tantum quidem dare volumus, ut nos ab illis exolvamus, quantum aliquis dat canibus, muribus, &c. Illo Aug. in Ps. 42. concludo. *Si panem dideris tristis, & panem & meritum perdis.*

In Festo S. Claræ Virginis. CONCIO.

Simile est regnum cœlorum, &c. Matt. 25.

Multas laudes tribuunt Virginitati SS. Patres, ut est videre in lectionibus secundi nocturni pro Virginibus; & ipsa laus magna, quia dum Festum occurrit de S. Virgine & Martyre, totum officium est de Virginitate. Sed laudari magis non potuit, quàm dum cœlum comparatur Virginibus non solùm prudentibus, sed etiam fatuis, ut advertit S. Chrysost. Videamus quàm sit res excellens Virginitas, si tamen illi desit Charitas, quàm sit nulla, & qualiter utrumque conjunxerit.

In tanta fuisse æstimatione apud Romanos Virginitatem Vestalium, scribit S. Hieron. ut & Consules & Imperatores triumphantes, *& omnis dignitatis gradus eis de via cedere*

solitus sit. Si reo Virgo vestalis occurrisset, à quovis crimine absolvebatur. *Simile est regnum cœlorum decem Virginibus.* Quid majus pro cœlo facerent? dum Psal. 77. exaggerat calamitates populi sui, tanquam summam ponit. *Virgines eorum non sunt lamentatæ*, id est, cædes earum nemo luxit. Genebrard. *Non deplorabantur eò, quòd singuli in suis calamitatibus deplorandis essent occupati.* Sed cur non ponit mortem potiùs non deploratum, Sacerdotum, Senatûs, &c. Ostendit quòd fuerit summa calamitas, quando ne Virgines quidem deplorari poterant, quæ in maxima erant æstimatione. Sed utique etiam idem dicit de viduis. *Et viduæ eorum non plorabantur?* Non idem, quia de viduis dicit non plorabant, de Virginibus autem quòd non fuerint lamenta in morte earum. Hebræa vox sonat, quòd non fuerit *ululatus*. Alii legunt, quòd non fuerint *illarum dictæ laudes.* Ecclesia ita æstimat Virginitatem, ut cum Festo Christi nati eam jungat, Stephanus, Joannes, innocentes omnes fuerunt Virgines. Ipse DEUS cùm hostes exscindi jubet, excipit. *Virgines servate vobis.* Sed supra omnia, *Simile est regnum cœlorum.* Ergo & Virginitas illi similis, & quale illud est talis illa. Ergo summum est opus DEI inter visibilia, summè ornatum, maximè à terra distans. In cœlo DEUS ostendit gloriam suam, &c. Dum enim non exprimit in quo sit simile, multa opinari permittit. Discat hinc Virgo quomodo agere debeat, cœlum semper laudat DEUM Ps. *Cœli enarrant gloriam DEI.* Non mittit literulas, &c. æstiment se virgines. Ambr. libro 2. de Virginib. *Thecla leoni est objecta, sed adorabat prædam suam bellua, & naturam induerat quam homines amiserant. Et osculans virginis pedes, docuit quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut illam etiam leones admirentur. Docuerunt religionem dum adorant Martyrem. Docuerunt & castitatem, dum Virgini, demersis in terram oculis plantas oscu-*

oscularentur tanquam verecundantes virginem videre. Non curent placere ulli nisi DEO. Cypr. lib. de bono pudicitiæ. *Pudicitia benè sibi conscia de pulchritudine, tunc se magis pulchram sentit, si improbis non placet; & ipsa sibi decus, ornamentum nullum præter se sibi quærit. Venerabilis etiam hostibus suis, dum illam multò magis mirantur, qui eam expugnare non possunt.* In quo autem consistat Virginitas, docet S. Th. quodlibeto 9. quæst. 10. *Ad veram virginitatem duo concurrunt, materiale & formale. Materiale est privatio omnis delectationis. Formale verò, propositum nunquam experiendi delectationes carnis.* Et hoc deficit in illis quæ aliquando volunt nubere, & ideò laureolam non consequuntur. Videamus quàm Sancta exactè hanc observaverit virtutem, &c. Alies etiam ad eandem traxit; laudabat sororibus, præcavebat. Utebatur sæpè monitis instar S. Ambros. libro 1. de Virginib. *Digna sanè virginitas ut apibus comparetur, sit laboriosa, sit pudica, sit continens. Rore pascitur apis, & de suo cibo mella componit. Ros Virginis est sermo DEI, mel fœtus labiorum. Imitare soror apiculam, cui cibus ros est; Verba tua pura & plena gravitatis sint, meritorum quoque tuorum æterna tibi posteritas tuo ore pariatur. Sume alas, sed Spiritûs, ut supervoles, si contingere cupis Christum; amat ille gigni in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet invenit, mori potiùs quàm violari parata.*

Assimilat Christus Virginibus cœlum, sed non quomodocunque consideratum, sed ut regnum. Debet cogitationes Virgo habere sublimes, Regias. Psal. 44. *Adducentur Regi Virgines post eam.* Debet imitari B. Virginem, de rebus terrenis non esse sollicita. Ita S. Clara dum esset in periculo suum monasterium, solùm de conservanda suarum sororum Virginitate fuit sollicita. Regnum est tanti pretii virginitas, ut dixerit Eccl. 26. *Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Virgo enim est Sponsa Christi. 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro*

Virginem castam exhibere Christo. Sponsus verò cum Sponsa sunt unum juxta illud, 1. Cor. 6. *Erunt duo in carne una.* Hoc ipsum indicavit Philo Hebræus ubi vocat, *DEUM virum, non Virginum, sed Virginitatis.* Hoc etiam in Apoc. 14. voce masculinâ Virgines exprimuntur. *Hi sunt qui sequuntur Agnum*; quia non solùm puellarum, sed & masculorum est Sponsus, id est Virginitatis, sive in his sive in illis.

Sed si Virginitati desit charitas, quæ consistit in absentia omnis peccati mortalis, quam sequitur gratia, nihil est; dicitur, *Nescio vos*, scilicet ut S. Th. explicat, *scientiâ approbationis.* Sicut dicimus malo servo: Nescio te, abnego te. Non satis cantare in choro, aut à mundo separari, recludi. Non cognoscit Sponsus ex voce, etsi dicant: *Domine, Domine.* Cant. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Prius facies ostendenda. In multis est vox Jacob, sed manus Esau. Verum quidem quod S. Th. in 4. dist. 35. art. 3. *Virginitas supremum sibi decorem vendicat.* Et quòd, dum continentia conjugalis trigesimum, vidualis sexagesimum affert fructum, Virginitas afferat centesimum. Sed debet illi adjungi amor DEI. Hieron. ad sacras Virgines. *O felix Virgo in cujus corde, præter amorem Christi nullus alius versatur amor.* Quare si non habeat amorem DEI, si non sit in ejus gratia, nihil est. 2. Corinth. 15. *Gratiâ autem DEI sum id quod sum*, aliàs pro nihilo habet DEUS, *Nescio vos*, ut nos id quod non est. Sine gratia DEI Paulus, etsi Apostolus, etsi Doctor Gentium, Virgo, Martyr, nisi fuisset; sine gratia hæc omnia nihil. Irrideretur à Sanctis à quibus petiisset oleum. *Ite potiùs ad vendantes*, &c. Procuravit Sancta hanc gratiam omni studio, puram animam à peccato exhibuit. Ambros. *Quid prodest mundum habere corpus, & animam pollutam?* augere conata hanc gratiam, dando omnia DEO per voluntariam paupertatem quæ habuit

buit, dando corpus per votum castitatis, dando animam per votum obedientiæ, &c.

Quare similis est in gloria regno cœlorum. Quot ejus Moniales tot stellæ, & inter has sunt aliæ, ut Sol, Luna, &c. Ezech. 15. *Calceabo te hyacintho.* Hæc est gemma cœlestis coloris; hi sunt sui calcei. Cant. 7. *Comæ tuæ sicut purpura Regis juncta canalibus.* Quæ modò tantùm exivit à tinctura. Cogitationes tuæ versæ sunt tibi in purpuram. Sponsus tuus Rex, itaque tu Regina, multum apud Regem tuum potes, dic pro nobis verbum, &c.

In Assumptione B. M. V. CONCIO.

Optimam partem elegit MARIA.

Lucæ 10.

CUm Ecclesia nihil habeat in Scriptura de Assumptione B. Virginis; nam Evangelistæ toti fuerunt in tradenda Christi natura & doctrina, quod extra ista est, omittebant. Accommodat hoc Evangelium Festo hodierno, quia B. Virgini maximè convenit. *Venit JESUS in castellum*; venit in uterum, *excepit illum mulier:* concepit B. Virgo. *Sedebat ad pedes Domini.* B. Virgo conservabat omnia verba Christi in corde suo. Hodiernæ diei servit, *optimam partem elegit*, ubi sunt duo, *elegit*, & *optimam partem.* Hæc quomodo præsenti Festo conveniant, audite.

Eligere assumptionem non potuit nisi præviâ morte, itaque mortem elegit, sed quomodo? Christus elegit mortem, Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, quia *mors intravit per peccatum*, quod in Christo locum non habuit, sed etiam B. Virgo fuit ab originali peccato præservata. Aliud est de nobis,

in quos redundavit, *in quacunque hora comederis, morte morieris.* Unde eligere non possumus vivere vel mori. Aug. serm. 4. de Assumpt. *Putredo & vermis est opprobrium humanæ naturæ, à quo cum JESUS sit alienus, MARIA excipitur.* Sed quidquid sit de hac quæstione, an scilicet si Adam non peccavisset, mori deberemus spectatis nostris corporibus, in quibus continuè pugnat calidum cum frigido, humidum cum sicco, & se conficiunt? An verò fuissemus immortales? In Paradiso ut docet S. Th. 1. p. q. 97. art. 1. Inerat vis animæ corpus ab omni noxia qualitate præservare. Excitat. verbis Aug. solùm hoc, quòd non putruissent cadavera, nos in vermem fuissent versa, non autem quòd non moreremur. Sed quidquid sit hac de re, sive B. Virgo debuit tandem aliquando mori, sive non: mortem elegit, audiamus quomodo id factum. Misit Dominus ad Virginem S. Gabrielem Angelum cum palma (*vide copiosiùs in mea Prophetissa*) denuntiando ut ex hac vita discedat; illa in amorem DEI effusa, eodem amore, ut docet Alb. M. in Martiali, & Victorinus Afer. Sicut aliquando contigit aliquos ex nimio animi dolore mori. Omnes in B. Virgine fuerunt actus meritorii, itaque liberi. Habuit etiam ne quidquam ageret imprudenter, ac proinde ne quid tale, ex quo vitæ grave damnum inferret, igitur cùm Christus per Angelum obtulit illi mortem, & illa talem elicuit actum amoris ex quo mortem sequi fuit necesse, mortem elegit.

Optimam partem elegit. Nos ad diem judicii ultimi resurrectionem expectamus, illâ tertiâ die resuscitata. Nos imitamur Adamum, illa Christum. Fracta mors à Christo, ut ait Damasc. Hanc *tantùm aspiciens extimuit, ejus enim Filium aggressa, didicit ex iis quæ passa est.* Assumitur Virgo ad cœlum, & sicut Gerson dicit, omnes animas ex purgatorio secum ducit, ibi coronatur juxta illud Cant. *Veni coronaberis.* Hæc assumptio fuit

fuit præmium virtutum, quomodo ergo libera cùm sit in arbitrio dantis præmium, quomodo illa ut optimam partem elegit? Hoc modo, quia merita tanta contulit, ut illis tantus honor deberetur. Magnus honos & qui nulli alteri post Christum contigit, expectat millibus annorum Moyses gloriam corporis, expectat Joannes Bapt. expectant Apostoli; at B. Virgo tertiâ die illam obtinuit. Sed nullus etiam Sanctus post Christum majora merita habet. Nemo inprimis Sanctorum eo momento quo in utero conceptus fuit, statim sanctus, sola id B. Virgo habuit quòd ab illo primo instanti vitæ cœpit parfectissimè DEO servire. Sola ita humilis ut nullus unquam Sanctus, quia ut Bernardin. tom. 2. serm. 51. artic. 3. *Nulli alicui creaturæ in hoc sæculo datum est tantùm gustare nihilum creaturæ quantum Virgini huic.* Scimus nos esse de nihilo, degustamus hoc aliquomodo nihilum, ut cùm quis amittit visum, degustat visus nihilum, sed nihilum sui nemo potest nisi factus nihil, et jam tum non erit qui degustet. Dicimus nos esse nihil, & tamen sic agimus atque si essemus maximum aliquid; si nihil sumus, quid contemni nolumus, contumeliis turbamur? Certè his non movetur nihilum, nulli resistit, nulli contradicit. Alb. M. serm. 31. de SS. vocat Virginem S. *Divinâ contemplatione eminentissimam.* Ad contemplationem tria concurrunt, ut colligitur ex August. lib. de Spiritu & Anima, cap. 32. Primum, perspicuâ veritatis agnitio, deinde jucunda ejusdem cognitæ admiratio, tum per Divinam inspirationem ejusdem perspicuæ veritatis inflammata dilectio. Cognitionem tantam haauit, ut ad Epiph de laud. Virg. dicta sit *Thronus Cherubicus propter multitudinem supermundanæ scientiæ ipsis Cherubinis superiorem*, amore plus ardens quàm Seraphim. Et hanc contemplationem ab instanti primo vitæ suæ exercuit (quod nullus Sanctorum) etiam somno non interrupit. Nemo San-

ctorum ſuis actibus tantum meruit. Bernardin. tom. 1. ſerm. 81. art. 3. c. 1. *Virgo B. in conceptionis Filii DEI conſenſu, plùs meruit quàm omnes creaturæ, tam Angeli quàm homines, in cunctis actibus, motibus, & cogitationibus ſuis.* Et rationem reddit: *Nam omnes qui meruerunt, nihil aliud mereri potuerunt, niſi ſecundùm varios ſtatus & gradus gratiam & gloriam ſempiternam. Hæc autem Virgo in illo admirando conſenſu, meruit totalem fomitis extinctionem, dominium ac primatum totius orbis, plenitudinem gratiarum, & dignitatem maternitatis.* Si aliquot verbis tantum meruit, quantum reliquâ totâ vitâ? Jam, quia ut docet S. Th. 3. p. q. 7. art. 10. In Matre DEI fuit gratia, ſive ſanctitas tantæ dignitati proportionata, dignitas verò Maternitatis Divinæ transcendebat non ſolùm Sanctorum omnium, ſed etiam Seraphinorum dignitatem, proinde & ſanctitas tranſcendebat omnes ſanctitates quæ in creatura rationali poſſunt inveniri. Alloquitur Chriſtus ſuam Matrem apud Rupert. in Cant. 4. *Odor ungventorum tuorum ſuper omnia aromata.* Nulla merita SS. ita DEO olent, imò plus eſt quod Germ. de Aſſumpt. *Omnia in nobis Divina dona ſupernaturalia ad Deiparam referenda ſunt, tanquam ad ſequeſtram quâ mediante illa obveniunt.* Hinc epiſt. hodierna. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Juxta Hieron. *Cades*, idem eſt quod ſanctitas, exaltata inter ſanctitates ut palma, omnes ſuperat, omnes vincit; illa palma, nos humiles myricæ. *Ab æterno ordinata ſum.* Itaque nata certo tempore? Explicat id Fulgent. *Tanta eſt pulchritudo ſanctitatis MARIÆ, ut vix æternitati commenſurari queat*, hoc eſt, ut opinor. Si aliquis ab æterno & in æternum viveret, & ſemper merita ac ſanctitatem cumularet, vix ſanctitatem S. Virgini adæquaret; & quia talis homo eſſet infinitus in ſanctitate, dicerem hanc ſanctitatem excedere noſtrum intellectum. Sed Anſel. de excell. V. cap. 5. dicit, *gratiam Mariæ excedere Angelicam cognitionem*

nem. His meritis ornata optimam partem elegit. Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumpt. *Sicut incomparabile eſt quod Virgo geſſit, & ineffabile donum quod percepit ita inæſtimabile atque imperceptibile præmium & gloria.*

Hæc hodie Virgo, hæc arca fœderis quæ in terra fuit ſub papilionibus jam templo infertur, jam Eſther noſtra coronatur, jam Judith redit Bethuliam. Moyſi olim dictum, *ſolve calceamenta*, non accede calceatus ad DEUM. Bern. depone *pellem mortuorum animalium.* B. Virgo intrat cum corpore. Alii ut equos relinquunt ante palatium. Iſai. 31. *Equi eorum caro*, illa tota intrat. O quis nobis occurſum filii & gaudia deſeriberet cœlitum? Deſeris nos Mater? non puto. Non fruſtra Marthæ laborantis in hoc Fvangelio eſt mentio, & in cœlo pro nobis laborabis. *Dic* S. Virgo, quod Geneſ. 12. à Sara ſua precatus Abraham, *quòd Soror noſtra ſis, ut benè ſit nobis propter te.* Legitur in libro Græcorum magnæ authoritatis, qui dicitur Horologium. Poſt Chriſti in cœlos abitum antequam dividerentur Apoſtoli in communi vivebant, & in menſa locum unum vacuum relinquebant pane etiam appoſito, velut ſi in eo Chriſtus eſſet ſeſſurus. Finitâ menſâ hunc panem elrvabant dicendo: Gloria tibi DEUS noſter, gloria tibi. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. Interim cùm in orbem fuiſſent diviſi ad prædicandum rurſus nubium vehiculo ad S. Virginem morituram ſunt advecti, cui perſolutâ ſepulturâ cùm ſe reficerent tertiâ die, & panem more ſolito elevarent, Angelorum choris circumdata in nube lucidiſſima S. Virgo ſublimis apparuit. *Avete, ego vobiſcum ſum omnibus diebus.* At illi. *Panagia*, hoc eſt omni modo Sancta, *Deipara adjuva nos.* Teneamus verbum, nobiſcum ſe promiſit futuram. Sed etiam memores ſimul illius juvenis, qui non erat ſolitus S. Virginem colere; illud prætendens, ſe ad id

non obligari; hic dum in aqua mergitur, invocat B. Virginem, at illa ipsi. *Tu me non obligabaris colere, nec ego te obligor à morte liberare.*

In Confraternitate B. M. Virginis assumptæ pro defunctis. CONCIO.

Optimam partem elegit. Lucæ 10.

COnvenistis A. R. DD. partim ut hoc congressu charitatem inter vos renovetis, & sic de vobis dici potest quòd sitis *congregati in Spiritu S.* accendet vos id ad omnem perfectionem, quia *charitas est vinculum perfectionis.* Accendet in vobis zelum, quia *misit Dominus binos discipulos*, &c. De quo Greg. homil. 17. *Binos mittit quatenus hoc nobis innuat, ut qui charitatem non habet, prædicationis officium suscipere nullatenus debet*, quod ut confirmetis *Matrem pulchræ dilectionis* adhibetis. Partim ut hanc defunctis Fratribus charitatem exhibeatis; & hoc sub patrocinio Virginis in cœlos assumptæ. Omnia prudenter, sed quòd Virginem assumptam in Patronam elegistis, *optimam partem* elegistis, quod ita ostendo.

Qui assumit Sacerdotium bonam partem eligit, quia fit similis B. Virgini, similitudo facit amorem. Hinc *omne animal simile sibi diligit.* Similitudinem ostendo ex B. Alberto M. super Missus. *Dicimus B. Virginem singulorum Ordinum digniùs & per excellentiam possedisse munus.* Et ita explicando singulos Ordines deducit. Exorcistæ, Gen. *Ipsa conteret caput tuum.* Ostiarii, Jer. 9. *Hæc porta clausa*, &c. *Princeps ingredietur per eam.* Lectoris, est Arca in qua lex servabatur. Acolythi cujus est ferre lumen; *Orietur stella ex Jacob*, illuminavit. Subdiaconi,

S. Bri-

S. Brigitta; *erat Magistra Apostolorum*, ab illa didicerunt Evangelistæ. Diaconi, porrexit hostiam Christo quam offerret, scilicet dedit illi corpus & sanguinem. Presbyteri est duplex munus: Offerre, & per verba facere præsentem in speciebus panis Christum; Illa etiam per verba, *Ecce ancilla Domini*, &c. fecit præsentem. Unde Remundus Eremita lib. de laud. B. V. *In Altaris sacrificium pulchram demisit similitudinem.* Alterum munus Saserdotis est mediare inter DEUM & homines. Legatum esse cum potestate. *Quorum dimiseritis peccata*, &c. Unde Paulus. *Legatione fungimur pro Christo.* De Virgine in hunc sensum Bernard. Mediatorem dedit Pater Filium, sed fortè & hunc times; est enim Judex, habet Mediatricem in qua sola est misericordia. Habetis in manu vestra A. R. DD. & Sacrificium, & Mediatorem, ut animi illo, ne id vobis contingat quod B. Alano, qui cùm sacrificare intermisisset, audivit à Christo. Serve deses & piger, accepisti margaritam, & in sudario reposuisti.

Bona hæc fuit pars, sed adhuc meliorem elegistis cùm illam in Fratrum defunctorum suffragium vertistis. Obligabitur vobis Christus, quia Sponsam ejus de manu hostium eripitis, scilicet animam ex purgatorio. Obligatur ejus uxor, cùm assistet *Regina à dextris circumdata varietatibus*, prædicabit se illas à vobis habere. Apoc. 9. *Uxor Agni amicta byssino, byssinum justificationes sunt Sanctorum*, id est, vestræ pro defunctis satisfactiones. Obligabuntur Angeli quorum domos vacuas per lapsum Luciferi impletis. Obligabitur Angelus custos defuncti cujus labores consummatis. Obligabitur, & quidem maximè, & ipse è captivitate redemptus. Dixi hanc partem priore meliorem. Statuamus enim duos habentes suos thesauros, uterque expendit, utrique non deficit etsi expendat, & quàm stultus est si non expendat, cùm ei nihil per hoc de-

ficiat, imò augeatur. Sed tamen unus cùm expendit non ſemper id conſequitur propter quod expendit, nec ita neceſſe ut expendat; alter & cum magna neceſſitate & cum certo fructu expendit. Cujus ex his pars melior? Ita eſt, qui pro vivis expendit, nec ita neceſſariò dat cùm ſe illi aliter poſſint juvare, ac defuncti non poſſunt: nec ita certo fructu, quia vivus fortaſſe amat ſuum peccatum, & eſt DEI hoſtis, peccati verò priùs culpa tolli debet quàm pœna. Sed hæc ipſa pars multò melior, cùm illam per manus B. Virginis offertis; fortaſſè enim quis indignus, ut de ejus manu ſuſcipiatur à Chriſto: ſed cùm per manus caræ Matris Filio offertur, rejici non poteſt. Hinc dictum Bernardi intelligitur. *Velocior eſt nonnunquam ſalus invocato nomine MARIÆ, quàm invocato nomine JESU.* Hoc verò totum maximè valet in negotio defunctorum, quia illos ſpecialiter amat; nam apud S. Brigittam ipſa ait, ut eſt apud Bloſium in Monili. *Ego Mater omnium qui ſunt in purgatorio, quia per preces meas illis omni horâ pœnæ mitigantur.* Ipſa cùm ei apud S. Birgittam dixiſſet Chriſtus, *Pete à me quod vis ô Mater mea*, petiit. *Triplex eſt miſeria in purgatorio, in viſu, auditu, tactu: peto contra illam triplicem miſericordiam,* &c. Illi ſeruit, Eccl. 34. *In fructibus maris ambulavi.* Explicat S. Bernardin. Purgatorium viſitavi omnibus ſolatia impendendo.

Sed ampliùs proceſſiſtis, & non ſolùm bonam & meliorem, ſed optimam partem elegiſtis A. R. DD. cùm in Patronam orando pro defunctis B. Virginem in cœlos aſſumptam invocatis; cùm enim in cœlos aſſumeretur, omnes à purgatorio ſecum eduxit, ſicut Chriſtus in cœlos aſcendendo omnes captivos qui limbo tenebantur Patrum ſecum duxit, juxta illud. *Aſcendens in cœlum captivam duxit captivitatem*, quod & ipſa duxerit, eſt traditio in Mæneis Græcorum. Et ratio-

rationem dat Gerson. in Magnificat. *Cùm Princeps coronatur, carceres aperiuntur.* Dies Assumptionis est dies coronationis. Sed etiam quòd omni Festo Assumptionis multos liberet. Idem Gerson. l. c. *piè creditur in Assumptione illam in purgatorium descendere, ut aliquos inde eripiat.* Idem ante illum asseruit S. Damasc. epist. 2072 & probat exemplo cujusdam Animæ Romanæ, quæ hác die liberata dixit, tot per B. Virginem secum liberatas quòd Romæ homines essent. Meminit B. Virgo suæ Coronæ etiam aliàs. Sed quæ ejus Corona? Cantic. 7. *Veni de Libano, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.* Omnia ista depingunt animas purgatorii. Amana, idem est quod nocturna avis; sunt aves animæ illæ, sed nocte tenentur. Sanir, idem est quod Dens vigiliarum, tenentur illæ dentibus vigilum inferni. Hermon, idem est quod anathema, hoc fertur ad correctionem; sunt sub anathemate, non admittuntur in templum & consortium cœleste: carent osculo & mensâ illâ, oratio illorum pro se inefficax.

Quantùm amamus Beatam, tantùm illius coronam exornemus; in corona illius veluti gemmæ sunt animæ, sicut Paulus dixit de suis: *Vos estis corona mea.* Aurum in cœlo in plateis jacet, gemmæ loco saxorum in muris, animæ sunt corona. Laboremus pro illis liberandis, & has gemmas coronæ B. Virginis addamus.

In Festo S. Bernardi Abbatis. CONCIO.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

Matth. 19.

SIcut S. Joannem appellant Chrysostomum, id est, aurei oris;

oris; S. Petrum, Chrysologum, id est, aurei sermonis: S. Thomam, Doctorem Angelicum: S. Bonaventuram, Doctorem Seraphicum: alios alios: ita S. Doctor Angelicus, S. Bernardum concione de illo vocavit *os gemmeum*, seu de lapide pretioso. Gemma & per se pulchra est, & ornatur auro, smalto, aliis minoribus lapillis. Hinc responsum habeo ad illud, *Quid ergo erit nobis?* Bernardo factum, ut & gemma fuerit pulcherrimè & mirè exornata.

Pulchra inprimis gemma Bernardus propter suam admirabilem sanctitatem; erat enim Virgo, & pro virginitate in aqua se gelida mersit, & impudicas mulieres non semel à se repulit. Fuit Confessor; Doctorem libri ejus probant, neque à Pontificibus excludi meretur, licet Archiepiscopatum Mediolanensem, Genuensem & alias infulas recusaverit. Martyrii meritum illi attribuit Alexander Tertius Papa in literis Canonizat. cùm ait: *Confidamus Martyrum quoque eum merita obtinere Sanctorum.* De Angelorum choris ita S. Th. l. c. *Habuit* Bernardus *in se virtutes & officia omnium Angelorum*, hoc est, etiam Cherubinorum, Seraphinorum, &c. Neque id mirabimur, si meminerimus eum lacte B. Virginis pastum, sanguine lateris Christi potatum. Phavorinus Philosophus de lacte sic ait: *Sicuti valet ad confingendas animæ atque corporis similitudines, vis & natura seminis: non secus ad eam rem lactis quoque ingenia & proprietates valent.* Natus ex ingenuis ferino lacte nutriatur, evadet ferus. Justinus libro 43. scribit Romulum & Remum à lupa lactatum, ad latrocinia & furta pronos fuisse. Idem lib. 11. Agis Rex Curetum à cerva lactatus æquabat velocitate cervos. Unde Macrob. lib. 5. c. 11. *In moribus inolescendis magnam ferè partem nutricis ingenium, & natura lactis tenet.* Qualis igitur poterat esse Bernardus nisi Sanctissimus, cùm lacte B. Virginis pastus sit? Scribit Canisius,

Esin-

Esingrenius, Costerus & alii. Cùm hic Sanctus venisset in urbem, & templum ingressus, audivisset cantari antiphoniam, *Salve Regina*, &c. dum caneretur in eadem, *Et JESUM benedictum*, &c. adjunxit. *O clemens*, & per tres passus versùs imaginem B. Virginis progressus; rursus addidit. *O pia!* & iterum tres passus fecit, tum vicinus imagini factus, apposuit: *O dulcis MARIA!* B. Virgo verò quæ Christum infantem tenuerat in dextra, transposuit in sinistram, & discoopertâ mammillâ instillavit lac in os Sancti. DEUS Pater Filio suo talem elegit Matrem, de cujus lacte corpus ejus ad omnem virtutem haberet temperiem, hæc eadem lactat Bernardum. Vultis ampliùs? scribit Mirardus Abbas, lib. de exord. Cisterc. Philotheus & aliii, cùm hic Sanctus semel in contemplatione esset Christi crucifixi, Christus avulsâ utrâque manu à cruce Sanctum arctè complexus. Prov. *In dextera ejus longiturnitas vitæ, & in sinistra ejus divitiæ & gloria.* Applicuit os Bernardi ad suum latus dicendo: *Bibe Bernarde.* Hinc tanta in eo sanctitas, ut dæmon cùm morienti apparuisset, nullam in eo maculam reperire potuerit, ut scribit Guillelm. Abbas, libro 2.

Fuit Bernardus gemma pretiosa ob miram sapientiam, erat gravissima scissio in Ecclesia. Anacletum falsum Papam omisso vero Innocentio multi sequebantur. Rogerius Rex Siciliæ pro Antipapa collegerat exercitum, & pro illo ut disputaret contra Bernardum, constituerat doctissimum in Italia Petrum Pisanum, & primum illi attribuit locum, res agitur in conspectu Regis & omnium Episcoporum; proponit Petrus. Respondet Bernardus, ita ut nec mutire ampliùs possit Petrus, imò dicta Sancti approbavit, quod ipsum & alii & Rex fecerunt. Prodiit in Gallia famosissimus Petrus Bailardus hæreticus, ita illum convicit Sanctus, ut hæresim ejura-

ejuraverit. Sed iterum Petrus relapsus. Iterum à Sancto confutatus in Concilio præsente Rege Ludovico & Episcopis. Prodiit rursus Hæresiarcha Gilbertus Episc. Pictaviensis, & cum hoc coram Papa, Cardinalibus, &c. congressus Sanctus vicit, & ad Ecclesiam reduxit. Quid de libris & Concionibus ejus dicam, propter quæ appellatus mellifluus Doctor? Quid de illius admirabili eloquentia? Persuasit Lothario Imperatori ut cum exercitu Innocentium Papam reduceret in suam sedem. Regi Ludovico ut in terram sanctam faceret expeditionem persuasit. Conradum Imper. suasione impulit ad recuperandam Jerusalem; ad eandem compulit Regem Neapolitanum Rogerium. Ad defendendum Pontificem contra Schismaticos rursus eloquentiâ suâ induxit Lotharium. Unde hæc Sapientia? Eodem lacte cum Sapientia incarnata nutritus, eandem quodammodo carnem habuit, & Sapientia in illo veluti in proprio corpore loquebatur. Sollicitus aliquando fuit Sanctus, ut est in Chron. Cisterccien. quasi illius Auditores non intelligerent eum tam sublimia loquentem. Apparuit illi puerulus in luce maxima monendo ut audacter prædicaret quidquid ipsi in os veniret, nam ejus sermo non esset illius, sed Spiritus S. qui in eo loquebatur. Sanguis Christi converterat Bernardum in Christum adeò, ut dicere potuerit, *Vivo ego*, loquor ego, *jam non ego, vivit verò Christus in me.* Jam in sensu eodem accommodo illud, Isai. 6. *Spiritus Domini super me*, &c. usurpare potuit.

Fuit Bernardus gemma pretiosa ob admirandos affectus. Adscribitur quibusdam gemmis virtus exhilarandi. Lapsus fuit quidam in tam horribilem melancholiam, ut nihil ageret nisi fleret, dedit illi Bernardus osculum pacis, & statim tristitiam pepulit. Adscribitur verè an falsò, quòd inter pericula tutum faciant. Dicet Rainierus Dux Apuliæ hanc virtutem

verè se in Bernardo expertum, qui per ejus orationes vicit hostem, qui asserebat se Regem Siciliæ. Dicet Pontifex Innocentius ab omnibus derelictus, & per Bernardum suæ sedi restitutus. Desertus fuit ab Henrico Rege Angliæ, à Guillelmo Duce Aquitaniæ, à Rogerio Rege Neapolis, Siciliæ, & Mediolani Principe, pulsus Româ, bis captivus: desertus ab aliis, per Bernardum restitutus, ut ipse in literis ejus Canoniz. profitetur. *Specialiter Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui authore DEO præsidemus, ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ meritò, quàm datæ sibi cœlitus sapientiæ studio sustentavit.* Dicat Dux Ranulphus à Rogerii exercitu circumdatus, qui oravit S. Bernardum ut Rogerium precaretur, ut à cæptis absisteret; sed ubi id non successit, jussit in DEI nomine Ranulphum confligere, & victorem fecit clamando: Victoria, victoria. Dicet Episcopus Pataviensis pulsus injustè de suis bonis à Guillelmo Duce Aquitaniæ, cui cum sacra hostia Sanctus occurrit, duritiem fregit. Virtus fugandi dæmones verè an falsò adscribitur quibusdam gemmis, verè fugavit Sanctus baculo à quadam fœmina incubum. Transibat Alpes Sanctus curru, dæmon contrivit unam rotam, jussit Sanctus dæmonem ut loco rotæ esset in eam transformatus; & ita factum est. Innumera ejusmodi possent afferri. Adscribitur gemmis certis virtus corroborandi, Bernardum in expeditione ad terram sanctam, in qua erat Conradus Imper, Ludovicus Rex Franciæ, Rogerius Neapolis & Siciliæ Rex, & alii, Ducem elegerunt belli Bernardum. Quædam gemmæ conferunt oculis, Sanctus novendecim cæcos aspersione aquæ benedictæ illuminavit. Quædam gemmæ curant morbos, fecit hoc Sanctus sæpissimè, ac præcipuè quando in civitate Sarletti prædicabat contra hæresim Henrici, ubi in confirmationem suorum dictorum plurimos panes bene-

 dixit,

dixit, coram toto populo affirmando, ut qui ex illo pane edisset, ab omni morbo liberaretur. Arduum id visum Goffredo Episcopo Carnotensi, & dicta Sancti restringendo, addidit. Si quis cum fide panem edisset, sed hoc additamentum Sanctus rejecit, & eventus probavit. Dicuntur quædam gemmæ prodesse castitati, profuit Bernardus. Ducissa Lotharingiæ vixit licentiosè, apparuit illi dormienti Sanctus, & de pectore illius septem extraxit colubros, conversa est instar Magdalenæ. Nicolaus Clericus dissolutus semel ex curiositate audivit Sanctum concionantem, compunctus cecidit ad pedes Sancti, & impetravit S. habitum, & in eo sanctè vixit. Finis non esset enumerandi alias virtutes. *Sed quid erit illi?*

Christus inclusit hanc gemmam auro quando ad suum latus applicuit. *Caput ejus aurum optimum.* Christus est caput Ecclesiæ, imò de illo dicitur: *Non adæquabitur ei aurum.* Ornavit hanc gemmam aliis gemmis. Illi S. Th. conc. hod. attribuit verba Scripturæ. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Jaspis: Chrysolitus, & Onyx, & Beryllus: Saphirus, & Carbunculus, & Smaragdus.* Ornavit illum Christus speciali potestate in seipsum; scribit Guiliel. in vita Sancti. Privaverat quendam Monachum Sanctus Communione, ille nihilominùs accessit cum aliis ne se proderet; nam occulta erat privatio. Dedit Sanctus ne etiam proderet, sed ita Christum alligavit palato Monachi, ne ullo modò avelli posset. Pœnitens accessit deinde Monachus, & Christum solvit Bernardus, non imperio sed oratione. Ornavit Sanctum potestate in Reges. Lotharius Imp. quædam injusta petebat cum minis à Pontifice Innocentio, egit cum Lothario Sanctus, & ita fregit, ut dixerit Cæsar. Tanti facio amicitiam tuam Bernarde, ut licet DEUS non offenderetur propter meas prætensiones, tamen illis propter te cedo.. Dedit authorita-

tem

tem apud Concilium tempore Schismatis Petri Leonis, collectum fuit in Gallia Concilium, ut definiret quis esset verus Papa, remisit id ad Sanctum; & eo definiente recepit Innocentium, etsi Regum maximos favores habuerit Antipapa Anacletus. Fecit Regibus amabilem. Prædicare ob multitudinem Spiræ coactus Sanctus in platea, circumposuerat Conradus Imper. milites, ut Sanctus à populi frequentia opprimeretur, sed miles non valebat reprimere populum concurrentem ad oscula pedum, complexus suis brachiis Sanctum Cæsar, & sic in palatium reduxit. Fecit populis amabilem DEUS. Ibat Sanctus Mediolanum, omnis populus occurrit ad septem milliaria, ut pedes Sancti oscularetur, benedictionem acciperet. Scribit Guillelm. l. c. Venerat Sanctus ad quandam Dominam, quæ unius anui infantem in ulnis habuerat, proripuit se infans ad Sanctum, osculatus reverenter. Posuit DEUS Sanctum in medio Apostolorum, ita vidit ille qui ad Sanctum Mediolani per capita ferè hominum pervenit, ut ejus pedes oscularetur, ut est in lib. de Viris Illustr. Ord. Cisterc. Dedit Sancto DEUS in obsequium Angelos, quando misit ad infirmum ut illi canerent. Apposuit ornamentum B. Virgo, quando se salutanti, *Salve Regina*, respondit: *Salve Bernarde.* Ipsa ægrum sanavit. Coronam huic gemmæ superposuit DEUS ingentem, nam dixit S. Paulus ad discipulos: *Vos estis corona mea.* Quàm grandis corona? Illesca lib. 5. c. 5. Adhuc vivente Sancto, erecta sunt quatuor millia Monasteriorum, sex millia Monasteriorum Monialium; & in Chron. Ord. n. 20. additur, quòd ipse Sanctus erexerit centum sexaginta. Sed quales isti sunt Religiosi, audite Innocent. IV. privileg. 10. Est Religio mansueta & humilis instar columbæ, & quam specialiter elegit DEUS, tota pulchra à capite ad pedes, desuper & infrà, non invenitur in illa ruga & macula

turpitudinis alicujus. Audite Nicolaum IV. in quodam privilegio. Hic Ordo plantatus in campo Domini, inter alias plantas & arbores hujus agri altiùs assurgit, & lucet instar pulcherrimæ stellæ. Audite Eugeuium IV. in privil. fol. 78. Vocat hanc Religionem in omni virtute supra alias notabilem. Alex. IV. in epist. ad Capitulum Cist. vocat hujus Ordinis fidem, anchoram quæ periculoso tempore naviculam Petri conservavit. Innoc. IV. privil. 10. sic alloquitur Cistercienses. Præclara & sancta vestra Religio, ita habuit semper affixum cor & affectus ad thesaurum virtutum, ut maximè placuerit DEO, & sit accepta non minùs in oculis hominum. Accedat Pontificum oraculo effatum Frederici Imper. ad Capit. Cisterc. ubi vocat hanc Religionem altissimam Ecclesiæ columnam; & addit, pro certo habendum, quòd hic mundus plenus peccatis, vitiis, & abominationibus, ne pereat, sustentatur precibus Cisterciensium. Sed supra omnes sit testimonium ipsius Christi, quod refert Vincentius audivisse quendam Clericum ex ore ipsius Christi. Quòd *non sit alia* semita, nec alia via magis secura ad cœlestem Jerusalem, sicut hæc Religio. Hæc recepisti Bernarde, præter illa quæ oculis nostris non patent in cœlo, &c.

De Eodem. CONCIO II.

Centuplum accipietis. Matt. 19.

TAnti facit DEUS Sanctos, ut nihili videatur facere omnia præ illis. Occurrit dæmon semel DEO, quærit quid egerit? respondit, *Perambulavi terram.* Non quærit: Vidistinè Reges, &c. sed solùm. *Nunquid consideràsti servum meum Job?* Quid de S. Bernardo, qui de lacte B. Virginis pastus, de quo

quo illud dici potest, quod Aug. epist ad Cyrill. de Hieron *Totam pænè fundavit Ecclesiam*; nam licet illum S. Robertus & S. Stephanus fundaverit Cistercium; & ad hoc multùm contulerit Albericus, tamen Bernardus ita perfecit, ut Tiraquellus nobilis Jurisconsultus ubi tractat. An quis in sua possit Judex esse, dixerit, posse. *Si fuerit unus ex Cisterciensibus*, ita justus & Sanctus. Si de Bernardo interrogarer à DEO. Considerâsti illum? Dicerem, *Non est ei similis in terra.* Ita illum ornâsti, &c. Hæc materia ejus hujus sermonis.

Tacto nunc de virtutibus, quia alibi de illis sum locutus, solùm loquar de ornamentis quibus veluti *gloriâ & honore coronavit eum Dominus*, & tanquam centuplum illi pro virtutibus dedit præmium. Inprimis dedit illi filios tam gloriosos, ut de illis dici possit. *Nazaræi ejus candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Nazaræi nunquam tondebant comam capilli, juxta Aug. significant cogitationes, hæ tam sanctæ in filiis, ut nihil amputari ex illis debeàt. Nazaræus idem quod floridus. Quales sunt flores? Certè lilia, quia *candidiores nive.* Quia verò lac est institutum in alimentum infantium. Ordo Sancti dat lac parvulis, docendo, exemplo precando. Sunt hi Religiosi *nitidiores lacte.* Et quia id totum faciunt DEI amore, sunt *rubicundiores ebore antiquo.* Gregor. per colorem rubrum *sancti desiderii flamma designatur.* Quia toti in rebus cœli; *saphiro pulchriores*, qui est cœlestis coloris, sed illud cœlum quod apparet cœruleum, non est cœlum Lunæ aut Solis, sed supremum; ita illi in hoc sunt supremi; est cœlum stellatum, quia hic Ordo tot ferè Sanctos habet, quot sunt stellæ, sunt stellæ variæ, alius excellit contemplatione, alius scientiâ. alius pœnitentiâ, &c.

Dedit illi DEUS Reges in Filios, Henricus Frater Regis Galliæ sumpsit ejus habitum. Idem fecit Joachimus Rex Arrago-

ragonum, quem ob præclara ſua geſta in Concilio Lugdu-nenſi, cui intererant quingenti Epiſcopi, ſexcenti Abbates, Imperator & Rex Galliæ, ſtatim juxta ſeipſum Pontifex con-ſidere juſſit. Idem fecit Alphonſus VI. Rex Aragonum. Idem Guſmanus Rex Sardorum; recipi petiit Fridericus III. Imp. petierunt tres Reges Aragoniæ unus poſt alterum. De-dit Sanctos, nam ſoli Generales fuerunt undecim Sancti. De-dit Scriptores illuſtres, quos numerat Philippus Seguinus ul-tra duo millia. Dedit illi milites; Ad eum ſpectant, & ex ejus regula vivunt, milites Templarii, ut refert Illeſca in vita Eu-gen. III. Et illi ex ordine de Avis, ad illum de Alcantara, ad illum de Monfrac, ad illum de Monteſa. Illius ſunt milites S. S. Stephani Florentiæ. Illius antiqui in Hiſpania; ex illius Or-dine fuit Arnoldus, qui præter innumeras à ſe obtentas vi-ctorias, cum duobus millibus progreſſus contra Regem Pe-trum ejus centum millia fugavit. Bernardi tres Abbates fue-runt Generales S. Eccleſiæ, & pro defenſione illius admiran-da fecerunt. Nota eſt in Hiſpania fortitudo *militaris* S. Ray-mundi Abbatis, nota Fratris Didaci Valazquez, quâ defen-derunt contra Mauros Callatravam. Dedit Sancto DEUS Summos Pontifices Eugenium III. Gregorium VIII. Alexan-drum IV. Urbanum IV. Clementem III. Nicolaum III. In-nocentium VI. Benedictum XII. Gregorium XII. Anaſta-ſium IV. Adrianum IV. Urbanum IV. Philip. Seguin. Nu-merat Archiepiſcopos plures quàm octingentos, Epiſcopos plures quàm mille quadringentos qui ex ejus ordine aſſum-pti fuerunt. Verè *amavit eum Dominus & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum*, etiam in hoc mundo, ut nihil loquamur de alio qui noſtris oculis non patet.

Neque id mirum eſſe debet, quia DEUS Pater dixit Fi-lio: *Tibi dabo Gentes hæreditatem tuam.* Et Filius recepit. *Omnia data*

data sunt mihi à Patre meo. Data ut homini non ut DEO cui dari non poterant, data Filio S. Virginis. At Bernardus etiam factus fuit Filius suo modo B. Virginis, quia illum lacte pavit, & quia spirituale alimentum in se vertit hominem, non vertitur in ipsum hominem, idem piè sentiri ob excellentiam jam in gloria existentis B. Virginis. Et quia ut S. Macarius docet, *Reverà ab omnibus membris maternis lac proficiscitur.* Omnibus membris suis genuit Bernardum, oculis, manibus, corde, &c. quæ est præstantissima generatio, igitur in similitudinem sui, atque adeò Filium certo modo. Christus etiam Sanctum pro Fratre agnovit, nam cum Sanctus semel coram Crucifixo orat, Christus veluti Fratrem complectitur, atque adeò dicere potest, *adimplet quod deest passionibus Christi.* Passione suâ Christus ædificavit Ecclesiam, Guillelm. procem. in vita S. Bern. dicit de Bernardo. *Ecclesiam temporis nostri in antiquum Apostolicæ gratiæ ac virtutis voluit reflorere: & quantum circa illum operatus est verbo & exemplo nullus ferè terminus orbis ignorat.* Filius DEI est Sapientia, fecit hunc Sanctum sine magnis studiis Doctorem Ecclesiæ, & quidem mellifluum. Filius est imago DEI Patris, fecit Bernardum imaginem sui, cùm illi tradidit instrumenta suæ passionis cum quibus pingitur, Filius cum sua Matre dulcia exercebat colloquia, & Bernardus S. Matri, *Salve Regina.* Et ipsa illi, *Salve Bernarde.* Filius est Patris Omnipotentis, & Bernardo cooperatus singulariter ad miracula. Filius in eremo dabat exemplum pœnitentiæ, & Bernardus à civitatibus sua removit Monasteria, &c.

Si ita DEUS in terris suos Sanctos glorificat, quid in cœlis? Est Bernardus coronatus laureolâ Virginum, Doctorum, & si datur voluntarii Martyrii. Et si DEUS ita glorificat, cur illi non servimus aut tepidè servimus? solutio trahit militem in pericula, trahit mercatorem lucrum. *Hoc momen-*

mentaneum & leve tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur. Centuplum. *Scimus quia in hoc mundo diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* Non solùm benè succedunt, sed simul cum illis agunt in bonum diligentium. Terra illis uberiùs producit panem, &c. cum quo cooperantur? cum DEO. Ita vidimus cooperatos Reges, Pontifices, &c. in gloriam Sancti. Cur tepidè agamus? audiamus de hoc ipsum Sanctum in dedic. Ecclesiæ, serm. 10. *Ecce Fratres nugari libet, otiositatibus indulgere delectat, nimirum gemino hoc serpente vicino;* dissolutione & otio, *qui duplicem nobis auferunt vitam, alter corporis, alter cordis, quidni severè dormiamus, nisi de negligentia in graviori periculo, non securitatis est quàm desperationis initium?* Levia disponunt ad graviora, & cùm magna est dispositio, sequitur forma gravis peccati, & quos DEUS habere volebat amicos, reputat inimicos. Semper Sanctus proficiebat, &c. At impii in *circuitu ambulant.* De malis egressi ad eadem redeunt. Pervenit eò Sanctus, ut Frater Christi dici mereatur. Nam ut Gregor. 4. l. c. 5. in Regum. *Qui instituuntur in Ecclesia quasi parvuli adhuc filii sunt, sed qui magnus meritis, & jam in virum perfectum occurrit, Frater est Redemptoris.* Habeamus timorem DEI & torporem deponemus. Basil. orat. in principium Proverb. *Sicut qui clavos corpori infixos habet, doloribus pressus non facilè quidquam agere potest; sic DEI timore confectus, non oculo uti præter decorem, non manus ad nefarias movere actiones, non denique parvum aliquid aut magnum contra officium agere poterit, quasi angustiâ quâdam & metu minarum Domini vinctus atque oppressus.* Clamemus frequenter cum Propheta. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Finio verbis hujus Sancti de quo sum locutus; ita ille serm. 7. in Dedicat. Ecclesiæ. *Glorificate itaque Dilectissimi, & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem, etsi premere aliquando videtur,*

videtur, etiamsi interdum latera tundit, & flagellat recalcitrantem, etiamsi in fræno & chamo maxillas constringit, omninò feliciter.

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Philippum & Bartholomæum, &c.

Lucæ 6.

DUodecim fuerunt Patriarchæ, duodecim panes propositionis, duodecim lapides relicti in Jordane, Josue 4. Duodecim boves templi, 1. Reg. 7. Duodecim stellæ in Apocal. 12. Duodecim Apostoli, & inter illos Sextus Bartholomæus. Summam faciebat operum suorum DEUS, quando faciebat hominem, quia in ipso sunt omnes creaturæ, esse habent lapides, vegetari plantæ, moveri brutæ, ipse demum est rationalis, qui die sextâ est creatus, in ipso sunt omnia, ita Bartholomæus est sextus, in ipso sunt omnia.

Incipiamus à Petro, in hoc amor erga Christum eminebat. *Petre amas me?* &c. En hujus amoris probatio fuit, quia ex animo propter Christum, unde confidenter loquitur, *Ecce nos reliquimus omnia.* Quia ut August. quæst. 18. *Charitatis venenum est spes acquirendorum vel retinendorum temporalium.* Propter *meum* ac *tuum* frigidum illud verbum, refrigescit charitas. Reliquit omnia & Bartholomæus, & summum temporalium ostendit contemptum, cùm Polimii Regis filiam à dæmonio liberavisset, misit Rex gratus ad illum camelos auro, argento, & gemmis onustos, sed hoc ipsum præsentiens Sanctus, ita se abscondit, ut die illâ reperiri non potuerit: postridie verò cùm esset repertus, omnia repudiavit, atque suam paupertatem ita strinxit, ut per eam veluti per foramen acûs intrare non potuerit camelus. Qui enim in charitate DEI consti-

ſtituitur, efficitur Filius DEI. 1. Joann. 4. *Nunc Filii DEI ſumus.* Proinde ſicut aliquis ruſticus amat ſecurim, ligonem, ſed Filius Regis iſta contemnit: ſicut avicula paſcitur vermiculis, bos fœno; ſed homo, qui eſt iſtis nobilior, ab his abhorret, ita qui eſt DEI Filius, hæc temporalia vilipendit, quia ſupra hominem eſt elevatus. Adamaverat Chriſtus Bartholomæum, nam plurimi docti viri, & potiſſimùm fulti, quia S. Joan. in Evangelio ubi numerat Apoſtolos, omittit Bartholomæi & ponit Nathanaëlis nomen, aſſerunt quod idem ſit Nathanaël & Bartholomæus, & eundem nomen utrumque ſignificat, ideoque in numero Apoſtolorum Luc. 6. ſimul cum Philippo à quo ad Chriſtum adductus, ponitur. Dilexit illum, *vidit ſub ficu*; ſub illa inquit in hunc locum Aug. ficu de qua Adam comedit, aut folia in tegmen ſibi atque Evæ detraxit. Ibi adhuc dilexit, elegit; ſed & Nathanaël dilexit. *Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Confeſſus Chriſtum verum Meſſiam ſicut & Petrus. Et ut ad illum redeam, *reliquimus omnia.* Reliquit ampliùs quàm cæteri Bartholomæus, quia & pellem ſuam.

Andreas ardentem illam Orationem edidit: *Salve Crux*, &c. Bartholomæus idem ſignificat, ut ſcribit Lorin. in Act. 1. quod, *os lampadis.* Ignis de hoc ore procedebat copioſus. Oratio enim Sanctorum ignis quidam eſt. Roſweyd. ſcribit Eremitam quempiam, dum elevatis manibus oraret, viſum habere loco digitorum radios flammarum. Alium orantem de de ore ſuo viſum habere loco digitorum radios flammarum. Alium orantem de ore ſuo viſum mittere uſque ad cœlum funiculum ignitum non interruptorum. Metaphraſtes ſcribit de S. Bartholomæo, quòd centies de die, centies de nocte quotidie ſolitus fuiſſet orare. O quot ignes de hoc ore lampadis erumpebant? Quàm pulchrè lucebant! Et hoc inter

labores

labores Apostolicos & conversiones Gentium, curas novarum Ecclesiarum, & quot sunt qui propter Oeconomiam, imò propter vana queruntur tempus sibi ad orandum deesse? Quot sunt quorum oratio quæ debebat esse ignis, ut factum est Machabæis, invenitur aqua crassa, luculenta, fœtida! *Non ego juravi, dixi jurantia verba*, excusabat se quædam persona, quia legit formulam juramenti sine animo jurandi. Ita legimus libros orationum, legimus orantia verba, sed non oramus. Itanè circumspicis, alia agis, cùm aliquid à Domino temporali precaris. Timeamus ne eveniat nobis quod Ps. 108. de Iscarioth scriptum. *Fiat oratio ejus in peccatum.* Causam in hunc Psalmum dat Aug. *quia non per Christum mediatorem oravit.* An per Christum orat, qui Christum per superbiam spinis coronat, per luxuriam flagellat, per avaritiam spoliat, per gulam felle potat, per iram lanceâ transfigit, per invidiam in terra raptat, per acediam cruci affigit? Vel si orat per Christum, & ita à se tractatum DEO Patri repræsentat, qualis ista Oratio?

Sed ad Jacobum transeamus. In hoc maximè constantia enituit, cùm in Hispania septem aut novem solùm convertisset, non ideò deseruit, imò post mortem etiam ad eandem regressus, multa obstabant inter Barbaros Bartholomæi laboribus: at ille jam Armeniam, jam Indiam, alias regiones, ubique Christo aggregat, & tanquam Christi pascit gregem. Ita enim Auguft. tr. 123. in Joan. illa verba, *Pasce oves meas* explicat. *Oves meas sicut meas pasce, gloriam meam non tuam in eis quære lucra mea non tua attende.* Job dicebat cap. 9. *Si voluerit homo contendere cum DEO, non poterit ei respondere unum pro mille* tot millia pavit quot convertit, nec ab ullo accepit mille, & DEO pro illis respondit. Constantia maximè ejus patuit, quando Astyges Frater Regis Polemii, eum aggressus; Cæ-

ſus eſt ut Jacobus fuſtibus, non deſinit prædicare Sanctus, actus eſt in crucem ut Petrus & Andreas, non deſinit, vivo detrahitur pellis, non deſinit, demum caput amputatum eſt, tum demum ceſſat laborare quando & vivere. Pellis animali detractæ invenio tria in Scriptura beneficia, 1. Reg. 19. quæſitum ad necem David, ſubſtitutâ in ejus locum ſtatuâ pellibus involutâ Michol ſalvavit. Jacob Gen. 27. primogeniti benedictionem pellibus manus & collum veſtiens obtinuit. Vellus Gedeonem ad bellum animavit, Judic. 6. Præſtabit nobis hæc omnia pellis Bartholomæi. Nota eſt hiſtoria de Jacob, qui ut oves redderet diſcolores, virgas jam integras, jam decorticatas, propoſuit illis ſpectandas. Propoſuit DEUS alios Apoſtolos hunc pelle, hunc ſine pelle, ut imitemur.

Joannes Divinitatem Chriſti explicuit, eandem Philippus maximè eſt ſcrutatus. Bartholomæus fidem noſtram profundiſſimè introſpexit. Refert ejus dictum S. Dionyſ. in Theol. Myſtica. *Theologia multa eſt minima: Evangelium magnum & breve.* Multa eſt Theologia, quia tractat omnia fidei myſteria, minima eſt in ſolo uno DEO ſiſtit. Evangelium magnum quia Chriſtum enarrat; breve, quia omnia præcepta ad unam dilectionem reducit. Hanc Theologiam in ſe expreſſus Sanctus, ſcribit Petr. de Natalib. lib. 7. c. 103. quòd filius fuerit fratris Regis Syriorum, ecce magnus: contentus inter Apoſtolos loco ſexto, ecce parvus. Laur. Juſtin. conc. hod. *Contempſit omnia*, ut verus eſſet Chriſti diſcipulus; ſed modò invenies, qui dum ſua nulla haberent, cùm ſunt facti diſcipuli Chriſti. Amos 8. *Quid vides? uncinum pomorum?* Beda nomen Bartholomæi explicat, *Filius ſuſpendentis aquas.* Damiani ſerm. 42. *Cùm dicitur Filius ſuſpendentis aquas, dicitur procul dubio Filius DEI.* DEUS enim, Job. 26. *ligat aquas in nubibus.* Ecce quàm magnus? crucifigitur, decollatur velut latro. Po-
ſitus

situs in fundamentum Ecclesiæ, & per Sardium lapidem in Apoc. significatus. Lapis hic in corde piscis Sarda in mari Indico nascitur, & lucidus, res magna est. Non assumitur ad secretiora à Christo, ut Petrus, Andreas, Joannes, contentus, & ecce quàm parvus. Visus à Christo sub ficu, prædestinatus, magnus est: laborat circa suam salutem velut illius incertus, parvus est.

Cùm Elias in paradisum abit, 4. Reg. 2. reliquit vestem Elisæo, & cum ea duplicem suum spiritum, relinquet & Sanctus nobis, si illius pellem per imitationem induerimus; sed aliqui merentur aliam pellem. S. Patritius Vereticum Regem Walliæ convertit in vulpem, quia fraudulenter contra Christianos serabat calumnias. Theridates Rex Armeniorum, quia sicut aper vastabat Christi vineam, conversus in aprum. Nabuchodonosor factus est monstrum, fœnum ut bos comedit, capilli ejus in similitudinem aquilarum, & ungues quasi avium. Dan. 3. Singula respondent peccatis ejus. Bos satur ruminat, ille de factis peccatis sibi complacebat: aquilæ pennæ mixtæ aliarum avium pennis eas consumunt, ille rapax. Ungues avium, oppressionem debiliorum notant. Recordemur Job. 19. *Rursum circumdabor pelle meâ.* In quali pelle comparebimus. Tanta Sanctus fecit pro regno DEI obtinendo, & nos quid? Scribit Paulinus de quodam Doctore Theologo Parisiensi, hic coram Rege jussus, in hunc sensum dixit. Ignari rerum Apostoli, non satis sapiebant Martyres, inscii Eremitæ, deceptæ Virgines, quia si vos putatis vos inter delicias, & nihil asperi tolerando, posse salvari, cur illi tanta passi? *Sed nemo coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Sub ficu vidit DEUS Nathanaëlem, ficus à muscis & calicibus compungitur, & nisi hoc fiat non amittit amatorem. Etiamsi revelata nobis esset nostra prædestinatio, laborandum esset.

1. Petri 2. *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini.* Quod S. Leo sic explicat. *Nos Authoris nostri extruit manus, ut cum Artifice suo etiam is qui reparatur, operetur.* Sed etiam seipsum ipse S. Petrus explicat. 2. Pet. 1. *Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

In Festo S. Augustini. CONCIO.

Non potest civitas abscondi supra montem posita. Matt. 5.

ET obscurè, & facto difficilis res proposita Jobo 38. *Nunquid nosti ordinem cœli, aut rationem ejus ponere in terra?* num aliquis cæli ordinem in terra ponet, quo in eo Sancti sedent? Explicuit hoc ipse DEUS Moysi, Exod. 25. Et is ille ordo quis sit, docuit: ostendit illi in monte formam tabernaculi. *Aspice & fac secundùm exemplar.* Hoc modo pones rationem cœli in terra, cùm servant ordinem sanum in cœlo, quem milites apud justum Ducem in tabernaculo. Fecit Moyses, sed adhuc illud tabernaculum non satis exprimebat cœlum; quid ergo fit? non jam sub figura tabernaculi, sed ipsum cœlum demittit in terram. Apoc. 21. *Vidi civitatem S. Jerusalem descendentem de cœlo,* &c. *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus.* Tabernaculum DEI est civitas, quæ *posita in monte abscondi non potest.* Incolæ varii, eum tenent ordinem quem in civitate. Videamus quo loco sit Augustinus.

Non juxta aliud quàm merita in Ecclesia, datur & in superna civitate datur locus. *Non potest abscondi civitas in monte posita.* Ipsa Ecclesia dicat merita Augustini. Hier. ad Aug. Vocat eum Ecclesiæ conditorem, non quod Ecclesiam condiderit,

rit, id enim Christi est. Sed sicut dicimus ei qui nos à morte eripuit, tu me genuisti; ita dum urbs obsessa in summo est periculo, qui eam liberavit, potest dici illam de novo condidisse, quia ne dirueretur, occurrit, variè fuit aliàs impugnata Ecclesia, alii hæretici volebant illi speculas tollere, id est, Episcopos: alii munditiem, ut Helvidius virginitatem, ut sordibus explendo cogeret ad deditionem: alii muros quatiebant, Sacramenta corrumpendo: alii fontes inficiebant, Scripturam falsificando: alii fossas implebant, statum humilitatis Monasticum tollendo. Arius conatus Principem ejus occidere, tollendo ei Divinitatem. Sed Pelagius cives ad hoc deducendo ut suum Principem contemnendo, non egemus tuâ gratiâ, nos ipsi, nos sine te tueri possumus, sine te subsistere; magnum hoc periculum, quia ad superbiam proni homines, & si successisset, suis viribus corruisset civitas, & periculum erat ne blandiens hostis plus mali inferret, quàm omnes alii manifesti. Prodit contra Pelagium Aug. nam eodem die nascitur quo Pelagius, Ezech. 40. *Vir in cujus manu funiculum ac calamus mensorius.* Mensus est vires homines, ostendit quòd sine DEI nihil ad salutem possit. S. Th. de Villan. ita conc. hod. de Sancto Aug. *Mensus est omnes ædificii partes, egredientes lapides malleo æquabat, faciens omnium corda concordare cum funiculo Catholicæ doctrinæ.* Si parum est contra Pelagium navasse victricem operam, commemoremus quomodo Donatistas profligavit, quomodo Arianos repressit, Manichæos prostravit. Felicem, Faustum, publicè protrivit. Si parum, etiam post mortem in libris omnes quæcunque suscitari possunt hæreses, perdomuit, omnium fascinos prævidit & patefecit. Clamabat quidem Hæresiarcha. *Tolle Augustinum, & ego subvertam Ecclesiam.* Cor suum reliquit Ecclesiæ veluti Lydium contra hæreses lapidem. Hieron. Roma lib. 1. Chron.

cap.

cap. 35. Nunquam ea Ecclesia, in qua fuit cor S. Augustini, hæreticorum ingressum passa, sed si quis ingredi eam voluit, si non in vestibulo cecidit, intus occubuit. Reliquit in defensionem Ecclesiæ, tot fortissimos exercitus, quot sunt Religionis qui ejus sequuntur Regulam; tales verò non sunt paucæ. De una illarum sic prophetavit Ab. in Apoc. 14. *Surget Ordo, induti nigris vestibus, desuper accincti zonâ pelliceâ, hi prædicabunt fidem, quam defendent usque ad consummationem sæculi in virtute & Spiritu Eliæ; hic Ordo erit Eremitarum.* Prædicârunt & defenderunt, &c. Hinc meritò in libro ad Fratres in eremo, confertur Sanctus cum Abraham. Hic dicebatur *Excelsus*, hoc Sancto convenit, sed multò magis, quando dictus est, *multarum Gentium Pater.* Quando dictum, *In tuo semine benedicenter Gentes.* Hìc jam volebam quærere in quo loco Sanctus in illa civitate DEI quiescat.

Sed nondum meritorum finis. Parum est aliquam urbem ab hoste liberâsse, nisi quis ita illam instituat legibus & armis, ut deinceps quemvis possit hostem repellere. Oblatus fuit Apoc. 5. liber arcanorum DEI, sed *nemo illorum poterat aperire*, propter quod flebat Joannes. Data fuit S. Scriptura Ecclesiæ, sed nemo potuit ita illam explicare, ut nemo contrà posset mutire Ethnicorum. Id Augustino datum, ille omnes scientias plenissimè possedit, & omnes traxit in fidei obsequium, ut prosit omnibus. S. Th. de Villanova in persona Augustini. *Quid volo, quid desidero, nisi ut omnes in æternum vivamus?* De hoc Sancto Ethnicns Avicenna. *Augustino cælum dedit super omnes homines, & quantum dare potuit, illi concessit.* Omnes scientias sine Magistro didicit, & omnes superavit Magistros. Excelsus dictus Abraham, Cedrum vocabant Romani Excelsum. Conversus est ut scribit in Confessionibus sub ficu tanquam alter Nathanaël. Admiranda scripsit

etsi

etsi ex tempore, ut ipse initio Retractationum fatetur, quia eo tempore prædicabant Episcopi, & quocunque venissent silebant Episcopi, & invitabant, ut ipse quamvis ex improviso diceret. Unâ concione mores integrarum civitatum reformabat. Erat in quadam ludus, quo se lapidibus impetebant ad mortem, & frater mactabat fratrem, filius patrem, non poterant illum tollere minæ Cæsarum, sustulit una concio Augustini. Erant alibi alii perversi, inveterati mores, nullâ medicina sufficiebat, concionatus semel Augustinus, & in meliores sunt conversi. Verbo idola evertit, mores bonos restauravit, malos expulit, & hoc suaviter ut oleum, propter quod in libro ad Fratres Olivæ comparatur. Inde in manu ejus pingitur Ecclesia, quasi in manu ejus sit, & peccatores ad justitiam adducere, & justos facere sanctiores; hi enim sunt Ecclesia.

Sed ita hæc civitas in monte posita locum pro meritis illi assignat. Ille quidem Soliloq. cap. 2. *In vulneribus Christi dormio, securus & intrepidus requiesco.* Quia DEI amor & illum vulneraverat; sic enim ipse de se. *Sagittaveras cor meum Domine.* Sed ad Dominum hujus civitatis, de quo ita meritus spectat locum assignare, fuit visio. Transibant Sancti, non apparebat Augustinus, quærit qui vidit, ubi Augustinus? Et ecce DEUS Pater comparet, & in corde illius Augustinus. Jam non miror, quòd cor Angeli exemerunt morienti S. Augustino, & crystallo inclusum attulerunt Sigisberto Episcopo Lugdunensi, quod, dum in Hymno *Te DEUM laudamus* canebatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, subsiliebat. Idem fiebat quoties liber scriptus de SS. Trinitate ab eodem Sancto, illi applicabatur. Cor DEI Patris idem quod Filii, quod Spiritus S. In loco proprio omnia gaudent, dum locus proprius nominaretur, exultabant. Darem ego Sancto ut Capiti Theo-

ogorum annulum, ut Capiti Philoſophorum lauream; ſed Eccleſia dat illi cor, cum quo illum pingit. Amor hìc ſuperat ſcientiam. Interrogatus aliquando à DEO: *Auguſtine, amas me?* reſpondit, *Si eſſem DEUS, vellem fieri Auguſtinus, ut tu ſolus eſſes DEUS.* Quis intelligens quid ſit Deitas, ut Auguſtinus ſupra hominem intelligebat, vellet Deitate cedere? Martyres cedebant vitâ, membris, famâ, ſanitate, unus Auguſtinus Deitate: quæ cùm infinities, & infinities omnia alia ſuperet, dignum eſt ut in corde DEI Patris locum habeat. Inde adhuc vivens dicebat Soliloq. 34. *Quid eſt hoc, quod ſentio, quis ſentio, quis eſt ignis qui calefacit cor meum? quæ eſt lux, quæ irradiat cor meum?* Et quis eſt alius calor, quæ lux alia, niſi cor DEI Patris?

Auguſtinus in corde DEI Patris; noſtrum cor ubi? *Rapuerunt ſandalia Judith oculos Holofernis.* Hebræus legit. Cor alicubi apud Sandalia Judithæ. Quale cor noſtrum? *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.* Ex qua formari quidlibet poteſt, tale cor pſeudopoliticorum. Et quid ſi in aliquo ne cor quidem reperiatur? Oſeæ 7. *Ephraim quaſi columba ſeducta cor non habens.* Columba gemens, quia cor ejus abſtulit diabolus. *Cùm diabolus miſiſſet in cor ejus.* Greg. 2. Moral. 5. *Si enim Judas cor poſſideret, ipſe potiùs in illum mitteret.*

In Nativitate B. M. V. CONCIO I.

Abraham genuit, Iſaac genuit, David genuit, &c. Matth. 1.

QUalis nobis hodie perſona naſcatur, ex hodierno colligo Evangelio, nullius mors ponitur omnium nativitas, innuitur

nuitur itaque quòd hæc quæ naſcitur omnium erit nativitas, nullius interitus: Et ut ita explicem, ducit me epiſtola hodierna. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Quod Eccleſia S. Virgini attribuit. Ducit me in Scriptura in Geneſi hodierno Evangelio ſimile, *Liber generationis Adam, Adam genuit, &c.* Hic verò *Liber generationis JESU Chriſti*, in priore libro ab Adam ad poſteros deſcenditur deorſum, quia Adam genuit ad mortem. In hodierno verò libro aſcenditur ſurſum à Chriſto ad Abraham, igitur eſt liber ad vitam. De priore libro Exod. 1. *Scriptæ ſunt in eo lamentationes carmen & væ.* De iſto dici poteſt Pſ. 23. *Hæc eſt generatio quærentium DEUM.* Ducunt demum naſcentis Virginis circumſtantias, quas mecum expendite.

Prima circumſtantia. Nata ex parentibus ſterilibus qui annis viginti in conjugio ſine prole vixerunt, & jam uterque ſexagenarius circiter fuit, ut docet Hieron. lib. de ortu B. V. Nata in ſept. in quo plurima habebant Hebræi Feſta ſolennioris expiationis, tabernaculorum, dedicationis templi, collectionis pecuniarum pro templo, memoriam Godoliæ, jejunium, &c. Omnia hæc innuunt neceſſitates quas in hoc mundo patimur, ſenium, tabernacula militaria, quia militia eſt vita noſtra, continuò in nobis elementa inter ſe pugnant, jejunium etiam facit ad reparanda noſtra corpora. Naſcitur Virgo ſanitas noſtra, vita noſtra. Bonav. in Pſalt. vocat S. Virginem puteum Angeli & Agar.. Ejecta fuit de domo Abrahæ Agar cum filio, ſiti ad mortem uterque conficiebatur, oſtendit Angelus puteum aquæ. Vexant nos temporales neceſſitates ut ſitis, illa puteus. Areſcimus ſollicitudine, ſed illa nos velut terram aridam ſolatiis reſpergit ut revireſcamus. Anſ. alloquio cœleſti 27. *O fœmina mirabiliter ſingularis, gratiâ ſuperplena, de cujus plenitudinis redundantia reſperſa revireſcit omnis*

creatura. Quot cæci, claudi, steriles, &c. reviruerunt, quoties fames depulsa, &c. per hanc Virginem S. Numerate miracula quæ ad illius imagines fiunt, & nulla est Provincia Christiana, quæ hunc thesaurum gratiarum non habeat. Peribat orbis diluvio, conservavit illum Arca Noë, quæ Virginem significabat, Illa est templum Salomonis, in quo quidcunque oraveris, 2. Paralit. 6. impetrabis. Es in servitute, hæc nubes educit ex Ægypto. Tristaris quomodo relicturus es post te filios, securus de illis esto, crescent in gentem magnam, dummodo illos Virgini commendes, & ut in casu tali fecit Jacob, adores in summitate virgæ, Gen. 15. Es in calamitate, illa te recolliget, est enim Filia David de quo Paralip. *Et convenerunt ad eum qui amaro erant corde, & ære alieno graves, & factus est Rex eorum.* Eges ingenio, doctrinâ, docti *fulgebunt* in cœlo *ut stellæ firmamenti.* B. Virgo est cælum, si fueris ab ea receptus, eris stella, 1. Cor. 6. *Primus homo de terra terrenus*, id est Adam, *secundus de cœlo cœlestis*, id est, Christus. Igitur Virgo juxta Paulum est cœlum. Turbæ aliquæ circa dignitates orientur, B. Virgo est virga Aaron quæ illos componet, ut virga Aaron quando floruit. Desideras tuos posteros gloriâ florere, id promissum Davidi, Psalm. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; sed id dictum illi quando duxit in Arcam Silo. Arescit terra, quære hanc nubeculam. 3. Reg. 18. Cùm cœlum esset æneum, immisit Elias puerum ut videret, an nubes colligerentur. At ille, *Non est quidquam.* Jo. Jerosol. restitut. mon. cap. 3. *Non est quidquam, quia nubecula illa; scilicet MARIA, non est visa à puero.* Comparet nubecula, funditur pluvia. Hic superest ut dicamus cum Ps. 105. *Confiteantur tibi populi DEUS, confiteantur populi omnes, terra dedit fructum suum.*

Altera circumstantia, nascitur B. Virgo in stabulo sive

in

in ovili, Damasc. lib. 4. de Fide. Nascitur ad auroram, ut Rupert. in Cant. Dum nascitur, Minervæ signum Romæ quod respiciebat Orientem, nemine movente, convertit faciem ad Occidentem. Philip. Berg. Gaudete peccatores, ecce dæmon qui se ad plenum cursum expedierat tanquam Sol oriens, jam spectat fugam, occasum. Gaudete, iterum nascamini, facti estis bruta. Ps. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Nascitur in aurora, quando Sol ad nos redit, cujus calore frigida foventur, viventia vegetantur. Frigus vestrum solvet, & incrementum dabit in virtutibus. Cant. 7. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Rabbi Salomon ita vertit. *Guttur tuum sicut vinum quod vel Patres in sepulchro vivificare potest.* Sunt in sepulchro peccati, jam pueri, jam viri, jam Patres. Pueri qui ex fragilitate ceciderunt, & animam suam occiderunt. Viri, qui frequenter relapsi consuetudinem contraxerunt. Patres, qui scandalo, malâ doctrinâ, pariunt alios gehennæ. Si illos respiciat Virgo, si pro illis loquatur, dabitur illi vinum quod illos resuscitet. *Lachrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum.* Scimus apud Sur. 6. Jun. quòd Andreas Corsinus lupus ingressus Ecclesiam B. Virginis factus sit ovis, &c. Beda serm. de S. Maria. *Mundus deletus esset; nisi per preces MARIÆ sustineretur.* Iratus fuit non semel DEUS stultitiæ nostræ, ut David Nabali, cujus nomen sonat stultum, occurrit Abigail. Excubat contra nos dæmon, S. Brig. l. 1. Revel. 9. Et *ut avis rapax dæmon tenet prædam*, peccatorem, *inclamatur Nomen S. MARIÆ, dimittit.* Est Filia Abrahæ cui DEUS benedixit. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & sicut arenam?* Cur addit, *arenam?* Stellæ sunt Sancti, arena & pulvis peccatores. Et pro his S. Virgini data est benedictio. Pelbartus. *Servire S. Virgini certissimum est prædestinationis signum.* Illa est scala Jacob, per quam ad nos descen-

dit DEUS, aſcendunt peccatores. Evangeliſtæ ſunt animalia plena oculis, ut eſt Ezech. 1. Cur nullam ſanctarum mulierum ponunt in præſenti Evangelio? Certè, tam oculati, non ſine cauſa, innuitur Chriſtus, etſi promiſſus Sanctis Abrahæ, Davidi, tamen ſi non fuiſſent peccatores, proinde B. Virgo fuiſſet Mater Chriſti; igitur peccatoribus aliquid debet. Hinc quantùm creſcit ſpes noſtra! contulimus ad ejus fabricam aliquid. Nobis hoc lilium inter ſpinas noſtras oritur, nobis hæc aurora conſurgit. Aurora ſunt halitus terrei à Sole illuſtrati, lucet illa ſed in noſtris terreis halitibus. Figura iſtorum omnium in Eſther cap. 11. Damnati erant univerſi Judæi ad mortem, & ecce habet ſomnium Mardochæus, ejus patruus, quod tale fuit. *Fons parvus crevit iu fluvium, & in Solem converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit.* Eſther fuit fons parvus, captiva crevit in fluvium, facta Regina maxima, in Solem converſa quando Judæis vitam impetravit, & *tunc Judæis nova lux oriri viſa.* De novo viſi ſunt ſibi naſci, ſive ut cap. 11. *Tunc & Sol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt, & devoraverunt inclytos*, hoſtes ſuos. S. Virgini hoc totum & meliùs convenit. Omnes ſumus peccatores, & ideò ad mortem damnati. Oritur fons parvus, *fons ſignatus*; captiva, quod eſt idem atque *ancilla* Domini, creſcit in flumen, efficitur Mater DEI, ex eo Sol Chriſtus procedit, qui in aquas plurimas redundat, & tunc Sol novus, nova vita naſcitur peccatori.

Tertia circumſtantia, fuit B. Virgo ab Angelo pronunciata. Quid huc ſpectat Angelus? ſollicitus eſt ut ruina in cœlo facta per Luciferum reparetur per homines; hæc S. Virgo naſcens poteſt dare vitam gloriæ. Pſal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Quod lumen? *DEUS eſt lux, & tenebræ in illo non ſunt ullæ.* Hoc verò lumen habetur per S. Virginem. Bern. in Salve. *In manibus Virginis vita eſt Spiritûs noſtri, & ipſa dat*

eſcam

escam gratiæ in tempore opportuno, & ævo interminato. Bonav. in Psalt. *Ego Tibi*, S. Virgo, *stillam devoti servitii offero, tu fontem vitæ influis in os meum.* Illa præbet videndum nobis DEUM. Eva nobis perdidit cœlum; hæc reddit. Aug. serm. 18. de SS. *Eva percussit; ista sanavit.* Quærit S. Ambr. cur Gen. 2. dictum, *Non est bonum hominem esse solum?* utique Eva perdidit nobis cœlum. Respondet: *Etsi mulier prima peccatura erat, tamen secunda Redemptorem paritura.* Sed clariùs Tertull. contra Marcion. cap. 4. *Non esse bonum esse solùm, sciebat sexum Mariæ profuturum.* Per hanc S. Virginem noti sumus cœlo, sicut per Evam mundo. Hebr. 9. *Adeamus ergo hunc thronum gratiæ cum fiducia.* Fiet ut renascamur in nostris temporalibus necessitatibus, renascamur ex peccatis, renascamur ad gloriam.

De Eadem. CONCIO II.

Judas genuit Phares & Zaram de Thamar. Salmon genuit Booz de Rahab. Booz genuit Obed ex Ruth. David genuit Salomon ex ea quæ fuit Uriæ. Matt. 1.

QUod nascente Virgine S. fiat mentio Abraham, Isaac, &c. Non est mirum, quia singuli vel illam prædixerunt, vel præsignificaverunt in aliqua figura. Sed quòd ponatur Raab, Ruth, Thamar, Betsabee, hoc admodum est mirum: cùm fuerint ejusmodi, ut Hieron. de illis dixerit, l. 1. in Matth. *Notandum in genealogia Salvatoris nullam sanctarum mulierum assumi, sed eas quas Scriptura reprehendit.* De Thamar vide Genes. 38. v. 24. *producite eam ut comburatur.* Raab vocatur meretrix. Ruth quid egit vide Ruth. 3. De Bethsabee ipse Matthæus dicit

dicit. *Ea quæ fuit Uriæ.* Quantum potero scrutabor Mysterium.

Abrahæ promissum quòd in illius domo nasciturus esset Messias, proinde & Mater ejus. Hoc verò per Thamar est effectum. Judas num in quo linea Abrahæ decurrebat; habuit tres filios. Her, sed *nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est.* Onas, sed & hunc *percussit Dominus eò quòd rem detestabilem faceret.* Tertius fuit Sela, sed hic noluit uxorem ducere, & ita deficiebant in quibus & per quos DEI promissio expleretur. Videbatur à nobis Messias ut aquilam avolâsse. *Misericordia tua in cœlo.* Sed Job de illa in terris non desperavit. Job. 39. *In petris manet aquila unde contempletur escam, & ubicunque fuerit cadaver, statim adest.* Cum Thamar egit illa quæ de ipsa leguntur, fuit peccatrix, fuit cadaver, ad quale convolat aquila, & notabat Virginem S. nascituram quæ se humiliatura erat, atque si esset cadaver. Richard. lib. 1. cap. 5. *Humilitas Mariæ Regem cœli attraxit ad terram, & velut Aquilam prædæ concupitæ odore illectam carni immaculatissimæ copulavit.* Nisi Thamar se vilem faciendo occurrisset, linea fuisset Abrahæ scissa: nisi B. Virgo nata fuisset, quæ tam humilis fuit, hæsisset promissio DEI. Cant. 1. *Nardus mea odorem suum dedit.* Bern. *Quid est aliud, Nardus mea dedit odorem suum, nisi B. Virginis humilitas?* Et statim sequitur. *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur*, qui velut Aquila avoluturus videbatur. Nascere ô cara Virgo: attenuati sunt oculi nostri prospicientes in excelsum. Veni, deduc ad nos ab excelso Aquilam.

De Raab nota historia, quòd exceperit exploratores, qui ad necem quærebantur, & domum suam per funiculum coccineum salvavit. Cant. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Pro quo S. Virgo labia sua aperit, invenit salvantem se vittam aut funiculum coccineum. Quod primum miraculum fecit Christus? Aquam mutavit in vinum, quod signum erat, quia tristitiam

triſtitiam noſtram mutaturus erat in conſolationem. Quo petente id factum? B. Virgine. Laur. à S. Richardo libro 4. *Chriſtus aquas peccatorum convertit in vinum gratiarum precibus & meritis Matris ſuæ, & etiam aquas miſeriarum in vinum conſolationum.* Nemo id Sanctorum impetrare poterat illorum Patrum, Virgini S. id reſervabatur. Cant. 8. *Ego murus, & ubera mea turris.* Ad hunc murum, ſicut hoſtes dum irruunt, ſtitit omnis miſeria. Fuit populus DEI in ſumma afflictione, initium ſalutis fuit rubus ardens incombuſtus, qui notabat B. Virginem.

Ruth erat ex Moabitis, ſed adamavit populum DEI. *Egreſſa* propterea *de domo & natione ſua.* Ita hæc S. Virgo quæ naſcitur, faciet. Dicit illi David; *Audi Filia & vide, obliviſcere domum Patris tui*; Adamavit populum DEI. Idiota de contempl. *Cura illi eſt de omnibus, nemo eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ruth collegit ſpicas derelictas. Pſ. 59. *Moab olla ſpei meæ.* Hæc Ruth Moabitis ſpem facit. Ambr. de laud. Virg. cap. 12. *Excipite ex hac Moabitidis olla unguentum gratiæ cœleſtis.* Lazarus à mortuis reſurgens, ut meditatus S. Cæſarius homil. de Viſitat. B. primum verbum dixit, *Maria.* Quia ut Chryſol. ſerm. 64. *Sine Maria nec mors poterat fugari, nec vita revocari.* 3. Reg. 17. Mortuus fuit cuidam viduæ filius, ut eum revocet Elias ad vitam, his cæremoniis utitur. *Tulitque ſecum de ſinu Matris ejus, & portavit in cœnaculum ubi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectulum.* Quorſum iſta? Method. hom. in Purific. *Puritatis tuæ ô Virgo Propheta Elias præſcius atque imitator in ſpiritu cùm eſſet, vitæ illius igniferæ ſibi coronam colligavit, & in hunc uſque diem Divino ſuffragio morte ſuperior declaratur.* Hinc patet quòd Elias fuerit S. Virginis imitator, & per hanc imitationem vicerit mortem. Hinc etiam peccatorem monet Gilbert. Abbas, ſerm. 26. in Cant. *Non expedit tibi extra materni ſinûs ambitum reperiri, ne fortè non tollat te verus Elias in cubiculum.* Si in hoc ſinu fueris, reſuſcitaberis.

Ex ea quæ fuit Uriæ. Promiserat Salomoni David regnum. 3. Reg. 2. Interea Adonias proclamavit, *ego regnabo*; *fecitque sibi currus & equites.* Jamque eripuerat Salomoni regnum. Restituit Bersabeth suâ prudentiâ & precibus. Non semel per peccatum excidimus Christi promissionibus, per S. Virginem illis digni rursus efficimur. Bern. serm 4. de Assumpt. *Hæc est quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit; constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam.* Idiota in contempl. *Sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Advocata & Patrona est, & cura illi est de omnibus.* Non uni rebelli apud DEUM imminebat exitium sicut Adoniæ; sed per Virginem non solùm Salomon, sed etiam Abiathar salvatus, 3. Reg. 2. dixit Salomon Abiathar Sacerdoti, qui contra eum conspiraverat cum Adonia: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portâsti arcam Domini DEI.* Non unus vir est inferni, sed non interficitur, quia portat arcam Domini. S. German. Orat. de Zona. *Tuis intercessionibus ô Virgo das salutem & liberas à supplicio inferni.* Id olim insinuatum, Eccl. 24. *Et profundum abyssi penetravi.* Bernardin. sect. 3. artic. 2. c. 2. *B. Virgo dominatur in regno inferni, propterea inquit, & profundum inferni penetravi.* Num. 10. *Cumque elevaretur Arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua.* Elevatur Arca, nascitur S. Virgo, elevemus eam applausu & gratulatione, precemur tenendo hanc arcam, ut nobis hæc S. Virgo dicat quod dixit S. Brigit. 7. Revel. 27. *Ergo & tu Filia mea veni, & absconde te sub mantello meo.* Dum nascitur, quærunt Angeli *quæ est quæ progreditur?* quasi respondent simul. *Pulchra ut Luna.* Dum noctu sumus in periculo, ipsa nos illustrat, & servat, ut Rahab noctu exploratores dimittens. Quæ est ista? *electa ut Sol*, à cujus calore non est qui se abscondat, non est quem S. Virgo non colligat ut Ruth dum

ipse

ipse velit. Quæ est ista? *Terribilis ut castrorum acies.* Hæc velut Bersabee regnum perditum recuperat. Quæ est ista? *Anima consurgens*, aurora adducit Solem. Thamar genealogiæ lineam conservat. S. Virgo Christum profert. Precemur à nata gratiam, facilis erit; sed advertamus. Si duo eandem rem emant, unus offerat nummum, alter 100. millia, cui potiùs vendetur? emimus precibus gratiam velut nummo uno, si è contrà velut centum millia offerant peccata ne detur gratia? Ædificamus nobis protectionem S. Virginis tanquam arcem, quid si unus ædificet, centum diruant? Una oratio ædificat, centum peccata dissipant. Extinguimus infernum, quidsi unus extinguat, centum incendant? non miremur, quòd non percipiamus id, quod B. Virgo dare parata. Quare illius nomine possum dicere, Isai. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè, discite benefacere, &c. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, ut nix dealbabuntur, &c. Quodsi nolueritis, & me ad iram provocaveritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.*

De eadem Nativitate B. M. Virginis.

CONCIO III.

De qua natus est JESUS. Matt. 1.

SIcut Christi Nativitas describitur, ita & B. Virginis. Illam Isai. 45. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem*, velut florem è terra egredientem describit. S. Paulus ut Filium Regis coronam sumentem, *Introduxit primogenitum in orbem terrarum, ut adorent eum omnes Angeli ejus.* Et adorant dum canunt, *Gloria*

in excelsis, &c. Egredimini Filiæ Sion, & videte Salomonem in diademate. Nativitas B. Virginis similiter. *Egrediatur Virga de radice Jesse.* Ut Regina. *Regali ex progenie exorta refulget MARIA,* canit Ecclesia. Ex quo colligo admissam esse B. Virginem ad magnam, statim ac nata, similitudinem cum Filio. Hanc in illa consideremus.

Christum prænunciavit Gabriel, etiam B. Virginem teste Hieron. Christus ex Virgine natus per miraculum, B. Virgo ex sterilibus per annos viginti. Christus ipsa sanctitas. Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum.* B. Virgo Sancta Ps. 45. *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum.* Ab omni scilicet peccando præservando. Idiota contempl. 2. sic B. Virginem alloquitur. *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia Virginum, in summa, nullo vacâsti genere virtutum ô Virgo plus quàm Beata.* Qua de causa S. Th. de Villanova, conc. 3. de Nativ. vocat illam *Microcosmum Ecclesiæ.* Sicut homo dicitur Microcosmus, id est, parvus mundus, quia in illo est quidquid est in mundo, est esse, vivere, sentire, ratiocinari, sunt quatuor elementa. Unde si aliquis Sanctus est laudandus, illa multò magis quæ omnium Sanctorum continet virtutes. Hier. serm. in Assumpt. B. V. *Sicut in comparatione Domini, nemo bonus est, ita in comparatione Matris Domini, nulla res invenitur perfecta, quamvis eximia comprobetur.* Certant secum luce stellæ, sed ubi Sol comparuit, evanescunt. *Electa ut Sol.* In Nativitate Christi Angeli cecinerunt: etiam in istius, & ad hujus obsequium properârunt. Greg. Nicomediensis, Orat. de oblata Deip. *Oportebat non unum solùm illi Angelum servire, sed decies mille millia illam stipare.* Inde Bonav. *Tibi omnes Angeli & Archangeli, tibi Throni & Dominationes, tibi Cherubim & Seraphim, tibi omnis*

Ange-

Angelica Creatura, *proclamant* : *Sancta*, *Sancta*, *Sancta DEI Genitrix.*

Nec satis fuit in eam tot dona ut in thesaurum intulisse: Addidit DEUS horum firmitatem. Non essent beati cœlites, si beatitudinem possent amittere. Ita & in mundo divites non sunt felices, quia possunt omnia amittere. Ceciderunt Angeli, cecidit Petrus. De aliis dicitur 1. Cor. 10. *Qui stat videat ne cadat.* Alii etsi non ceciderunt, saltem veniali peccato sunt moti loco. De Christo dicitur Psalm. 124. *Non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem.* De S. Virgine etiam. *DEUS in medio ejus non commovebitur.* Prospiciebat è longinquo id Salomon, Prov. ult. *Mulierem fortem quis inveniet?* Fuit Jeremias in utero sanctificatus, sed perfectior est sanctificatio præservari à peccato, quàm ab eo purgari; ille enim jam lapsus erectus est. Sed quando erit talis quæ nunquam fuit lapsa aut mota? *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* De ultimis finibus creaturæ, de ultimis potentiæ DEI. S. Th. 1. p. quæst. 25. art. 6. ad 4. *Dicendum quòd B. Virgo ex hoc quòd Mater est DEI, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est DEUS, & ex hâc parte non potest aliquid meliùs fieri eâ, sicut non potest aliquid melius esse DEO.* Atque concepta, statim Sancta. *Adjuvabit eam DEUS manè diluculò.* Sicut horas S. Officii disponit Ecclesia, ita DEUS sanctificationem. Unicus latro est de quo Scriptura dicit, quòd sit tempore Completorii, sive in occasu vitæ sanctificatus. Ne tamen ullus desperet, in plurali dicit Jer. 12. *Sanctifica eos in die occisionis.* Aliqui vespere in senio. Rom. 6. *Liberati à peccatis habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Alii nonâ, alii horâ sextâ, in meridie, in ipso fervore ætatis. Alii horâ tertiâ per Baptisma, 1. Cor. 6. *Abluti estis, sanctificati estis.* Alii horâ primâ, scilicet in utero, sed jam post contractum peccatum, ut Jeremias & Joan.

Joann. Bapt. ſed B. Virgo *manè, diluculo*, antequam contraheret.

Chriſtus D. ſtatim ac conceptus uſum rationis perfectum habuit. Idem factum eſt in B. Virgine. Ita docet Vaſq. in 3. p. d. 119. cap. 3. *B. Virginem ab inſtanti conceptionis ſuæ & deinceps plenum rationis uſum, in his ſaltem quæ ad DEUM & virtutem pertinent, habuiſſe.* Et quia & uſum rationis ſtatim habuît, & plena fuit gratiâ, quolibet actu merebatur, ut infert Novarinus, electorum lib. 4. n. 425. *Non minùs meruit fundendo lac de uberibus ſuis ad Filii nutrimentum, quam Martyres meruerunt fundendo ſanguinem ſuum in Martyrio.* Fundamentum huicce meriti eſt gratia valde magna quàm B. Virgo ſtatim in utero exiſtens habuit. Gratiæ hujus magnitudo ex eo colligitur. S. Th. docet 3. p. quæſt. 27. art. 4. *Dicendum quòd DEUS illos quos ad aliquid eligit, ita præparat & diſponit: ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei. Juxta illud 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti. Beata autem Virgo fuit electa Divinitùs ut eſſet Mater DEI, & ideò non eſt dubitandum, quòd DEUS per ſuam gratiam ad hoc idoneam illam elegerit.* Non ingredior hîc, quòd DEUS illam ſpecialiter elegerit, ut Angelus enarravit S. Brigittæ. Solùm in hoc ſiſto. Maternitas DEI eſt infinitæ dignitatis, itaque & diſpoſitio ad illam debet eſſe maxima, & omnes diſpoſitiones ad Apoſtolatum, ad Martyrium, &c. longè ſuperans. Alterum hujus diſcurſûs fundamentum eſt, 3. p. quæſt. 27. a. 5. *Quantò aliquid magis appropinquat principio, tantò magis participat effectum illius principii*, ut quantò quis Soli vicinior, tantò magis illuſtratur; quantò igni, tantò magis calefacit. *Unde Dyoniſ. dicit, quòd Angeli qui ſunt DEO propinquiores magis participant de bonitatibus Divinis quàm homines. Chriſtus autem eſt principium gratiæ, ſecundùm Divinitatem quidem authoritativè, ſecundùm humanitatem, & ideò præ cæteris majorem debuit*

buit à Christo plenitudinem gratiæ obtinere. Nam ut Arnold. Carnot. de laud. Mariæ. *Una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus, & una charitas, & tibi gloriam cum Matre, non tam communem quàm unam judico.* Proinde magnam valde habuit gratiam, & ad illius proportionem merebatur.

Quid nobis inde? *Nativitas tua DEI Genitrix gaudium annuntiavit universo mundo.* Gaudemus quia tam grata DEO nascitur, hæc pro nobis omia impetrabit. Dam. serm. 3. de Nativit. B. V. *Meritò autumnali tempore nascitur, ut jam velut in autumno totius sæculi fructus spiritualium arborum comedatur.* Nobis nascitur matura gratia. Utitur verò hac gratia in nostrum bonum ad imitationem Filii. Th. de Kempis de discipl. claustr. cap. 14. *Nisi Maria pro mundo quotidie oraret, quomodo mundus stare posset, qui tam multis peccatis DEUM offendit, & tam parùm recommendat?* Fulgent. lib. 4. Mythiolog. *Cœlum & terra jam dudum ruissent, si non MARIA precibus sustentâsset.* Orat pro nobis; sed illam petimus ita, ut quidam latro qui occidit Regis filium, & cum gladio ac manibus cruentis intravit, ut ei Rex daret filii hæreditatem. Isai. 1. *Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem vestram, non exaudiam, manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* Occidisti Filium, Filium Matris istius. De cætero Eutychianus, de pœnitentia Theophili. *Quis ô Domina mea speravit in te, & pudore est affectus, aut quis hominum fideliter tuam omnipotentem rogavit opem, & fuit unquam derelictus?*

De S. Nomine B. MARIÆ V. CONCIO.

Et Nomen Virginis MARIA. Luc. 1.

MIrum est quòd aliqui SS. Patres asserant nomina hominum indicare quales sint homines. Epiph. hær. 78. *Ex ipsis*

ipsis nominibus virtutis signa elucent. S. Hieronym. in 3. Ezech. *Unusquisque pro moribus suis vocabulum sortitur*, &c. Mirum inquam, dum sæpè videmus contrarium evenire. Absalon significat Patrem pacis, scilicet Pater pacis qui totum regnum ad rebellionem contra Davidem incitavit, qui fratrem occidit, in patrem arma movit; è contrà Loth significat, involutus, colligatus: at verò Sodomitis se colligavit minimè. Semei idem quod obediens, at 2. Reg. 16. Regi maledicit. Roboam dilatans populum, at verò dissipavit. Nihilominùs à Patrum sententia non recedo, & in eo sisto, quòd nomen hoc S. MARIA indicet quid sit Virgo.

Nomina fallunt quando sunt ab hominibus imposita: sed quando à DEO, minimè fallunt, & de his absque dubio SS. PP. loquuntur. S. Virgini à DEO impositum. Epiph. hær. 78. *B. MARIA non fortuitò aut solùm hominum placito, sed Divinâ dispensatione nomen accepit.* Damiani de Annunt. *De Divinitatis thesauro MARIÆ nomen evolvitur.* Jam hìc fallere non potest, ut non fefellit in Petro, cùm dictus est Petra supra quam ædificaretur Ecclesia: non fefellit in Abraham, quia verè factus Pater multitudinis: Nomen S. Virginis ut Anselm. de conceptu Virg. cap. 2. *Nomen hoc à SS. Trinitate de cœlo delapsum, & per Gabriëlem Angelum fuit parentibus nunciatum.* Ratio hujus facti patet ex Epiphan. l. c. *Ut ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam inveniret.* In nomine statim ipso patuit, qualis futura Virgo fuit. Nomen hoc variè interpretantur varii. Epiph. dicit, quòd idem sit ac *Stella maris.* Peregrinamur in patriam, aspiciamus veluti nautæ stellam. Psal. 103. Mundus hic *Mare magnum & spatiosum.* Sunt pisces qui evertunt navim, opprimendo scilicet: alliditur navis ad saxa latentia, scilicet ad fraudes hominum & dæmonum: sunt brevia desperationis: sunt procellæ quas inquieta hæresis excitat; sunt Syrenes carnis.

carnis, vis tutam navigationem? Epiph. l. c. *Oportet inter fluctus sæculi confugere ad MARIAM.*

Aliis nomen MARIA idem eſt quod *Illuminatrix*; quia ſicut Filium *lumen de lumine* in mundum Pater miſit, ſimili proportionatè modo miſit S. Virginem. Filius illuminavit per doctrinam: illa hanc doctrinam conſervavit, ut eâ ſumptâ in manus velut lucernis orbem illuſtrârent. Euſeb. Emiſſen. hom. de Purific. *Niſi ipſa verba Filii conſervâſſet non ea haberemus.* Quid ſciviſſemus de adventu Paſtorum, Magorum, nato Chriſto? quid de Annunciatione? de S. Puero in medio Doctorum? de fuga in Ægyptum? &c. Baſil. Seleuc. orat. 39. *Virgo eſt Paradiſus ex quo Evangeliorum fons in quatuor ora factus.* Aliis hoc nomen Sanctum, idem quod *Mare amarum.* Cauſam reddit Albert. M. in Luc. 1. *Quia compungit in illecebris.* Amaras facit voluptates ſæculi, deducit ad hoc ut cùm pulſat tentatio, conſideret homo illa vel ſimilia, Eccleſ. 11. *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & ſcito quòd pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* Omnia tua facta orbi patebunt, legetur contra te tanquam contra leonem in foro mundi decretum. *Tu feciſti in abſcondito*, 2. Reg. 12. *Ego autem faciam in conſpectu omnis Iſrael & in conſpectu Solis.*

Alii hoc nomen explicant, *Stella maris. Celſitudo. Myrrha maris. Pluvia temporanea. DEUS ex genere meo. DEI imitatrix. Magiſtra maris.* Longum eſſet ſingulis immorari. Non mirum verò eſſe debet, quòd hoc nomen habeat tot explicationes, quia ut Andr. Creten. orat. de Aſſumpt. illa eſt *declaratio profundorum Divinæ incomprehenſibilitatis.* In illa pateſcunt ſecreta DEI, & ſui nominis explicatione ſemper novum aliquod explicat, eſt ibi DEI incomprehenſibilitas, hanc verò ſequitur ineffabilitas. Sicut igitur DEUS à nullo intellectu creato poteſt comprehendi, ita à nullo explicari, propterea

illi dabant Hebræi quinquaginta nomina, ut quod uno non expresserunt, alio utcunque compensarent. Simile quid circa hanc S. Virginem. Inde S. Theodorus novus Confessor dictus. Orat. de Nativ. B. V. ait hoc nomen MARIA, esse perinde ac *Myrias*, *latinè innumera*, *propter innumerabilem encomiorum copiam.* Sicut innumera in se DEI continet dona, & hanc dat causam Bernardin. tom. 3. tract. de B. V. serm. 1. Non quòd ita variè hoc nomen explicetur. *Neque immeritò non unam habet nominis interpretationem, nullum enim puto unum nomen Virginis gloriam posse enunciare: sicut DEUM ipsum non uno tantùm nomine nunciamus sed multis, ut sic ejus incomprehensibilitatem enunciemus*, ut DEUS exprimatur, dantur illi nomina 50. ut B. Virgo, tot nominis explicationes afferuntur.

Sit pro fine meæ Concionis illa explicatio, quam dat Hieron. quem Ecclesia vocat maximum in exponendis Scripturis Doctorem, lib. de Nomin. Heb. dicit quòd nomen hic significat *Domina.* Beda in Annunc. confert hoc nomen cum nomine JESU. Hic se *humiliavit*, &c. *propter quod dedit illi DEUS nomen quod est supra omne nomen*, &c. B. Virgo, *Ecce ancilla.* Gerson. *In nomine MARIÆ cœlestium, terrestrium, & infernorum genu flectitur.* Quod ita ordine explico, & primò de genu cœlesti. Richard. lib. 2. de laud. B. V. c. 9. *Vix nata est Virgo, Angeli desiderabant illam nominari, ut nomen ejus haberetur celebre in cœlis.* Cùm Magdalenæ frater Lazarus est mortuus, currit Martha. *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* Quid deinde fecit Martha? *Et cùm hæc dixisset, vocavit MARIAM sororem suam.* Cur vocavit? Ut juvaret in petenda à Domino fratris vita. Sed hic Chrysol. mysterium notat serm. 64. *Veniat MARIA, veniat materni nominis bajula, ut mortui exeant de monumento.* Ut cùm S. Virgo in sua non adesset persona, saltem in suo nomine compareret, & sic Lazarus excitaretur. Ecce in nomine

nomine hoc flectitur genu terrestrium. Jam ad inferorum genu. Bonav. spec. lect. 3. *Fluunt, sicut cera fluit à facie ignis, dæmones, ubicunque inveniunt hujus nominis recordationem.* MARIA idem est quod Domina. Habe nos Domina in protectione & ut tuos conserva. Precamur cum S. Germano Patriarcha Constantinop. *Malefidas Nationes Barbaras, quæ te, DEumque ex te natum blasphemiis lacerant, pedibus Orthodoxorum Imperatorum subjicito:* Nostri Reges acceperunt à Sede Apostolica titulum Orthodoxorum. *Exercitui qui tuis semper innititur patrociniis horâ congressûs esto adjutrix.* Luna sub pedibus tuis sit Turcica, &c.

In festo S. Nicolai de Tolentino. CONCIO.

Lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12.

CUm ingenti triumpho Sanctus hic cœlum ingressus. Ita enim de illo Eugen. IV. in Bulla Canoniz. *Lætentur cœli, exultet terra, jucundeturque pariter totus orbis, quando ei qui effulsit in templo DEI cùm viveret, spatiosum in cœlo præstant hospitium.* Quando fuit in terra *effulsit*, lucernam in manu habuit, triumphi non fiunt sine ignibus, cœlum cùm lucernis ingreditur. Et nobis lucernâ opus, expectamus enim Dominum, accendamus eam igne Sancti hujus.

Expectamus Dominum, & jubemur lumbos præcingere. Cincturam hanc sæpiùs DEUS commendavit. Tob. 5. *Præcinctum & quasi paratum ad ambulandum.* Jer. 1. *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos.* Ephes. *State succincti lumbos vestros.* 4. Reg. 4. *Accinge lumbos tuos.* Et de ipso Domino Luc. 12. *Præcinget se & faciet illos discumbere.* Theophilact.

 explicat

explicat. *Sint lumbi vestri præcincti, id est, omni modo parati.* Pro diversis negotiis diversè nos præparamus; aliter pro via, aliter pro militia, &c. Sed pro DEO, omni modo, hinc David non exprimit quid sit DEI, an servus, an miles, &c. Sed generaliter dicit: *Tuus sum ego, salvum me fac.* Vult me esse militem, servum, etiam jumentum, paratus sum. Psal. 72. *Ut jumentum factus sum apud te, ego verò semper tecum.* Vult ut sim vermis. *Ego autem vermis, non homo.* Quia debemus Domino in toto corde servire. Greg. lib. 5. in Reg. cap. 2. *In omni corde Domino servire, est peccandi nullam intentionem in corde retinere.* Hinc origo totius mali, quia non omni modo parati sumus ad voluntatem DEI. Sanctus omni modo paratus fuit, patet ex Chronic. ordinis ejus. Degebat Sanctus in pauperrimo Monasterio Firmi, inde visitavit Priorem Conventûs S. Mariæ de S. Jacobo multò ditioris, volebat illum Prior retinere, ut non tontopere egeret, sed ille prostratus in templo coram SS. Sacramento, oravit in hunc sensum. Domine, oro ut faciam voluntatem tuam, ostende in hoc puncto quæ sit tua voluntas. Tum DEUS misit Angelos in specie puerorum, in vestibus candidis, qui Sancto cecinerunt: Morieris Tolentini, & mane in vocatione quâ vocatus es. Quia Sanctus ut puer ad voluntatem matris accommodat suam voluntatem, ita ille ad DEI. Matth. 18. Cùm de præcedentia contenderent, statuit Christus in medio puerum. *Nisi convertamini, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quasi per hoc ostendisset Sancto, quòd se puerum exhibuerit, atque adeò sit certus cœli. Venerunt in vestibus albis. *Te candidatus Martyrum exercitus.* Sed Sanctus non fudit sanguinem, non tormenta sustinuit, &c. Sed suam propriam mactavit voluntatem. Apoc. 7. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt in sanguine Agni.* In obedientia.

Factus

Factus est obediens usque ad mortem. Et apud Prophetam. *Quasi agnus innocens ductus est ad occisionem.* Matth. 25. *Veruntamen non sicut ego, sed sicut tu vis.* Alterâ vice Sanctus incidit in morbum gravem propter magna jejunia, &c. Medici jusserunt, ut comederet carnes, quod nunquam aliàs faciebat, idem præcepit Superior. At ille. Scis DEUS, quòd nunquam comedam carnes, modò jubeor, comedam, ostende tuam voluntatem. Perdix quæ fuerat cocta, statim vestita plumis circumvolavit, & in manu Sancti consedit. Ex hac lucerna Sancti accendamus nostras, jejunamus quando nobis placet, sed non quando præscribit Ecclesia. *In jejuniis vestris invenitur voluntas vestra.* Damus eleemosynam, sed non quibus vult eam dari DEUS, amicis, affinibus. *Benefacite his qui oderunt vos.* Patientes sumus, sed non propter DEUM, sed propter ambitionem, luxum. In hac patientia non possidebimus animas nostrâs. Oportet id facere, quod DEUS vult: Si vult, ut sumus pauperes, sine honore, velimus. Si vult per Ecclesiam ut jejunemus, sit ita. Dixit Samuel ad Saulem: *Nunquid vult DEUS victimas & holocausta, & non potiùs ut obediatur voci ejus?* De quo Greg. lib. 6. in Reg. cap. 2. *Holocausta eorum sunt, qui se omninò subtrahere volunt à publico opere, ut DEO se totos per amorem combustos offerant in secreto contemplationis. Victimæ sunt eorum, qui se à communi publico nequaquam separant, sed singulari virtute agunt, ut virtutes aliorum districtiùs vivendo transcendant. Hæ quidem & hujusmodi cùm bonorum Rectorum permissione aguntur, victimæ & holocausta sunt quæ DEUS probat, cùm verò sic fiunt, ut per ea Majorum præcepta negligantur, audiant quid à Domino missus ad inobedientem Regem Propheta loquitur.* Et paulò post, *Qui sequi propriam voluntatem eligunt, DEO placere se putant, sed DEUS eorum opera cùm magna & ingentia sint, nequa quam probat.* Addidit Propheta, non obedire esse peccatum quasi ariolandi. De hoc Greg.

l. c. *Idololatriæ sceleri simile esse dicitur, quia nimirum in inobedientiæ obstinatione nemo persistit, si propositi sui figmentum quasi idolum in corde non gestaret.* Inde DEUS dicit 1. Reg. 15. *Pœnitet me quòd Saul Regem creaverim.*

Per lucernam intelligit S. Hieron. doctrinam Evangelii juxta illud. Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sine fide sumus cæci, impingimus; per viam procedendum est quam oculis non videmus, nec in ea obstacula, laqueos, hostes, &c. datum nobis ad hoc lumen fidei. *Et lumen semitis meis.* Semitæ solent esse breviores viis, etsi non omnes per illas incedant, sed strictiores, hæc sunt consilia Christi, vita Religiosa. Hanc Sanctus elegit. Quare canunt in ejus officio. *Elegit Nicolaum Dominus, & in splendoribus Sanctorum clarum fecit illum.* Servavit omnia suæ Religionis, &c. Sed Ps. 109. De Filio DEI dicit Pater. *In splendoribus Sanctorum ex utero genui te.* Quia dum Pater se considerat, & in se omnia, videt etiam splendores Sanctorum, & ita producit Filium; vidit ibi splendorem S. Nicolai. Natus ex sterilibus, ùt Isaac & Samuel, ut sic in eo suam potentiam extraordinariam DEUS ostenderet. Prænuntiavit illum S. Nicolaus Episc. apparendo in somnis parentibus, & nominavit eum, fit simile quid atque in Joanne Bapt. Splendores isti. Puer in schola acriter reprehendit socios, si quid loquerentur absurdum. Septennis jejunat ter in septimana. B. Virgo cum S. Augustino venit ad illum noctu, post illam perdicem suscitatam docet quomodo suo morbo debeat mederi, ac statim se sanat. Per sex mensium noctes continuas cantabant illi Angeli. Semel cùm iret noctu ad matutinum, ita totus resplenduit, ut in templo videretur esse dies, plusquàm Moyses, & veluti in transfiguratione Christus. Unde hoc procedebat? Habebat lucernam in manibus, fide utebatur; legit præmia castis, obedientibus promissa, fuit castus. Ubi nostra fides? cre-

credimusnè? *Da eleemosynam pauperi, & habebis thesaurum in cœlo.* Damusnè? accendamus lucernas nostras igne Sancti. Quidsi non solùm non obedimus Fidei, sed eâ abutimur, promittimus nobis cœlum, quia sumus Christiani, & juxta leges Christi vivere nolumus. Hæccine lex Christi? Opprime pauperem &c. In verba Cantic. *Faciemus tibi murenulas aureas*, &c. S. Bernard. serm. 41. in Cant. *Aurum Divinitatis est fulgor, aurum sapientia quæ desursum est, &c. Quodsi dixeris, quid eloquio & argento? dicit tibi Propheta, Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne probatum.* Murenulæ ex eo fiunt quæ aures ornant, quia fides ex auditu. *Paveant illi quod in Propheta* legitur. *Dedi eis aurum meum, & argentum meum, ipsi autem de auro meo & argento meo operati sunt Baal.* Aurum est Divinitatis fulgor, quia propter authoritatem DEI credimus.

Habuit Sanctus in manu lucernam *ardentem*. Quia expectabat cum amore, hoc est in gratia DEI existendo. Gratia DEI est lux, hanc peccatum extinguit, & fiunt tenebræ. Unde dicit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Gratia enim secum adducit septem dona S. Quando Sanctus adhuc puer audiebat Missam, videbat in S. Hostia puerulum dicentem. *Innocentes & justi venient ad me.* Ad eum, qui est lumen de lumine. In oratorio in quo Sanctus orabat, stella apparebat, quæ dum ille oraret plurimùm relucebat. Moriturus fratres deprecatur, & sumptis Sacramentis, dixit Philip. 1. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Tum, ut etiam contra proximos extenderet charitatem, curat afferri imaginem B. Virginis coram qua solebat orare, & precatur. Præstitisti mihi medicinam in meo morbo, ut sumerem panem aquâ tinctum, & sanatus sum, præsta ut quicunque ederit panem, qui in meo nomine benedicetur, ut liberetur à morbis, ut illo injecto extinguantur incendia, tempestas maris componatur. Sed dum jam moritur:

ritur mediâ nocte, cœlestis ſplendor tanquam de die illuminat cellam, & dictis, *In manus tuas Domine*, &c. expirat. Odor ſentitur & melos Angelicum. Accendamus hoc igne noſtras lucernas, amemus DEUM. Diligamus DEUM ex *toto corde*, ita ut moreremur ſi opus eſſet, pro illo. Ex *tota anima*, omnibus potentiis animæ pro illo laborando, non eſt amor qui non operatur. Gerſon. *Abhorret magis ab otio gratia, quàm natura à vacuo.* Amemus & proximum. Auguſt. de Trinit. 15. c. 26. Ideò bis datus Spiritus S. à Chriſto, ſemel ante mortem, deinde poſt mortem, ut diligamus DEUM & proximum. Oderimus peccatum, hoc enim tollit amorem DEI. Hoc tollit communicationem meritorum cum Sanctis, de qua gaudet Juſtus. *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Nihil illi proſunt indulgentiæ; non operantur vitam æternam merita quæ in peccato facit, nihil recipit fructuum ex Miſſis. Abnegat ipſo facto ſuum eſſe DEUM Patrem, cœlum, Angelos, merita Chriſti, Luciferum ſequitur. Non animatur Spiritu Chriſti, eſt cadaver putridum in oculis cœli, hæres eſt inferni, &c.

In Exaltatione S. Crucis. CONCIO.

Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Joann. 12.

SIcut victor proſtrato jam in campo hoſte, vexillum elevat ad me, qui vultis me ſequi, *qui non eſt mecum, contra me eſt.* Ita Chriſtus erigit Crucem, proponit præmia, honores. Ad me mei qui hoſtem hactenus ſecuti fuiſtis. Iſai. 11. *Levabit Dominus ſignum in Nationibus, & congregabit profugos de Iſrael, & diſperſos*

dispersos Juda colliget è quatuor plagis terræ. Qui non vult sequi cladem sibi imputet. Veniet nihilominùs tempus quo supra nolentes crucem, sed in illorum malum erigam. Matth. 25. *Tunc parebit signum filii hominis; plangent omnes tribus terræ.* Dum ponet Pater inimicos meos scabellum pedum meorum, ut mihi promisit. Sed cur crucem in signum, quæramus, & simul modum quo nos ipsam exaltemus.

Variæ Nationes vària signa in vexillis deferebant. Assyrii ex una parte columbam, quia maximam suam Imperatricem Semiranidem versam in columbam putabant: ex altera ad hostium terrorem, gladium. Unde Jer. 25. *Fugite à facie gladii columbæ.* Ægyptii vitulum, ad quod alludendo Judæi dixerunt Moysi, Exod. 32. *Fac nobis DEUS qui nos præcedant*, de vitulo nimirum loquendo. Machabæi, ut testatur Sixtus Senensis literas J. M. E. R. L. quæ significant. Quis ut DEUS? at verò apud est Christum crux, *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Hæc exaltat victo mundi Principe, de quo Isai. 30. *Super montem caliginosum levate signum.* Mons caliginosus est mundus, in quo nobis solùm *tanquam lucerna in loco caliginoso*, lumen obscura præbet fides. Hoc signo erecto clamat: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Sic mihi aggregabimini. Lucifer è contrà, qui est *Rex super omnes filios superbiæ*, à me non recedite, contemnite DEUM, proximos. Christus, non occides, non furaberis, &c. Uno verbo fit, ut cùm Moyses Judæos ex Ægypto educebat, Pharao retinebat. Volunt aliqui propter domos, possessiones, manere. Sed Domine, quomodo te sequamur? Crucem erigis? Oseæ 9. *Ephraim quasi avis avolavit, gloria eorum à partu, & ab utero, & à conceptu.* Avolant à te ut aves viso terriculamento, postquam verò avolàrunt, in carnis desideriis velut in visu hærent?

Nemo fugiat crucem. Suprà nationes præcipuè in Scri-

ptura nominatas adduxi, audite quomodo commendent crucem. Apud Chaldæos sive Assyrios Sedes fuit Magiæ, Marsil. de vita cœlitùs comparanda sic ait. *Magos Veteres dixisse crucis signum vivificum ac salutare hominibus.* Euseb. de præpar. Evangel. l. 11. c. 29. *Ægyptii per crucem significabant salutem, & cessatura idola postquam crux elevaretur.* Eamus ad Judæos. Jubet apud Prophetam DEUS occidi omnes in quorum fronte non fuerit Tau, id est, crux reperta. Sed missis Veteribus veniamus ad recentiora. Nemo ignorat illud Constantini Magni. *In hoc signo vinces.* Solùm illud addo, quod scripsit de eodem Nicephor. lib. 8. c. 23. Vexillum Constantini in quo crux erat, certis militibus in acie custodiendum dabatur, in quos quantaque tum vis hostium incubuisset, nemo unquam occisus. Fuerunt etiam Ethnici inter custodes, & semel unus metu à vexillo refugit, & statim ab hostibus confossus est. Idem Niceph. lib. 18. c. 20. scribit quòd Mauritio Imper. Rex Persarum quosdam misisset captivos Turcas. Quos dum Imperator considerat, videt in aliquorum frontibus inustas cruces. Quærit, quid sit rei? respondent, inter suos fuisse maximam pestem, & nullum evasisse cui non fuisset crux impressa. Sic ergo crux signum omnis boni, nec unquam fuit malignum, ideò Christus dum victor exaltat vexillum, ut nos ad se & ad omne bonum trahat, crucem exaltat. Micheæ. *Transibit Rex eorum coram iis, & Dominus in capite eorum.*

Sed tamen, inquies, crux est crux, & ea sæpè incumbit bonis, ac justis filiis ipsius Christi. Quis verò non indignè ferat, si videat filium Regis innocentissimum, à vilissimis & sceleratissima lixa percuti, &c. Sed non sic consideranda ut oculis patet, etiam aurum luto obductum non sic judicamus, ut oculis patet: etiam salubrem medicinam non sic æstimamus ut gustus percipit. Audiamus unum ex his qui tam malè à ma-

à malis tractatus. Chrysost. hom. 8. in Ephes. 4. *Magna dignitas, & regno quovis, & consulatu longè major, vinctum esse pro Christo.* Et ne videatur casu illi verbum excidisse, repetit in epist. ad Philem. *Vinctum esse propter Christum illustrius est, quàm sive Apostolum, sive Doctorem, sive Evangelistam, &c. esse. Si quis ardet amore Christi, eliget potiùs esse in vinculis pro Christo quàm cœlum inhabitare.* Et iterum, *Honestius est pati pro illo quàm sedere ad dexteram ejus, quàm sedere super duodecim thronos.* Quia honestissimum est esse amicum Christi. Eccl. 18. *In adversis cognoscitur amicus.* Honestissimum est ostendere, quales in terris DEUS habeat servos, & sic ejus gloriam augere, ut patet in Job 1. Honestissimum est DEO thronum ædificare. Exod. 24. Moyses montem ascendit, & vidit thronum DEI, *opus lapidis Saphirini.* Alii legunt *lateris Saphirini.* Nimirum ex illis lapidibus ex illis lateribus, quos iniquè oppressi in Ægypto, spe cœli, quam Saphirus indicat cæruleus, elaborabant, in quo etiam animabat Prælatos ad ferendam crucem, cùm illi Saphiros in annulis ferant. Ita militibus gloriosa sunt in scutis vulnera, & Imperatorem lætificant. Gloriosum est Christo coronam fabricare. David fuit figura Christi, 1. Paralip. 20. *Tulit David coronam de Melchon, fecit sibi diadema.* Quid hoc? Melchon erat idolum. Jussit DEUS ut Saul omnia perderet quæ erant idololatrarum Amalecitarum: David verò de auro quod erat in capite idoli, coronam sibi facit. Ex capite & ingenio dæmonis procedebat, quòd Ethnici persequerentur credentes in verum DEUM, ex isto malorum fonte coronam sumit David. *Videte Regem Salomonem*, Christum *in diademate quo eum coronavit mater sua.* Ex quo natus Synagoga Christo confecit diadema? *Jerusalem occidis Prophetas*, &c. ipsum Christum. Mirum est Genes. 32. Luctatur Jacob cum Angelo qui repræsentabat Christum, dum incipit illucescere, Angelus petit ut

illum Jacob dimittat. *Dimitte me, aurora enim appropinquat.* Cur ita? Beda. *Erubuit comparere corpore non plagato.* Nondum passus erat Christus, nec ita multi pro eo passi. Nos cùm plagas recipimus, Christus suas reputat, & in illis veluti regali purpura complacet, ne demus hunc honorem dæmoni, crux velimus nolimus ferenda, exaltemus eam ad Christi caput, non ad dæmonem per impatientiam dejiciamus. Idola Malchon ex spoliis Judæorum, ex afflictionibus fecerunt; tollamus eam de capite idoli, & ad veri Christi Davidis Christi caput exaltemus.

Sed unde provenit quòd potiùs advertamus ad Crucis amarorem quàm ad honorem? Quia fides in nobis deficit, *sub modio* jacet, non in candelabro ponitur. Dicimus nos verbis credere, factis negamus. In tenebris verò possumus pondus ac duritiem percipere, non autem rerum colores. *Rerum nox abstulit atra colores*, id evenit quando lux deest, consulamus fidem, quid illa dicet. *Beati eritis cùm maledixerint vobis, & cùm vos persequuti fuerint.* An fides fallit & sensus non fallit?

In festo Stigmatum S. Francisci. CONCIO.

Sequatur me.

NIhil ita sequitur Dominum ut sigillum, exprimit signatura epistola cujus sit, & tam fideliter custodit, ut cùm aliis custodibus non fidibus, pro fidissimo habeatur. Ita Judæi cùm non fiderent Romanis militibus, ne fortè pretio corrupti extraderent corpus Christi, Matth. capite 27. *Signantes lapidem ad ostium monumenti*, securi erant. Ita Rex Batassar coactus Danielem in locum leonum mittere, securus fuit, quòd ejus inimici nihil illi facturi essent mali, signavit

ſignavit os laci ſuo annulo, & Franciſcum Chriſtus ſignavit quinque ſigillis. Canit Eccleſia. *Signâſti Domine ſervum meum Franciſcum ſignis redemptionis noſtræ.* Igitur fideliſſimè ſecutus Chriſtus. Sed hæc ſigilla conſideremus.

Filium DEI vocat Nazianz. *ſigillum Anarchi*, hoc eſt, principio carentis; & benè eſt, eſt enim *Imago Patris*, eſt *ſpeculum Majeſtatis*, in quo ſe Pater exprimit. Unde dicit Joan. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Quantum etiam eſt homo, eſt ſigillum Patris. Joann. 6. *Hunc Pater ſignavit*, quia quæ fecit non poterat facere niſi Filius DEI; imperando morbos ſanabat, Sancti orando DEUM ut ſanaret, ita & reſuſcitabat. Et ita ſpecialiorì modo fuit ſigillum quàm aliæ creaturæ; nam & illæ ſunt ſigillum. Dyoniſ. Areop. *Supereminentem DEI bonitatem, ſic eſſe totam in rebus ſingulis, à quibus participatur quaſi ſigillum quoddam in ſigillatis.* Sed in Sanctis ſpecialiter eſt ſigillum. Aggæi 30. *In die illa, dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel ſerve meus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia elegi te.* Specialiſſimo modò in Chriſto, quia in illo eſt ſimul DEUS. S. Franciſcus modo quidam miro eſt ſignatus in monte Alverniæ, ut hodie legimus in Officio.

Signavit Franciſcum Chriſtus ut rem ſuam, ſic in rebus ſuis ponunt ſtemmata. & quidem in locis nobilioribus. Nobilior locus fuit in terra Sanctus, in eo poſuit. Bern. ſerm. 43. in Cant. *Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis Majeſtas ſe inclinat.* Hic eſt locus altiſſimus. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Gregor. Moral. 32. c. 1. Anima ſancta *unde dignior efficitur, inde ſibi indigna videtur, & tunc à rectitudine ſe longè eſſe ſentit, cùm appropinquat.* Eccl. 7. *Cuncta tentavi in ſapientia, & dixi, ſapiens efficiar; & ipſa longiùs receſſit à me.* Greg. ibid. *Quæſita ſapientia longè recedere dicitur,* (per ſapientiam intelligitur in Scriptura ſanctitas, ut per ſtultitiam peccatum) *Quia appropinquanti altior videtur.*

detur. Reperit DEUS in domo sua Franciscum humillimum, itaque altissimum, itaque posuit in illo stemma suum. Præstitit hanc humilitatem rebus ipsis, reputabat se maximum peccatorem, egit pœnitentiam qualem maximus peccator. Reputabat se ob peccata dignum maximo contemptu, & omnibus in cibo & victu vilissimis, & ita egit. Reputabat se indignum DEI oculo, & ita egit in oratione. Non in verbis consistit humilitas. Aug. de verbis Apost. serm. 2. *Pluvia est gratia, humiles sunt valles, superbi colles, decidit pluvia ex colle, & colligitur in valle.* Et paulò post, *Gedeon expressit velleris guttas in pelvim, scitis quid fecerit magister in cœna cum pelvi, illò congregavit gratiam, quò congessit humilitatem.* Signavit cor Francisci, quia de illo dicere potuit. *Inveni hominem secundùm cor meum.* Ego Magister humilitatis, *Discite à me, quia humilis sum.* Franciscus hoc fecit optimè. Franciscus dicebat Ps. 34. *Et substantia mea tanquam nihilum ante te.* Chaldæus legit. *Et corpus meum.* Signavit manus, pedes. Sed & substantia Francisci nihil, quia alii Religiosi etsi nullam substantiam habeant in particulari, habent tamen in communi. Franciscus nec in communi voluit suos habere. Suos appellavit *minores*, id est, quàm cæteri minores.

Non pinxit Christus se in Sancto stigmata, sed insculpsit, ut tantò esset stabilior. Athanas. *Non evariatim pressa imago à signaculo, sed incommutabilis perseverat juxta sculpturam annuli, sive in cera, sive in annulo signaculum illud effigiatum est.* Simillimus Christi in quo illa stigmata sculpta, unde ad imitationem illius pauperrimus. *Dominam* suam vocabat *paupertatem*, nec patiebatur seipso alium pauperiorem. Vestiebatur pallio, invenit pauperem sine pallio, dedit illi, & dixit sociis. Ego me reputavissem latronem, si hoc pallium non dedissem illi qui eo caruit, & magis indiguit. Eleemosynas sibi oblatas dabat

dabat pauperioribus. Moribundus omnibus se exuit, & in terra extendit, & ne plaga lateris pateret, eam texit sinistrâ manu. In quo similis Christo nudo morienti. Quare & obsignavit illum. Ex paupertate oriebatur summus contemptus omnium rerum. Venit Sanctus ad Soltanum Babiloniæ cupidus Martyrii, sed loco illius oblata sunt illi dona magna, quæ ut lutum despexit. Videbant hoc sigillum in Sancto bruta, & obediebant ei. Imperabat aviculis ut silerent, dum Officium Divinum recitabat; silebant, & finito Officio jubebat ut cantarent, cantabant. Cùm prædicabat, attendebant illi aves, inclinando caput salutabant. Imperavit igni cùm illi cauterium faciendum esset, ne dolorem inferret, non intulit. Pro fine, de paupertate addo ex vitis SS. Patrum lib. 4. *Interrogatus senex à fratre, quid facere deberet ut salvus sit? Senex se expoliavit, cinxit lumbos suos, atque extendens manus suas dixit: Sic debet esse nudus Monachus ab omni materia sæculi, & crucifigere se adversùs tentationes & certamina mundi.* Hoc Religiosi debent re ipsâ juxta suam regulam facere, sæculares in voto, hoc est, malint omnibus rebus carere quàm DEUM offendere, quàm ejus voluntati resistere, si eos velit esse egenos.

Signavit Christus Franciscum, quia illum sibi substituit in reparanda Ecclesia, sic enim illi dixit: *Vade Francisce, repara domum meam quæ labitur.* Et cùm Innocentius in confirmanda ejus regula hæsitaret, vidit in somnis Ecclesiam Lateranensem ruere, & à Francisco sustineri. Laudat sapiens Simeonem filium Oniæ. *Simeon Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Sed Franciscus reparavit spirituale. Simeon armis defendit, hic oratione; ille contra visibiles, hic contra invisibiles: ille contra homines, hic contra dæmones. Franciscus posuit lapides principales ex suis in Ecclesia, Nicolaum IV. Alexan-

drum V. Sixtum IV. & V. Pontifices. Posuit quadraginta minimùm Cardinales, novendecim Patriarchas, sexaginta quinque Archiepiscopos, plures quàm 345. Episcopos, tot animas lucratus. Ille est alter Matathias qui cùm vidisset ruinas templi, scissâ veste clamavit. 1. Mach. 2. *Omnis qui habet zelum legis, statuens testamentum exeat post me. Tunc descenderunt multi quærentes judicium & justitiam in desertum.* Attraxit Sanctus innumerabiles, neque solùm de populo. Secutus illum S Ludovicus Rex Franciæ, Didacus Rex Aragoniæ, Belus Rex Ungariæ, Carolus nonus Rex Siciliæ, Alphonsus, Petrus & Ferdinandus Reges Portugalliæ, Ferdinandus Rex Castiliæ, Henricus Rex Cypri, Ludovicus Rex Ungariæ, Fridericus Rex Siciliæ, Joannes Armeniæ, Henricus Daniæ, Sanctius Castiliæ, Alphonsus Aragoniæ Reges. Idem fecerunt multæ Reginæ; idem filiæ Regum, & innumeri Principes. Idem infans filia Maximiliani Imperat. Margarita, & aliæ. Hos attraxit Franciscus. Habet Sanctus Monasterium in monte Sion, habet in Bethleem, habet in Christi sepulchro, habet in valle Joaphat, Damasci, in Pera vicina Constantinopoli; habet Caffæ in Tartaria, in Ægypto Alexandriæ, & Cairi; habet & in Syria: quis istas sustentat? Christiani sunt procul, ab inimicis aluntur contra quos pugnant. Quare meritò illum signavit Christus, ut seipsum in illo exhiberet ad reparandam Ecclesiam. Quare ad hoc implevit eum fortitudine, sapientiâ, &c. Imò Sanctus auget Ecclesiam, in omni loco Indiarum.

Signavit signis redemptionis. Nonne poterant alia in illo poni signa, gloriæ v. g. triumphi? Quia invenit idoneum ad tolerandà illis similia quæ toleravit Christus. Aliis Sanctis dedit sua flagella, aliis sua jejunia, contumelias; Sancto plagas. Quare apparet quòd plurimùm amatus. Sed quare non etiam alias

alias plagas ? quia ut dicit Anſelm. lib. de paſſione. Cùm fuiſſet Chriſtus de cruce depoſitus, diſparuerunt in illo aliæ plagæ præter iſtas quinque, quia per has perfecit negotium redemptionis, ſolâ morte nos redemit, etſi omnia alia ſufficientia erant ad redemptionem. Sicut David occiſo Philiſtæo ſolum gladium in templo obtulit, quia illo finivit victoriam. Certum eſt quòd jam glorioſus Chriſtus has retinuit plagas, has dedit Franciſco. Retinuit ut Patri irato nobis illas oſtendat, & miſericordiam impetret. Conſtituit Franciſcum in terra ut placet DEUM pro hominibus, reliquit plagas. Hucuſque corpus ejus ſtat integrum elevatis oculis in cœlum, & Chriſtus ſtat ad dexteram. S. Stephanus, Act. 7. videt *Filium hominis ſtantem à dextris virtutis DEI.* Priùs mons Alverniæ erat plenus, tonitruis, &c. At poſt plagas Franciſci ſemper eſt mite cœlum. Datum id plagis ejus. Oſtendit etiam Chriſtus per has plagas quantoperè erat exaltaturus Sanctum. Jam fit Franciſco ut Cantic. capite 8. *Pone me ut ſignaculum ſupra cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum*, ut portem arma tua. In aliis Chriſtus contentus corde. Prov. vigeſimo tertio capite: *Præbe mihi fili cor tuum.* Sed totum vult Franciſcum. Sed Chriſto carnifex intulit plagas, Sancto Seraphinus, nec ferro ſed radiis. Quia in Chriſto fuit tanta ignominia, ut dixerit. Iſai. 53. *Et quaſi abſconditus in terra vultus ejus*: fuit etiam & honor, dedit quod erat honoris Franciſco, ut erga illum oſtenderet amorem. Unde & Papa & Cæſares, &c. oſculantur has plagas. Sed ſi DEUS voluit honorare, cur non omnibus patebant illæ plagæ ? Non omnes digni erant hoc ſpectaculo.

Tu Sancte etiam nunc non deſinas fulcire Eccleſiam, per plagas tui corporis, ut portes emitte ignem quo ardes, ut & ipſa ardeat. Oſtende plagas Chriſto, & ora miſericordiam, &c.

In festo S. Matthæi Apost. CONCIO.

Non veni vocare justos sed peccatores.
Matth. 9.

INter duos libros sedet Matthæus, Rejestra telonii & Evangelium, quod scripsit, in uno legebat, date; in alio, accipite. In uno, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quia magna est Domini gloria convertere peccatores nullâ adhibitâ violentiâ: in altero, *secutus est eum.* In uno justitiam, in altero, *Misericordiam volo & non sacrificium.* Sumamus & nos ex his libris aliquam doctrinam.

Matthæus erat in civitate maritima Capharnaum telonarius, Beda dicit, usurarius, qualibus hominibus à lucro difficile recedere. Prov. *Stultus etsi in pila contundatur, non depelles ab eo stultitiam.* Jerosolomitani mercatores habitabant in valle, quæ dicebatur pila, unde dictum. *Habitatores pilæ perierunt obvoluti argento*, quia tales obvolvuntur ut algâ, difficilè illis est à restitutione se liberare, & sic pereunt. Difficile est Angelum limo involvere, difficiliùs Spiritum S. jungere cordi usurarii. Facilè vocem exaudit qui prope est, difficulter qui distat procul. Prope est justus DEO sicut lux aëri: procul abest impius sicut tenebræ à luce. Ps. 144. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Peccator, *Cor eorum longè est à me.* Peccator est quasi avis dimissa. Oseæ 9. *Ephraim quasi avis avolavit.* Hæc habemus ex libro priore.

Ex altero libro. *Non veni vocare justos sed peccatores.* Conversus à Christo, ivit ut Jordanis retorsum, nam aqua Jordanis lutulenta est & turbida propter nives Libani quæ solutæ defluunt in Jordanem, erat Matthæus ut Jordanis in quem deflue-

defluebant aquæ de periculosa tractatione pecuniarum. Num. 20. *Congrega populum tu & Aaron & loquere ad petram.* Locutus Christus ad hanc petram, dedit aquam. Cùm Christus venit peccatores vocare, jam ad majus opus venit quàm antea ad creandum mundum venerat, quia in creatione nihil est quod resistat creanti, creatio enim est de nihilo. At verò in justificatione resistit voluntas mala hominis, cui DEUS constituit vim non inferre, sed modis quibus ipsa consentiat retrahere à malo. Unde S. Th. concludit 1. 2. q. 113. art. 9. Majus opus esse justificationem impii, quàm cœlum & terram creare, imò majus quàm Angelum, qui nunquam peccet, semper DEUM laudet, facere. Nam August. 15. de verbis Apost. *Meliùs est esse justum quàm Angelum.* Cui enim Angelorum dixit DEUS, *Tu es Filius meus?* dicit autem justis, & justi dicunt, *Pater noster*; nam peccatores justiùs id dicunt diabolo, ex quo nascuntur. Imò plùs est de peccatore justum facere, quàm non unum sed plures Angelos creare, ait Aug. libr. 2. ad Bonifac. c. 5. Imo plùs est quàm mortuos excitare. Greg. 3. Dial. 17. *Pluris est conversio Pauli quàm resuscitatio Lazari.* Hinc æstimemus, quantum beneficium nobis Christus fecit, quando reliquit nobis modos quibus nos possimus ex peccatoribus facere Sanctos. Æstimemus quanta sit gravitas peccati, ex contrario enim cognoscitur contrarium.

Benè ista Matthæus agnovit itaque ut se gratum pro beneficio redderet, solùm dixit Christus, *Veni & sequere me*, sequitur. *Ecce Domine, quia vocâsti me.* 1. Reg. 3. Reddidit statim rationem sui officii cui debebat. Proclamari fecit, quòd pecuniam sine ulla usura esset recepturus, quibus ad usuram dederat, & quæ per usuram acceperat restituit. His factis, de residua justa pecunia fecit convivium, *& erat turba multa publicanorum, & aliorum qui erant cum eis discumbentes.* Luc. 5. quos ideò

invitavit, ut & ipsi converterentur, ut dicit Hieron. in medio illorum Christus sedit, Cant. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum*, arbor pomifera inter sylvestras. Ibi Christus quæ dicebat, quomodo ad compunctionem adducebat? Finito convivio omnem curam sæculi abjecit Sanctus, & accepto deinde cum Apostolis Spiritu S. majora fecit. Fuerat Matthæus ut Jordanis turbidus, ecce jam conversus est retrorsum, primus scribit Evangelium, & ad fontem redit, originem Christi deducit. *Liber generationis JESU CHRISTI, Filii Abraham, &c.* reddidit librum pro libro rationum seu regestro. In Jordane à lepra mundatus Naaman, 4. Reg. 5. Ille filium Regis Ægypti resuscitat, quæ res movit Ethnicos ut Matthæum vellent pro DEO agnoscere, illique sacrificium offerre. Sed Jordanis etsi novam virtutem habuit resuscitandi mortuum, non amisit veterem purgandi à lepra, purgavit populum ab idololatria, & ad veri DEI cultum adduxit. Magos repressit, ægros varios sanavit, dracones duos in se à Magis immissos verbo occidit, ultra septuaginta millia Æthiopum adduxit ad fidem. Fuit durus olim Matthæus ut lapis, jam ad vocem DEI fundit aquas copiosas. Damiani serm. 2. de S. Matth. tùm alias Evangelistas comparâsset aliis fluminibus de paradiso egredientibus. Flumini Physon Matthæum, quia primus de paradiso profluit, ille primus Evangelium protulit. Idem Damiani confert Matthæum Moysi, hic cum virga ducit populum, iste cum calamo; ille aquas de petra educit, iste cùm fuisset antea instar petræ, aquas fundit. Ille scripsit librum generationis Adam: iste librum generationis Christi. Ille duxit populum non denigratum, Matthæus Æthyopes, quia & ipse aliquando fuit niger, antequam scilicet se aquis lavisset quas ipse produxit. Interim Rex moritur quem ipse converterat, & filiam ejus Iphigeniam admisit ad votum castitatis,

tis, & Monialem primam fecit in Ecclesia Christi. Successit in regnum qui Iphigeniam in uxorem accipere voluit, defendit se Virgo voto castitatis. Novus Rex inquirit, quis author voti? invenitur Matthæus, jubet Rex ut Sanctus laudet matrimonium, quò Virgo ad illud inclinetur. Laudabat Sanctus, sed virginitatem præferebat, atque ostendebat quantum esset scelus Christi Sponsam appetere, ideò jussu Regis lanceâ confixus.

Duo etiam nos sumamus ex libris Matthæi. Si tanta res à peccato converti, fugiamus peccatum. Quis enim vellet se tradere in captivitatem; si aliter ex illa non possit exire, nisi Rex pro eo tradat suum Filium in mortem? Quis vellet se in profundissimum projicere puteum, ex quo non possit egredi, nisi tantum auri injiciatur, ut puteus totus oppleatur, & ipse nec obolum habeat? Quis vellet bibere venenum, à quo sanari non possit nisi omnia regna mundi in cinerem exurantur, & ex cinere fiat medicina. Majoribus est opus ut quis à peccato exurgat. Sed uno verbo DEUS vocavit Matthæum: sed etiam plures erant quibus non proficit vocari. Matthæus erat petra, percussa est, & fluxerunt aquæ. Sed vereor ne aliquis pereat in his aquis Jer. 15. *Facta est mihi plaga quasi aquarum infidelium.* Mirum est si ex petra fluant aquæ, majus est si ex peccato exeat. Ita filii Heli Ophni & Phinees ruebant in peccata, ut ait Philo de antiq. Biblicis. Agamus pœnitentiam, DEUS non expectabit dum facti fuerimus meliores: ambo eâdem die occisi, non pervenerunt ad pœnitentiam. Hæc ex libro priore Matthæi. Ex posteriore. *Liber generationis JESU CHRISTI filii Abraham.* His Filius dicit: *Nolo sacrificium sed misericordiam*, quia sacrificari, occidere, v. g. bovem, ex se opus non est bonum sed solùm ex institutione DEI, qui dixit sibi id placiturum si aliquis faceret in lege; at misericor-

dia ex se est bona. Abraham fuit misericordissimus, recipiebat peregrinos, pro Sodomitis intercedebat. Volumus esse Filii DEI, ostendamus nos esse Filios Abrahæ. Nihil ita flectit DEUM ad misericordiam sicut misericordia. *Estote misericordes ut sitis Filii Patris vestri qui in cœlis est.*

In Festo S. Michaëlis Archangeli.
CONCIO I.
Quis putas major est in regno cœlorum?
Matth. 18.

QUis major ex hominibus in cœlo, definivit in hoc Evangelio Salvator: quis inter Angelos, hanc discutiendam assumo quæstionem. Et licet statim concludi posset, quòd S. Michaël, spectabit tamen, & ad ipsius & aliorum Angelorum honorem quorum hodie cum S. Michaële festum celebratur, si hujus rei adduxero rationes.

Omnes Angeli DEI sunt facies, Exod. 33. *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Rupert. Abulen. Lyranus & alii de Angelo Synagogæ intelligunt, qui in columna nubis redeuntem populum ex Ægypto præcedebat. Sive quòd sicut in facie pulchritudo hominis conspicitur, ita ex Angelis DEI; aliæ creaturæ parùm indicat. Quid enim ex lapide hujus pulchritudinis collegimus? ex planta etiam & brutis parum, ex homine plus aliquantò: At ubi personam cogitamus quæ habet quidqnid in saxo est pulchri, quidquid in planta, bruto, homine, totum habeat: & modo indicibili ampliùs, & hæc ipsa persona adhuc à DEO dicitur infinitè, mens ad cognitionem pulchritudinis DEI quàm maximè assurgit.

ſurgit. Unde Ambroſ. in Luc. 12. Angelos vocavit *mundi flores*, ut ſicut florem rei dicimus, quod eſt in re pulcherrimum, ita illi in toto mundo ſunt pulcherrimi. Aliæ creaturæ DEI umbra, odor; at verò Angeli ſunt facies, ſive ideò ſunt facies, quia facies in Scriptura pro perſona ſumitur. Pſalm. 85. *Facies peccatorum ſumitis*, id eſt, perſonas paupetum affligitis, quia idonei ſunt Angeli Perſonam DEI repræſentare; nemo verò Principum vult, ut perſonam illius iners homo ſuſtineat. Igitur ſunt excellentiſſimi. Suſtinuerunt verò re ipſâ non ſemel DEI perſonam, ut cùm Adam de paradiſo ejiceretur, ut cùm lex data in monte Sinai, &c. Hinc Chryſoſt. ſermon. de Davide, Angelos dixit eſſe *vehiculum Verbi*, quòd ſicut currus vehit hominem, ita illi vehunt perſonam Filii DEI repræſentando. At verò Michaël, Dan. 10. *Unus de Principibus primis*. Dan. 12. *Princeps magnus*. Ampliùs dico, de ſolo Michaële habemus quòd ſit facies, nam ille locus, *Facies mea te præcedet*. De Michaële loquitur ita Rupert. & Abulen. Ille enim duxit populum DEI, ut infra dicemus.

Angelos non ſolùm facies DEI, ſed etiam *oculos* appellat Scriptura. Apoc. 5. Vidit Joannes Agnum ſtantem cum ſeptem oculis, & explicat. *Hi ſunt ſeptem ſpiritus miſſi in omnem terram*, qui providentiam Agni exercent in Eccleſiam. Illi Jonam in ventre ceti ſervârunt: illi Iſmaëlem ejectum in deſertum aridum â ſiti ſalvârunt. Septem Angeli nominantur ſolùm, quia ut Clem. Alex. lib. 6. ſtromat. Soli hoc loci Principes recenſentur. Iſai. 6. Vidi *Dominum ſedentem in throno excelſo*, &c. *Fumo repleta eſt domus*. Quia ad hoc Angeli? ut DEI mitigent iram. Clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus. Scribit B. Nilus de S. Chryſoſt. apud Baron. tom. 10. quòd ille templum ingreſſus vidiſſet ſæpè Angelos in duos ordines diſtributos, quorum ſinguli vultu ſubmiſſo, nudis pedibus, ſilentes, veſtitu candido,

dido, S. Liturgiam expectabant. Quia notant nostros bonos actus, & DEO offerunt: nos ad devotionem incitant; jungunt suas preces nostris, ut nostræ sint tantò gratiores, & sic promovent nostram salutem. Tob. 5. Interrogatus Angelus qui juniorem Tobiam duxit, quomodo vocaretur. Respondit: *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Ananias significat gratiam DEI, quia Angeli sunt gratæ DEI filii. Azarias idem est quod Adjutor DEI, quia DEUM circa nostram salutem juvant, providentiam ejus exequendo. Ideò de illis Ambr. in 12. Luc. *Lilia agri sunt Angeli, qui bonum sacrificationis odorem nobis aspirant.* Revocant nobis in mentem pœnas & præmia æterna, illustrant, exempla aliorum adducunt. Et sicut malus Angelus in hoc est potissimùm ut nos falsitatibus impleat, ita bonus ut veritatibus. Quâ de causâ Sophronius in laud. Angeli, vocat bonos Angelos *fontes cognitionis.* Patet hoc in S. Aug. Confessionum lib. 8. cap. 11. Hærebat hic in peccatis, & putabat se non posse castè vivere. Produxit in mente ejus Angelus castitatem velut Reginam choro castrorum juvenum ac puellarum cincta. Et addidit. *Tu non poteris, & isti & istæ?* Et ulteriùs voce clarâ inclamavit. *Tolle, lege* apparuit ille biblia, & incidit hæc Apostoli. *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini JESUM CHRISTUM.* Et Augustinum in viam salutis deduxit. Hæc in Augustino semel externè, quotidie in nobis operatur internè. Zach. 1. *Angelus loquebatur in me.* Blosius in dictis PP. *Nulla unquam mater erga unicè dilectum suum filium regendum, custodiendum, tuendumque vigilavit, ut hi beatissimi spiritus saluti nostræ invigilant.* Hc omnia circa nos cura Angelorum. Sed inter istos oculos perspicacissimus est Michaël; Inter ista Verbi vehicula amplissimum est Michaël; inter flores pulcherrimus. S. Th. 1. p. q. 113. artic. 3. docet. *Quantò agens universalius, tantò est superius.*

Agunt

Agnus, circa nos Angeli, ſed nullus tam copioſè atque Michaël. Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus.* S. Hilar. legit, *efficientes.* Alii, *agentes.* Audiamus S. Pantaleonem Diaconum Conſtantinop. qui in hunc ſenſum ſcripſit. Quòd Adam primà victus tentatione, poſtea non fuerit tentatus, ut iterum caderet, Michaëlis ſuaſionibus & monito tribuendum: Michaël Abrahæ gladium tenuit ne Iſaacum occideret. Michaël potentiſſimum Senacherib exercitum interemit. Michaël populum DEI contra Pharaonem protexit. (nam ut Abulen. in 4. Deuter. Cùm antea in nube præcederet populum, tranſtulit ſe in partem illius poſteriorem, ut illuminaret Hebræos, tenebras faceret in mari Ægyptiis.) Cùm Daniel in lacum fuiſſet projectus, leonum ora Michaël concluſit. Michaël totâ nocte luctatus eſt cum Jacobo ut eum animatum redderet in cauſa fratris quem timebat. A Michaële Goliath eſt ſuperatus, quando fundâ Davidis eſt percuſſus. Hæc Pantaleon. Sed ante illum, hæc & plura alia videtur innuere Zach. 1. *Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrtheta, quæ erant in profundo, & poſt eum equi rufi varii & albi.* Omnes per illum virum intelligunt S. Michaëlem, vir aſcendens, qui nunquam de equo dejectus; inter myrtheta. Myrthus habebatur apud Veteres pro arbore connubiali. Unde apud Plin. l. 15. cap. 29. Venus myrtheæ dicitur. Tibullus, *Et gerit inſigni myrthea ſerta comâ.* Stabat inter myrtheta ordinando conjugium Eſther & Aſſueri, cùm populus fuiſſet in profundo captivitatis. Michaël præcedit, cæteri Angeli ſequuntur. Sedet ſupra equum rufum, id eſt Monarchiam, quam Perſæ & Medi bello obtinuerant. Poſt eum varii equites variorum regnorum Præſides, partim pacatorum, partim tumultuantium; hinc in equis albis & variis. Sed hoc totum figura fuit quòd S. Michaël matrimonii quod eſt inter Chri-

ſtum & Eccleſiam, habiturus eſſet curam, hoc eſt, ſicut ibi Eſtheris, ita hîc Eccleſiæ. Et ſicut ibi antea omnes alios Principes honoratus eſt Mardochæus qui habebat curam Eſtheris ita hic Michaël. Et quò cauſa univerſalior, eò ſuperior. Michaël univerſalis Eccleſiæ ſeu Monarchiæ totius mundi curam gerit, alii Angeli regnorum particularium; igitur illis eſt ſuperior.

Angeli ſunt corona Chriſti. Apoc. l. c. Vidit Joannes in capite Agni cornua ſeptem, & explicat quòd iſti fuerint Angeli. Tyrinus ait cornua iſta compoſuiſſe coronam. Sunt Angeli cornua, ſed Agni mitiſſimi, proinde talia de quali effudit oleum Samuel in caput Davidis, dum illum Regem conſtituebat. Dyoniſ. de cœleſti Hierarchia ſic deſcribit Angelos. *Angelus eſt imago DEI, ſpeculum clariſſimum reſplendere in ſe faciens bonitatem ſilentii*, id eſt pacis. Procurant hanc pacem, deducendo animas noſtras, ſicut illam columbam, Cant. 2. *In cavernas maceriæ.* Caſſiodorus in hunc locum. *In caverna materiæ moratur, qui præſidio Angelorum undique circumdatur.* Olim Angeli fuerunt in cœlo ſicut maceria ſine cavernis; ſed poſtquam illorum quidam ceciderunt, factæ ſunt cavernæ, homines eas debent implere, ad has implendas collaborant Angeli. Unde nos contra hoſtem tuentur. Auguſt. in Pſal. 124. *Montes in circuitu ejus.* Sic ait, *Ambiunt Eccleſiam Angeli, & quaſi murum faciunt.* Sed iſte murus igneus. Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros quaſi ignem urentem*, vel ut S. Paulus legit, *flammam ignis.* Gregor. hom. 34. in Evang. quærit cur vocentur ignis? & reſpondet, *quia adhibentur animabus noſtris purgandis.* Indicibili odio contra nos diabolus ardet, ſicut ſi Princeps aliquis de ſuo Principatu dejiceretur, & in loco illius ruſticus vilis eſſet collocandus. Angeli è contrà videndo quòd nos DEUS ita amet, ſummè nobis favent, & ut Pſal. 35. *Immittet*

Angelus

Angelus Domini in circuitu timentium eum. Hieron. legit. *Circumdat Angelus Domini in gyro timentes eum*, Ut nemini nocere possit dæmon, nisi qui ex hoc gyro spretâ Angelorum protectione prosilierit. Redit Jacob Gen. 32. ex Mesopotamia in patriam, *& facti sunt ei obviam Angeli*, vel ut legit Chrysost. *Vidit Jacob castra DEI metata*; vel ut Lyranus, *vidit duas acies.* Ad quid? Deducebat Angelus Præses Mosopotamiæ, excipiebat Præses terræ Chanaan. Sed tamen magnam nostram ingratitudinem quòd malimus dæmonem sequi quàm ad maceriam currere. Vindictam dæmones postulant à DEO, & tubas inflant ut est Apoc. 8. At verò Michaël occurrit cum thuribulo aureo, *ut det de orationibus Sanctorum.* Mitigando iram DEI, quòd licèt sint multi homines scelerati, sint etiam sancti. Viega, Ribera, & alii docent hunc esse Michaëlem. Stat sicut Aaron & Moyses cum thuribulo pœnam DEI detinens. Offert preces Sanctorum suas illis jungendo. Interponit se medium Michaël non solùm inter iram DEI & nos, sed etiam inter nos & adversarios nostros, sicut fecit Exod. 14. Præcedebat populum in columna nubis & ignis; sed ubi Pharao insecutus, recepit se post populum, ut scribit Salianus, & factâ nube tenebrosâ, de nube faciens minacissimam instar fulguris, ostendit Ægyptiis, atque eos mersit, ita & in cœlo. Angeli jam canebant septem tubis iram DEI, at verò Archangelus Michaël tubâ cecinit. *Ignosce Domine DEUS noster.* Dum illi canebant Angeli, pœnæ sequebantur; dum Michaël oravit, sunt repressæ. Meruit exaudiri Michaël quia dum rebellant DEO Regi Angeli, illos compescit. Assistit nobis, quia contra illos, quos & ipse hostes habet. Psal. 136. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Jerusalem qui dicunt, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Chaldæus legit, *Dixit Michaël Princeps Jerusalem. Memor esto Domine*, &c. Hæc Oratio Michaëlis. Isti qui oppugnant tunc fideles,

ſunt filii Edom. Iſte populus eſt tibi rebellis, ne permitte ab illo vinci tuos fideles.

De Eodem. CONCIO II.

Angeli eorum.

NUlla poteſt eloqui lingua quanti nos DEUS faciat, ſervat ut theſaurum, & ipſe cuſtodit Pſ. 120. *Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Cingit nos muro præceptorum, alligat beneficiis. Oſeæ 11. *Traham vos in vinculis charitatis.* Cuique noſtrum mandavit ut cuſtodiat alterum, Eccl. 17 *Unicuique DEUS mandavit de proximo ſuo.* Denique Principes ſuos, id eſt, Angelos dedit nobis cuſtodes, quorum caput Michaël, de quo præcipuè hodie feſtum, de illo quod ex Evangelio eruere potero, dicam.

Statuit in medio parvulum, hîc mihi inſinuatur humilitas Michaëlis. Factum eſt prælium in cœlo, &c. Ille, *Quis ut DEUS?* Variè ſe humiliârunt Sancti. Ignatius Mart. qui propter ſuas virtutes etiam Ethnicis fuit miraculo. Quid ille de ſe epiſt. ad Roman.? *Me pudet de illorum numero dixi* (Chriſtianorum) *non enim dignus ſum, cùm noviſſimus eorum, & abortiuntur quidquam.* S. Ephrem. quantus fuerit patet ex Nyſſeno, qui ita de illo. *Ejus rectè factis totus terrarum orbis plenus, ejus miſericordia tanta, ut ſuperet omnem humanam conditionem, & ſicut Paulus, ſit vas electionis.* Quid ille de ſe cap. de Timore animæ? *Ego Ephrem. peccator ignavus & piger in certamine ſpirituali, in quo aſſiduè ob negligentiam meam animique torporem vincor.* Alii Sancti aliter ſe humiliârunt. S. Michaël. *Quis ut DEUS,* in profundum ſe nihili abjecit, deguſtat nihil manûs qui eâ truncatus; cæcus nihil oculorum, S. Michaël in totius ſui nihil

nihil se mersit. Lucifer considerabat suum esse, è contrà Michaël suum non esse, & multò profundiùs se demisit quàm Lucifer se extulit, & ita se humiliavit Michaël quantum nemo nostrûm cogitare potest; statuit enim se ex opposito Divinæ magnitudinis, quàm melius cognovit quam ullus nostrûm. Et sicut est DEUS magnus, ita se parvum proportionaliter judicavit. *Quis ut DEUS?* DEUS omnia, ego nihil. DEUS infinitus, ego quasi pulvisculus. Facessat Luciferi superbia, sit damnabilis, sit execrabilis. Adamavit illum propterea DEUS, ut de illo dici possit, Isai. 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & trementem sermones meos?* Jam nobis inclamat Bernar. *Quid super his terra, cinis?* Habuitne Michaël peccatum ob quod se humiliaret? nos faciamus ut fit circa hortos, qui spinis circumponuntur ne fur intret, ne superbia intret circumponamus nos spinis peccatorum nostrorum. Climachus scribit de quodam, cùm tentaretur superbiâ, scripsit hæc in pariete. *Perfecta charitas Angeli & humilitas, nudissima oratio, incorruptibilis castitas.* Et sibi inclamabat: *Cùm has omnes possederis, tunc scies quàm longè adhuc à DEO sis.* Fuitnè ita ingratus DEO Michaël post tot beneficia atque nos? tot debita habemus, quomodo exolvimus? Fuitnè ille tam vilium natalium? Pater noster proscriptus è paradiso. Fratres non pauci in rotam acti in inferno, &c. & superbimus! Unde hoc provenit? Rusticus qui nunquam vidit palatia, &c. putat domum suam esse quid magnificum: sed ubi illa conspexit, jam aliter judicat. Non consideramus nos, & non respicimus quantus sit DEUS. *Quis ut DEUS?* Nos premit, *nisi efficiamini ut parvuli.*

Alterum est quod ex isto Evangelio decerpo pro S. Michaële. Factum Luciferi fecit ingens scandalum in cœlo, quo tertia pars Angelorum in peccatum ruit; reliquos Michaël

detinuit. Et factum in cœlo quod Psal. 141. *In hac via in qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Pœna scandali. *Expedit ut mola asinaria*, &c. Hoc spectatur in Angelis malis, siquidem demersi sunt in profundo inferni. Quid ad hæc, qui inducunt alios ad vindictam? qui impura coram aliis dicunt? qui turpes imagines proponunt? cantiones fœdas? &c. Lex DEI est, Exod. 21. *Dens pro dente, oculus pro oculo.* Quidni etiam anima pro anima? Ludov. Granatens. nullum putat certius damnationis signum, quàm scandalisare. Ita enim conc. hod. *Inter quæ* signa *mihi præcipuum locum hoc genus sceleris habere videtur.* Quia per quæ quis peccat per eadem punitur. Peccat animas alienas perdendo, perdet suam. Tertium est, *Angeli eorum*, quia nostri; amemus, sed præcipuè Michaëlem. Illi Abrahæ promiserunt filium, Samsonis & Joannis nativitatem, imò & B. Virginis. Illi ex periculis unum, ex cæcitate alterum liberârunt Tobiam: è fornace ignis pueros. Illi, Isai. 66. os calculo ignito purgârunt, os asinæ Balaam aperuerunt. Illi Petrum ex carcere, Act. 12. Loth ex Sodomis. Illi 3. Reg. 19. paverunt Eliam. Illi hostem Sennacherib occiderunt. 4. l. Reg. 39. Judam Machabæum defenderunt. 2. Mach. 10. Illi uno verbo nos custodiunt in omnibus viis nostris. Illi ne pereamus à securi Divinâ, precantur. Luc. 12. Horum Angelorum Princeps Michaël, ille circa nos eorum custodiam disponit. Meminerimus ergo illos nobis semper adesse. Bern. *Quovis angulo, quovis loco reverentiam habe Angelo tuo, & ne audeas coram illo facere, quod me præsente non auderes.*

Periissemus pridem si nos Angeli non defenderent. Apocal. 7. *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos.* Dæmon in nos immittit ventos à quatuor angulis, ut in domum Job. Ab Oriente, vani gaudii, luxûs, luxuriæ; hunc ventum tenent Angeli, ostendendo omnium

omnium vanitatem. Ab Occidente ventum ſuſpicionum, blaſphemiæ, vindictæ, doli: tenent Angeli excitando in nobis ſpiritualem lætitiam. A Meridie ventum oblivionis præceptorum DEI, votorum; tenent excitando timorem DEI. A Septentrione ventum ſpei longæ vitæ, dilatationis vitæ melioris; tenent oſtendendo vitæ incertitudinem. Sicut dæmones omni modi invigilant ut nos perdant: ita Angeli ut nos ſalvent. Volebat dæmon ne corpus Moyſis ſepeliretur, ut occaſio Judæis eſſet idololatriæ; ſepelivit Michaël ut eſt in epiſt. S. Judæ. Ille ſe Antichriſto opponet. Apoc. 12. Ille noſtras animas ducit ad cælum. Precemur cum Baſil. hom. de Angelis. *Tibi ô Michael Duci ſuperiorum ſpirituum cæteris prælato omnibus, tibi ſupplico, &c.*

In feſto S. Angeli Cuſtodis. CONCIO.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei. Matt. 18.

SI experiremus, dum in foſſam ruimus, ecce nos aliquis retinet: dum inimicus invadit, ecce defendit: dum hæremus dubii, ecce dat conſilium. Si fulmen imminet capiti, ecce avertit: ſi dum peccamus, ecce reprehendit. Quantoperè hunc benefactorem videre deſideraremus! Hæc nobis præſtari ab Angelis experimur, ſed eos videre oculis non poſſumus, quia ſicut non poteſt percipere auris colorem, ita nec oculus ſpiritum: ſi verò eos ſenſu non percipimus neque intellectu quales ſunt in ſe, quia nihil eſt in intellectu quod non priùs fuerit in ſenſu. Apparent aliquando ſpecie juvenum, ſed eſt illud corpus ex aëre formatum. Apparuit

Daniel.

Daniel. 10. Sed sub quibusdam symbolis, nam vestis linea puritatem, cingulum aureum charitatem, chrysolitus immortalitatem, fulgur agilitatem, oculi instar lampadum perspicacitatem intelligendi notabant, fortè aliquid clarius in Evangelio hodierno reperiam, & hoc proponam.

Certum est non solùm ex S. Scriptura sed etiam ex Philosophia esse Angelos, & quidem ratio est Platonis. Perfectus numerus est denarius, ultra quem non datur progressus nisi ad initium redeundo. Species rerum sunt ut numeri, nam si ad 2. addideris 1. jam fit alterius speciei numerus quàm antè fuerat; ita si rerum speciebus addideris unam perfectionem essuntialem, jam fiet alterius speciei. Sunt verò in mundo viventia quæ unicam perfectionem habent, scilicet vivere, & tales sunt plantæ; sunt quæ duas, vivere & sentire; & talia sunt animalia, quæ tres & tales homo habet, vivere, sentire, ratiocinari: ergo debet esse species quæ habet quatuor alioqui non esset perfectus numerus, & tales sunt Angeli, nam 1. 2. 3. 4. faciunt 10. Et iste est triangulus cujus basis est in DEO, apex in unitate. Ratio verò etiam Philosophica S. Thomæ, 1. p. q. 50. artic. 1. Omnis causa in hoc incumbit ut quàm simillimum sibi faciat effectum. Non assecutus verò fuisset id DEUS nisi fecisset Angelos, qui ipsi similes sunt multùm, plantæ verò, animalia, homo minùs similia, & sic gradatim similiora, itaque DEUS creavit Angelos. Deinde, etsi DEUS per seipsum possit hæc in mundo regere, tamen viliora regit per nobiliora, ut bruta per homines: igitur debuit fecisse etiam alios per quos regeret hominem, & isti sunt Angeli. Ex quo ipso patet quantùm deceat venerari Angelos, cùm ipsi nostri sint gubernatores.

Isti Angeli quàm sint excellentes docet Evang. cùm dicit, *Vident faciem Patris*, in est DEI. Ex quo sic. DEUS est Spiritus,

Spiritus, igitur & Angeli, nam oculus materialis videre spiritum non potest; si verò substantiæ spirituales, etiam sunt immortales, loco non circumscribuntur, à qualitate materiali, ut est calor, frigus, &c. non patiuntur, non habent extensionem mensurabilem, sunt penetrantes & penetretrabiles, sunt perfectiores rebus visibilibus; jam si existit aliqua, statim ab initio sui omnem suam perfectionem habuerunt, ut Sol, Luna, &c. etiam illi omnem scientiam quam potuissent deinde consequi, scilicet infusam, omnem pulchritudinem, robur omne. Hinc conspecto Angelo, Apoc. 23. voluit illum Joannes adorare. *Vident* isti *Angeli faciem Patris.* Itaque cognoscunt quantùm deceat illi parere, illius voluntati se conformare. Ejus voluntas est ut nobis serviant, faciunt libentissimè etiam in abjectis rebus. Vultis exempla? Timotheum accessit specie Medici Angelus, ut ejus febrim curaret. In specie Chirurgi Christinam, ut ejus vulnera sanaret. In specie pueri Aurelio, ut ejus cubiculum purgaret. In specie cursoris Antonio, ut illi inserviret: In specie bubulci Isidoro, ut ejus boves custodiret. In specie nautæ Basilidi, ut apud illum ageret remigem: In specie fossoris Landradæ, ut illi sepulchrum effoderet. In specie coci Eutberto, ut illi cibos præpararet: In specie sartoris & lotoris Vanderphilo, cujus & refecit & eluit vestes. *Vident faciem Patris*, quia ille amat nostram salutem, & illi amant; ab illis procedunt illi instinctus. *Surge de peccatis, restitue, confitere, dispone te pro morte, legem DEI serva.* Neglexerat vel potiùs explicuerat sibi Moyses legem DEI de circumcidendo filio, dum esset in itinere ob incommoditatem, apparet Angelus cum gladio Sephoræ ejus uxori, & duobus filiis Gersæ & Eliezero, nec jam suadet sed cogit ut servent legem. Isidor. Pelusiota, lib. 1. epist. 125. *Adversùs eum Angelus gladium intentat, ut legis ad quam explendam profi-*

ciscebatur transgressionem ipsi objiceret. Nam cùm legislator à DEO institutus esset, ac legem accuratiùs servare deberet, ipse primùm hanc violabat. S. Franciscæ Romanæ quia affinium suorum colloquia non satis gravia audivit nec interrupit, Angelus alapam impegit. Juvenis quidam Germanus à sociis ad quandam conversationem minùs honestam inductus, ab Angelo ita percussus ut corruerit semivivus. Monachus Coloniensis Liffardus fugam ex Monasterio tentabat, severo vultu illi apparuit Angelus, & duxit in cœmeterium, sepulchrisque apertis variis, jussit putrida cadavera spectare, ut servet se mox illis futurum similem. Monachus clamabat: *Parce mihi Domine, parce, non enim illa possum videre*, scilicet cadavera. Sed Angelus eum non dimisit, donec juraret mansurum se ad mortem in Monasterio. Ita Cæsarius lib. 4. Rectè Greg. lib. 2. epist. 37. *Hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam meæ maculas mentis tergo.* At mitiùs agit Angelus nobiscum, sed tamen agit; audite solùm conscientiam, audietis voces illius, nec minùs beneficii Medicus præstat, qui per emplastra & unctiones curat, quàm qui per sectionem & ustiones.

Vident faciem Patris misericordissimi, & nostri Angelus miseretur, ac in miseriis succurrit. Primùm visus est Angelus in terris, sed à quo? ab Agar mancipio ejecto ex domo Abrahæ, Gen. 18. Venit ad Danielem, cùm inter leones projectus esset. Dan. 4. Venit ad Petrum, cùm inter quatuor quaterniones militum in carcere jaceret, & tam Agarem quàm Davidem, quàm Petrum salvavit. Venit ad Tobiam cùm cæcus esset, &c. Sed recentius est quod refert Barry. Juvenis erat Constantinopoli Angelo suo custodi devotus, in cujus etiam honorem vovit nunquam falsum dicere; accidit ut à quodam clari generis provocaretur ad duellum, occidit adversarium, nemo erat cædis conscius; propter quasdam tamen conje-

ctūras

cturas raptus ad Judicem, & interrogatus, an ille occiderit? potuit negare & liber fieri: sed mentiri noluit, ne Angelum offenderet, fassus, damnatus colli, eductus in arenam, carnifex dum attollit glaudium, vidit juvenem severo vultu, qui ejus manum corripit, & ait, *Ne feri*; quater carnifex ictum tentat, quater ab eodem retinettur, demum totus rremens abjecto gladio desilit è theatro. Affines occisi suspicati dolum emptum à carnifice, nam nihil eorum viderant quæ carnifex, rem perfici per unum è medio sui volunt, sed idem evenit. Aperit causam, & reus dimittitur, castigatus mortis metu quòd ad duellum descenderat, salvatus quia propter Angeli reverentiam mori quàm mentiri elegerat. Magna hæc Angeli merita, sed non minùs quòd à nobis etiam offensus non recedat. Petr. Damiani serm. 5. de Exaltat. S. Crucis. *Quotidie Angelos ad nostram custodiam deputatos multipliciter offendimus, ipsi autem licet à nobis frequenter injuriam patiantur, sustinent tamen, nec minor circa nos illorum custodia, imò major sollicitudo*, scilicet ut Medici boni circa periculosiorem infirmum. Vicinam mortem Austrebertæ & Adelgundæ Abbatissis denunciavit Angelus, ut tantò se magis pro illa disponerent. Idem factum Suitberto Episcopo, idem Aicardo, idem Mauro, Cononi Monachis. Idem Paphnutio Eremitæ, Lupicino recluso. Angelus cuidam Eremitæ de quo in vitis PP. servit per dies septem in morbo extremo. Hæc faciunt, quia *vident faciem Patris*, & ex ea valorem animæ. Vident per istas animas suppleri ruinas quos cœlo intulit Lucifer. Et quia dæmones volunt animas id facturas perdere, zelant fratres pro Dina, Gen. 24. *Quid ut scorto debuerunt abuti sorore nostrâ.* Invidet verò dæmon ne illò nos conscendamus unde ille decidit. Angelis autem propter nos augetur gloria accidentalis, dæmon ducit ad superbiam quæ intolerabilior in homine luteo, quàm

in Angelo, hinc Dominus exemplum parvuli adducit in Evangelio.

Denique testibus benè id expertis probo favorem in nos Angelorum. Aug. soliloq. c. 27. *Magnâ curâ, & vigilanti studio aderunt nobis omnibus horis & locis custodes Angeli providentes necessitatibus nostris.* Cyrill. Jerosol. catechef. 14. Angelus *ubique curat ignorantias nostras.* Bern. serm. 1. in Cant. *Assiduis suggestionibus monet animam.* Ambr. in Ps. 56. *Angelus in circuitu est hominis, qui defendit ne quis noceat ei.* Laur. Justin. de spirituali animæ resurrect. *Quis quæso nisi Angelico suffultus esset auxilio, tam immanissimorum hostium valeret sustinere rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudesque detegere?* Hæc sunt præter supra dicta, Angelorum beneficia. Quid verò aliud pro illis à nobis exigunt, nisi quod Raphaël dum illi dimidium bonorum offerret Tobias. Tob. 12. *Benedicite DEUM cœli, & coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Hanc gratitudinem reddamus Angelis.

In festo S. Francisci Seraphici. CONCIO I.

Ego reficiam vos. Matt. 11.

FAcilè possemus dicere quis major Sanctus si haberemus aliquam mensuram quâ illos metiri possemus. Sed hæc in aliis Sanctis difficilior, in Francisco facilis. Mensura Sancti est id, ad quod à DEO destinatur. Ita B. Virginem dicimus maximè sanctam, quia est ad hoc destinata ut esset Mater Christi; Apostolos valde sanctos, quia Legati Christi. *Legatione fungimur pro Christo*, & illam cum honore debebant obire. S. Franciscum ad quid elegit? Ipsemet Christus apparens ei ter in templo S. Damiani in forma Crucifixi dixit:

Repara

Repara domum meam, quæ ut vides tota destruitur. Hoc ipsum manifestavit Innocentio Papæ in somnis, dum ostendit Franciscum Ecclesiam Lateranensem fulcientem. Vocavit itaque eum ad hoc, ut esset reparator Ecclesiæ, hâc mensurâ metiar Franciscum.

Quando plures sunt artifices, qui v. g. domum aliquam possunt facere, plures etiam possunt illam reparare; sed si talis sit domus, ut non nisi unicus in orbe sit artifex qui illam faciat: si illa destruatur, vel ipsemet debet illam reficere, vel valde illi similis. Nemo potuit exstruere Ecclesiam nisi Christus, itaque nec ruentem reparare nisi ipsemet: sed cùm reparandam Francisco dederit, signum est quòd similem sibi Franciscum judicaverit. Vidit Salomon, Eccles. 9. Ecclesiam sub specie civitatis ab hoste obsessæ, jamjam perituræ, non reperiebatur qui succurreret, tandem *inventus est vir pauper & sapiens, qui per sapientiam suam liberavit eam.* Planè de Francisco prophetia, qui ita paupertatem dilexit, ut appellaret suam Dominam, sapiens Christianâ sapientiâ quæ consistit in humilitate. Sed utique ipsemet Christus reparat Ecclesiam? Levit. 14. Dum fieret pro leprosis, id est peccatoribus, sacrificium, duæ offerebantur aves, una occidebatur, altera sanguine uncta dimittebatur; reparat Christus suâ morte, reparat Franciscus unctus sanguine. Oppugnabatur ut civitas Ecclesia, schismate & hæresibus ac peccatis maximis, Christi unctus sanguine reparat Franciscus. Hinc ego volebam Franciscum appellare Oniam, de quo Sap. *In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Et hoc Franciscus dum verba Christi non satis intelligens templum laterculis reparabat, quod fecit Onias. Hoc modo & Matathiam vocavissem, qui visis ruinis templi *sedit in monte, & scidit vestimenta sua, & operuit se cilicio, &c. fugit ipse in montes.* Franciscus vesti-

menta coram Episcopo rejecit, fugit in montem Alverniæ opertus cilicio. Sed ampliùs quid lego in Apoc. 7. *Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, clamantem voce magnâ*, &c. *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusque signemus servos D E I in frontibus eorum.* Quis signat servos Christi nisi ipse Christus magni consilii Angelus? ecce alter Angelus Franciscus ab Assisio quod respectu Romæ est in Oriente. Et ut ut ita explicem, jubet S. Bonav, *Indubitabili fide credendum esse quòd* Joannes *loquatur de Francisco.* Christi opus est reparare Ecclesiam, sed ille dum non sit venturus nisi in fine mundi, mittit interim sui loco Franciscum, & ut illi credatur, loco literarum patentium ut illi avi, Levit. 14. dat sua stigmata cruenta.

Jam videamus quomodo similis Christo Franciscus, ut inde cognoscamus quàm idoneus sit ad reficiendam Ecclesiam. Christus est ex Patre cœlesti: Franciscus depositis vestibus coram Episcopo, nunc fidentiùs dicam. Pater noster qui es in cœlis. Sed ulteriùs. Angelus Christi nativitatem annunciat. Peregrinus quidam, fortè Angelus Francisci. Christus accepit formam servi, Franciscus appellabat se peccatorem. Christus pauper, & hic; Humilis, & hic. Christus fecit vinum ex aqua, & hic aliquando convertit aquam in vinum. Christus 40. diebus jejunavit, & iste ante Festum S. Michaëlis. Christus dicebat suis, *Vade, vende omnia*, &c. Hoc & iste. In Christum lapides sunt projecti, in hunc lutum. Christus panes multiplicavit, hic panem ab Angelo accepit. Christus fuit in eremo, dæmones expulit, ægros sanavit: fecit idem Franciscus. Christus in cruce nudus, hic in terra nudus mortuus. Christi manus & pedes foderunt: & hic de se, *Ego stigmata Domini mei in corpore porto.* Christi lateri Thomas digitum imposuit, & huic impositus. Pro Christo gladium eduxit Petrus,

Petrus, & pro hoc Paulus; nam cum in Hibernia fratres ejus gravem persecutionem paterentur: custos cujusdam Ecclesiæ audivit colloquentes depictos in pariete Franciscum & Paulum: dicebat Paulus, ecce non vindicas tuos fratres: Franciscus, me decet pati, crucem porto, non gladium; tum Paulus, da mihi tuam Crucem, & meum sume gladium, ac te vindica, facta hæc mutatio in imaginibus, & caput persecutori eadem nocte amputatum manu invisibili, & posterâ die gladius in manu Francisci comparuit cruentus. Platus cap. 33. Christus innocens, & huic obediunt aves, bestiæ; tacere jubet hirundines, silent: jubet, *Soror mea cicada veni ad me*, venit. Ita obediebant Adamo dum fuerat innocens. S. Th. 1. p. q. 96. art. 1. *Inobedientia ad hominem eorum quæ ei debent esse subjecta, subsecuta est in pœnam ejus quòd ipse sit inobediens DEO.* Paret Francisco ignis, nam dum vellet eum sollicitare impudica mulier, ille per cameram spersit carbones vivos, & illis nudus incumbens ait, si vis veni ad me. Apud Soltanum per ignem transivit illæsus; idem fecit apud Fridericum II. Imper. Quia, *esse patibile*, ait S. Th. *est pœna peccati*, ille innocens. Christus spinas accepit, quia *factus est pro nobis peccatum*, in pœnam peccati terra profert *tribulos*: Franciscus innocens, & novus Adam. Christus stans moritur, & Franciscus stat hucusque mortuus. Christus ex inferno Patres educit, & Franciscus quendam Episcopum, ut est in Chronico Ordin. Christus Spiritu oris sui Antichristum interficiet. Et in serm. de S. Franc. narrat Palmerius, cùm fuisset in mare dejectus Benedictus Aretius Franciscanus, delatus est in paradisum; eo viso lætati sunt Enoch & Elias, dicentes: Isti sunt qui nobiscum contra Antichristum pugnabunt. Christum confortabat Angelus, & huic mœsto lyrâ accinuit. Christus elegit 12. Apostolos, ille tot discipulos. Isti verò *sicut sagittæ in manu*

potentis

potentis ita filii excussorum. LXX. pro, *excussorum*, legunt *juvenes expediti in opere.* Genebr. *excussorum è pulvere*, contemptores scilicet terrenorum, veros pauperes. Lætus Franciscus moriebatur, quia fidem servavit suæ Dominæ paupertati. Christus ascendendo in cœlum reliquit paupertatem, Franciscus iliam induit. Jonathas 1. Reg. 18. *expoliavit se tunicâ quâ erat indutus, & dedit eam David, diligebat enim eum quasi animam suam.* Ita Christus Francisco paupertatem. Hâc induti Filii ejus veluti sagittorum excussorum, quos hostes fidei ac virtutis prostraverint, quis numeret? Apostolorum similes sunt. Denique hîc addi potest quod in transfiguratione Christi in monte Thabor contigit, cùm essent præsentes Moyses & Elias. *Hic est Filius meus.* Et statim ille desinuit videri. Cur ita? quærit Hieron. in Matth. & respondet. *Ne si Moyses & Elias perseveravissent, Patris vox videretur incerta, cui daret testimonium.* Qui nesciret de Christo, de Francisco posset dubitare, an non ille esset.

Meritò ergo ad reficiendam Ecclesiam mittit Christus Franciscum, qui etiam ut Christus illam reparat per quinque veluti vulnera in eam influendo, & quinque res potissimùm præstat. 1. Reduxit ad paupertatem Apostolicam. Detrahit mors nolimus velimus & quidem sine lucro omnia. Quod hic deseris, in cœlum mittit. Apoc. 16. *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* 2. Reduxit ad pœnitentiam; non pœnitentibus DEUS imponet pro jejunio famem perpetuam, &c. 3. Reparavit humilitatem. S. Bonavent. cap. 6. vitæ S. Francisci ait ostensum fuisse thronum in cœlo, de quo Cherub. quidam propter superbiam cecidit, & Franciscus illum obventurus esset per suam humilitatem. Cherub ille Lucifer. Pœnitebat Franciscus ac si maxima peccata fecisset, nos quid? Si aliquorum filiorum occisus esset pater, & occisores

cisores in conspectu filiorum starent, filii tamen furarentur. Adam occisus quia per superbiam furatus gloriam DEO, stant coram nobis occisores dæmones, tamen furamur. 4. Reparavit charitatem laborando ut omnes salventur. Ordinem fundavit; dicebant quidam, nimis est arcta regula. Ille verò: *Ego scripsi quòd Christus ore suo ordinavit, ideò nihil mutabo, quia servus in litera Domini nihil potest mutare.* Et addit S. Vincent. conc. hod. *Qui hanc regulam servat, sanctus est; & quando moritur, posset canonizari.* Sed etiam in mulieribus reparavit charitatem DEI, erexit alium ordinem pro fœminis; & ut conjugati etiam magis amarent DEUM, erexit tertiam regulam. 5. Reformavit in bono perseverantiam, erigendo in plurimis locis Monasteria, quæ exemplo & doctrina in bono conservant Ecclesiam. In obitu ejus anima clara ut Luna visa in cœlum ascendere. S. Vinc. l. c. quasi diceret Christus. Ecclesia mea in terris ut Luna, eam reformâsti, erit mihi altera Luna, altera Sponsa, altera Ecclesia, &c.

De Eodem. CONCIO II.

Confiteor tibi Pater. Matth. 11.

SIcut ipse Christus veniens in mundum non eundem se omnibus exhibuit, sed pro necessitate aliis Patrem, aliis Consiliarium, &c. Collegit hæc officia, Isai. 9. *Vocabitur nomen ejus, admirabilis Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hoc ipsum facit in suis Religionibus. Et hæc munia inter illorum Patriarchas distribuit, licet in omnibus idem sit spiritus. Hoc ipsum dixit Christus S. Birg. lib. 7. Rev. 20. *Omnes regulæ non fuerunt compositæ ab eorum* Fundatorum *intellectu, sed aspiratione ejusdem Spiritûs S.* Diversitatem

muniorum adnotat Ecclesia in orationibus pro illorum festis; in S. Dominico doctoratum, *DEUS qui Ecclesiam tuam B. Dominici illuminare dignatus es doctrinis.* In S. Ignatio animum militarem in promovenda DEI gloria. *DEUS qui* &c. *Ecclesiam militarem novo præsidio*, &c. In S. Augustino misericordiam erga animas. *Consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum.* In S. Benedicto vim orationis. *Quod nostris meritis non valemus ejus patrocinio assequamur*; & sic de aliis. Sed in S. Francisco. *Confiteor tibi Pater.* Patrem mundi seu Ecclesiæ. *DEUS qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas.* Videamus hoc ipsum.

Tribus modis pereunt in magno numero homines, bello, peste, fame; totidem modis animæ. Fames est, *Petierunt parvuli panem, & non erat qui frangeret*, bella hæresum. Pestis, universalis corruptela. Hæc omnia fuerant in mundo, adeò ut jam Christus tres lanceas paraverit, quibus erat facturus finem mundo, nisi B. Virgo impetravisset ut mitteretur S. Franciscus & S. Dominicus ad occurendum illis tribus malis. Mittit ergo Franciscum Christus. *Vade & repara domum meam, ecce labitur.* Ille primùm intellexit de quadam Ecclesia reparanda, atque operi se accinxit, sed meliùs instructus ab eodem Christo. Sicut Moyses cum virga, sic ille cum Cruce processit; hîc virgâ miracula faciebat, Pharaonem frangebat. B. Sylvester vidit ex ore S. Francisci Crucem prodeuntem, quâ ille pellebat Luciferum ex mundo; etiam Crucem vidit in ejusdem pectore B. Pacificus è duobus gladiis decussatim positis constitutam. Verba ejus erant sicut Moysis, legem scripsit quam à DEO accepit. Ad orationem magis propendebat, sed Româ dum redit cum regula, revelatum illi fuit, DEUM velle ut Franciscus agat Concionatorem. De hac revelatione aliquantùm dubius, consuluit Fratres, petierunt illi à S. Clara & à B. Sylvestro, ut ampliùs DEI voluntatem exquirerent.

Reve-

Revelavit illi DEUS Franciſcum à ſe ad concionandum deſtinatum. Ecce duæ Cruces, una humilitatis in regula quâ fregit ſuperbiam Luciferi: alia in pectore è duobus gladiis, quia concionari oportet exemplo & verbo. Concionabatur jam ille antea exemplo. Volutavit ſe in nivibus, ecce concio pro tentatis à libidine. Veſtes ſibi detractas diſtribuit inter pauperes, ecce concio de avaris. Deplorabat ita peccata, ut vi lachrymarum oculi fuerint læſi, ecce concio pro pœnitentibus. Reparabat templum ruinoſum, ecce pro invaſoribus Eccleſiæ, &c. Sed etiam voluit DEUS ut verbo prædicaret, excuſabat ſe fortè ſicut Jeremias. *A. A. A. Domine neſcio loqui.* Dominus vero: *Ecce ego tecum ſum, noli timere, ibis ad omnia ad quæ te mittam.* Et fuit cum Franciſco, nam ipſe illi regulam dictavit, ut eſt apud S. Birg. 7. revelat. 20. *Quodlibet verbum quod in ea ſcriptum eſt à Spiritu meo*, ait Chriſtus, *fuit inſpiratum.* Quod adeò certum eſt, ut cùm aliqui de hac re dubitarent, de quo Wading. ad an. 1223. præcipuè F. Elias, illis audientibus Chriſtus dixerit, *Ita eſſe.* Deinde an. 1525. F. Matthæus Barci in Marchia Anconitana, cùm miſericordiâ motus ſupra nudum mendicum, eum ſuâ veſte texiſſet, & mendicus diſparuiſſet, intellexit hunc Chriſtum fuiſſe, cùm deliberaret, quid ampliùs pro vita perfecta faciendum, audivit, *Serva regulam ſecundùm ordinem.* De hac regula S. Vincent. Ord. Præd. conc. hod. aſſerit, quòd qui illam ſervat, ſtatim canonizari deberet.

Ita Sanctus domi concionatus; videamus quomodo foris. Erat Sancti concio ſimplex, ſed plena Spiritu, ſed penetrabilior omni gladio. Concionatus eſt in quodam pago, ſtatim omnes petierunt fieri Monachi. Pagus hic dictus Carnieto, diſſitus Aſſyſio quatuor milliaribus; & iſta fuit occaſio ſcribendæ tertiæ regulæ. Poſt aliam concionem ſtatim tri-

ginta accesserunt ad Sanctum petentes habitum. Post aliam habitam in templo S. Mariæ de Portiuncula, innumeri planè petierunt ad ejus Ordinem suscipi, & quingentos suscepit. Jam numero Fratrum auctus, mittit illos in quatuor orbis partes, ex quibus adhuc eo vivente sunt facti Martyres quinque in prædicatione apud Regem Marrochi. Ipse miraculosè ad hoc Fratres aptat, nam Joanni dicto à S. Francisco ignoranti linguam Mexicanam dedit eam statim plenam. Aliis ad novam in Ecclesia prolem dedit eam fœcunditatem, ut cùm Martinus Valentinus cum sociis prædicaret in Indiis, an. 1524. ipse, & singuli socii, centena millia converterint. Alios, ut authoritatem faceret, luce mirabili concionantes irradiavit, ut de illis dici posset, *Vos estis lux mundi.* Favit DEUS Francisco & filiis ejus, tot dedit illi proles, quot per S. Antonium de Padua, per S. Bernardinum, per S. Ludovicum Caroli Regis Siciliæ filium, per S. Bonaventuram, per S. Petrum de Alcantara, per plurimos alios convertit. Interim & ipse & filii ejus in tantum paupertatis amatores, ut cùm ad sepulchrum B. Petri magna fierent miracula, quibus populus incitatus maximas dabat Fratribus eleemosynas, mortuo injunxit sub obedientia, ne deinceps faceret miracula, & paruit.

Neque hic contentus Franciscus, sicut pueri in fornace Babylonica. *Benedicite cœli*, &c. Rebus inanimatis prædicabat ut laudarent Creatorem, eidemque nomine illarum gratias agebat. Ad Barbaros etiam suscepit peregrinationem, ut id quod docebat obsignaret sanguine. Ivit ad Saladinum in Syriam, sed ab eo loco Martyrii recepit honorem. Ivit Marrochium ad Mauros, sed cùm transiret Galæciam à S. Jacobo jussus redire. Ivit ad alium Saladinum in Ægyptum, & coram eo concionatus. Per Zachariam suum filium hæreses confutavit, in Antonio de Padua dictus hæreticorum malleus.

leus. In Antonio Bissanensi fregit Lutheranos. In Andrea de Castro ternis linguis concionatus quotidie, &c. Eccl. 2. *Oculi ejus in capite.* Num alibi poterant esse? Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* In Christo habuit Franciscus oculos, ipsum respciebat, & ut ille fecit, agebat. *Oculi stultorum in finibus terræ*, bona temporalia, limites possessionum respiciunt. Abraham dixit ad Dominum. *Loquar ad Dominum cùm sim pulvis & cinis.* Vilior quàm terra, quia hæc fructifera: Vilior quàm cinis, quia hic usui solet esse: sed pulvis & cinis; cinis pulvere mixtus, qui ad nihil valet. Respexit Christum Franciscus, & cùm ore diceret. *Et quis es tu Domine, & quis ego sum?* acsi diceret, ego pulvis & cinis. Præceptum fuit, Levit. 6. *Cinerem victimarum extra ejicite*, ardebat intus, in corde hæc victima, ejicit cinerem extra in vestes, & colorem cineris in eis statuit. Quid ad hoc Christus? Certè illa Assueri. *Quid homini illi fieri debet, quem Rex voluerit honorare?* Vestibus Regis induatur. Stigmata sua illi imprimit. Galat. 4. *De cætero nemo mihi molestus sit, quia stigmata Domini mei in corpore meo porto.* Nemo me impediat, prole implebo Ecclesiam, mundum penetravi, jam literas credentiales à Christo accepi, etiam ad infernum descendam, si fortè etiam ibi aliquam facere possem Ecclesiæ prolem.

In Hispania in regno Castiliæ Petrus Dias Episc. Rodrigo, vitæ impuræ, ut est in Chron. Franc. sed amator S. Francisci, ac in Fratres ejus liberalis, incidit in morbum periculosum; comparet S. Franciscus ejus famulo, jubet, moneat Dominum ut suæ domui disponat; monitum non habuit pondus. Post triduum comparent famulo duo canes nigri: comparet & Sanctus, & asserit hos esse dæmones qui Domino inhiant, proinde rem suam agat; neque hoc profuit. Tertiò, comparuit ahenum plenum pice, in quod ægrum parabant inji-

injicere dæmones: etiam hoc non terruit. Jubet Sanctus, ut famulus dtgitum in illam picem mittat, & eâ combustum ægro ostendat; tandem Episcopus eo viso, confessus est & mortuus. Dum Officium caneretur, supra corpus resurrexit cadaver, & dixit se damnatum fuisse, quia absque contritione confessus: sed impetratos sibi per S. Franciscum dies vitæ viginti ad pœnitentiam. Incisa hæc est historia marmori in templo Cathedrali in Rodrigo. Confiteor tibi Pater S. Francisce, verè es Pater multorum, succurristi contra famem per verbum DEI, & simul contra pestem: impetus hæreticorum retudisti, per hæc plurimos iterum genuisti mortuos, plurimos ne moriantur prævenisti. Magnus es Pater, &c.

In Festo S. Francisci Borgiæ S. J. CONCIO.

Placitum est Patri vobis dare regnum.
Matth. 11.

QUI pro Sanctorum festis dicunt, diversis illorum gesta alegoriis explicant, alii vocant eos palmas juxta illud. *Justus ut palma florebit.* Alii lucernas, *vos estis lux mundi*, &c. Ego illâ utar quâ usus Gregor. XIII. qui hunc Sanctum verbis Apoc. 2. appellavit. *Columnam in domo DEI.*

Miras vidit quadrigas in eodem curru Ezech. 1. Hominem, leonem, bovem, aquilam, quomodo his convenit? Justin. M. q. 44. *Cicur animal est homo, fervet leo: gravis vitulus, levis aquila.* Et quod magis mirêre, de iisdem idem Ezech. 10. *Facies bovis facies Cherub, ipsum est animal quod vidi*, &c. Beda dicit hìc esse allusionem ad columnas templi Salomonici, in illo

in una

in una columna fuit bos, in alia Cherub, &c. Currum ait figuram templi, Greg. in Ezech. lib. 1. c. 3. Sumamus hinc quod facies bovis, facies Cherub, & quòd utrumque ſit columna, bos convenit S. Franciſco, quia eſt ſtemma Borgiarum, videamus qnomodo eſt facta facies Cherub, id ſapientiſſimi, ſemper fuit ſanctæ vitæ, ſed ſanctiorem unde incepit? mortua fuit Iſabella Impetatrix, fæminarum formoſiſſima: illi incumbebat corpus illius Grunatam deducere, vidit formoſæ corpus deforme, ſanie fluens, fætore horrendum, vidit, miratus, vanitatem mundi velut Cherub penetravit, & eo ſpreto de immortalitate cæpit ſecum conſultare. Quærit Rupert. de Trinit. l. 4. c. 17. Cur DEUS arcam Noë juſſit fabricari ad proportionem hominis, quæ eſt enim longitudo hominis reſpectu latitudinis & altitudinis ejuſdem jacentis, illa fuit arcæ, ut eſſet quoad iſtas menſuras veluti unus grandis homo jacens, & reſpondet. *Ut ſe Noë ſalvaret aſpiciendo hoc quaſi ſepulchrnm quotidie.* O ſi nos ſeriò noſtra ſepulchra frequenter conſideraremus, quantus inde fructus eſſet? Aſpexit, vivo modo conſideravit, ſanctus iſte Cherub, & invenit theſaurum ſalutis, Job. 3. *Effodientes theſaurum gaudent cùm invenerint ſepulchrum.* Quia veteres magnas opes curabant ſecum in ſepulchro defodi, & Iſabella defoderat Franciſci ſanctitatem. Invento hoc ſepulchro poterat dicere Franciſcus Job. 17. *Putredini dixi Pater meus es tu.* Tu me putredo Iſabellæ genuiſti. Hìc factum eſt quod dixit Nyſſen. in Cant. 5. *Anima per mortem reſurgit à morte.* Ex hoc ſepulchro reſurrexit Franciſcus & factus eſt columna. Scribit Ambr. l. 2. de Jacob. c. 2. In Rachelis ſepulchro erectam fuiſſe columnam, certè eſt erecta in Iſabellæ. *Sepulta eſt Rachel, & columna ſtatuitur ſuper monumentum ejus, ô quanta myſteria, quia ibi eſt Eccleſia DEI.* Ab eo tempore caſtitatem cum uxoris conſenſu Franciſcus ſervat, & factum eſt quod Nazianz in funere

Gor-

Gorgoniæ. *Ostendens mortem esse quæ & conjugium & virginitatem gubernet.* Tum liberalius auxit corporis afflictiones, flagellationes, cilicia. Existens adhuc Vice Rex Barcellonæ totum annum in pane & herbis exegit. Orationem quotidie ab illo tempore prostratus humi per sex horas continuavit, tum illud Ps. 34. implevit. *Adhæsit anima mea pavimento.* Tum quod Tertull. lib. 1. de pænit. c. 9. *Cùm provolvit hominem elevavit.* Inter hæc ita egit ut nemo adverteret, ut illi conveniat quod Basil. de Nazianz. *Si fluvius est qui dulcis per mare fluit, ita inter coætaneos suos ille erat.* Fuit tum annorum Franciscus 33. hanc vitam asperam per annos septem continuos egit.

Promisit DEUS Apoc. 3. *Faciam illum columnam in templo DEI & scribam super eam nomen novum, & nomen civitatis novæ Jerusalem.* Quæ tunc civitas nova? Societas. Quod nomen novum. S. Thom. 3. p. q. 37. a. 2. *Nomen JESU est nomen novum.* Hoc nomen est inscriptum Francisco, hæc civitas dum est factus Societatis JESU, & quidem statim perfectè, quia per dispensationem Pontificis, eadem die quâ eam ingressus, vota quatuor solenniter professus, in hac veluti novo fervore in humilitatem incubuit, & omnibus subesse, omnium postremus haberi laboravit. Lucifer erat Cherub ut patet ex Ezech. 28. quærit de illo S. Th. 1. p. q. 63. art. 3. cur amisit suum principatum; & respondet ex S. Aug. 14. de Civit. 10. Quia appetiit principatum super alia. Franciscus quem habuit Ducatum reliquit & se fecit subditum. Ezech. l. c. fuit *Dux extentus* Greg. 34. Moral. 17. *Appetiit præesse cæteris.* Franciscus omnem Prælaturam fugit, ter Cardinalatum sibi collatum rejecit, sciebat, ut Beda in 18. Luc. loquitur, *Colorem purpuræ non sine sangvine extrahi.* Illud enim, quod rubet sangvis est vermiculi. Videbat sæpiùs in aëre supra caput suum pendulam miraculosè tiaram Pontificiam, per quod è cælo dignus Papatu censebatur, semper

ſemper exhorruit, & dixit, mihi ſola debetur pœna, unde ſibi conſtituebat locum in inferno, & quidem infimum, & quidem ad pedes Judæ. Propter dictam ſuperbiam Lucifer ſpoliatus ſcientiâ quàm DEUS illi infuderat: Franciſcus illâ repletus; nam ſtatim atque eſt factus Religioſus, eâ prædicandi gratiâ de cœlo repletus, ut cùm templa capere non poſſent, in campo illi concionandum fuerit, doctiſſimi quivis accurrerint, Reges conſilia expetierint Sancti, valdè æſtimaverint, ut S. Thereſia B. Pius V. Statim eâ peritiâ rerum ſuæ religionis plenus comparuit, ut miſſus fuerit Viſitator in Hiſpaniam, cum illo S. Ignatius Regulas contulerit, factus Aſſiſtens Societatis, deinde Vicarius Præpoſiti Generalis, demum ipſe Præpoſitus, quæ officia & ſummam ſtatûs ſuæ Religionis notitiam, & ſummam requirunt prudentiam, cùm opus ſit per totum mundum diſperſam gubernare Religionem. Ille hanc in occidentalem Indiam, in Regnum Pervanum, in Poloniam induxit. Cherub poſitus fuit ad portam paradiſi. Portæ ad Eccleſiam ſunt Scholæ, Franciſcus erigit Scholas Collegii Romani. De medio Cherub in templo ut tradit Chryſoſt. Orat. 3. in Julian. prodibat oraculum, & vox futura prædicens, & ille Spiritu Prophetiæ præditus. Et ſic internoſcebat ingreſſus templum an in illo fuiſſet SS. Euchariſtia. Denique Miſſam celebrans morbo correptus, & veluti alter Moyſes Deut 34. *In oſculo Domini* mortuus. Quæ columna Judæos duxit, optimè Franciſcum exprimit. Cherub ille fuit qui columna videbatur Pſ. 77. *Deducebat eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis.* De die fuit nubes ut ab ardore ſolis tegeret, de nocte fuit ignis ut illuminaret. Hoc ut nobis præſtet Franciſcus, precemur.

In Festo S. Hedvigis. CONCIO.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matt. 13.

NUnquam in veteri testamento cœlum appellatum est regnum, quia neque Rex illius neque Regina coronati fuerunt. In novo, *videte Regem Salomonem in diademate.* De Regina dicit David. *Astitit Regina à dextris ejus in vestitu deaurato.* Sed quasi solùm electa non coronata esset, coronæ non meminit. Ita nec sancti vocabantur hujus regni thesaurus, sed tandem Paulus appellavit, *vos estis corona mea.* Hoc de S. Hedvige prophetasse videtur Salomon. *Mulierem fortem quis inveniet procul de ultimis finibus pretium ejus.* Ex Polonia quæ ultimus finis Christianitatis puræ in Europa, quæ ultimò fidem accepit. *Mulier bona thesaurus viri sui.* Videamus quid in hoc thesauro DEUS posuerit.

Primam gratiam dat DEUS sive primam sanctitatem sine meritis nostris. Ita gratis nos in baptimo sanctificat, & ipsam B. Virginem gratis in primo instanti suæ conceptionis sanctificavit Rom. 10. *Inventus sum à non quærentibus me.* Et hæc gratia thesauro comparari potest qui casu in agro invenitur. Unde & Christus dicit. *Non vos me elegistis sed ego vos elegi.* Sic nemo habet unde superbiat, quia sicuti apud Assuerum non ipsæ sponsæ ornatum sibi comparabant, sed dabatur eis, ita & nobis. Hoc recogitabat Isai. 61. cum diceret. *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, circumdedit me quasi sponsam monilibus suis.* Hæc de prima sanctificatione.

De cætera ipsi nos ornamus cum DEO aut cum dæmone, non

110

non agam hic de peccatis quæ sunt dæmonis gemmæ & monilia: sed solùm de eo quod passim faciunt mulieres neque reputant pro peccato, id est, de vanitate in vestibus. Scitis quis sit mercatur dæmonis, qui pro illo coëmit animas sicut negotiator ejus? Tertull. ad uxorem cap. 4. *Florida vestis de proximo curat luxuriæ negotium.* Clemens Alexandr. lib. 2. pædagogi. cap. 30. *Laudo Lacedemonios qui solis meretricibus floridas vestes & aureum mundum gestare permiserunt.* Quo putatis pretio filiæ Cain Gen. 6. emerunt dæmoni filios DEI? Basil. Seleucus orat. 6. *Conspicati floridas & splendidas vestes earum.* Et hoc ipsum de virginibus quibusdam S. Hieron. ad Demetriadem. *Cutem poliunt, ungunt pigmentis*, &c. *Ut sub nomine virginali vendibiles pereant.* Et sunt mariti qui in hoc connivent, de quibus prophetâsse videtur Moyses, cùm dicit. *Ædificavit mulierem* quia quantum alii in fabricam palatii tantùm isti in mulieris ornatum impendunt. Non ita hæc Sancta, sed audivit quod Eccl. 29. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi.* Thesaurus illius præcepta DEI & Ecclesiæ. Et hic est stabilis, hic colligitur in terra, manet in cœlis, *fur illum non effodit, tinea non corrumpit.* Sap. 5. *Spes impii tanquam lanugo* v. g. salicis *quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento dissipatur, & tanquam memoria unius diei prætereuntis.* Putabat se aliquid habere & ecce fumus, spuma! quid lucri ex his? ut ex hospite qui abiit. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, beatus populus cujus Dominus DEUS ejus.* Conquirebat gemmas castitatis quantùm illi matrimonium permittebat, & obtento fructu Matrimonii, omninò à Matrimonio abstinuit, idemque marito Henrico Principi Poloniæ persuasit, atque eo deduxit negotium ut voto in manu Episcopi emisso id firmaretur. Non contenta ut sola DEO castè viveret, monasterium virginum Trebnicii extruxit, & ipsa in illo, quæ antea quasi fructus

arboris dabat DEO, se arborem illam tradidit. Quid hic de thesauro obedientiæ? Moniales se ægram sine facultate Superioris invisentem repellebat. &c. Ut in Breviariis.

Latent isti thesauri, veniet tempus cùm eruentur, cùm occulta velut thesaurus de terra eruentur. Alter aperiet thesaurum, & ecce lutum? alter, & ecce sangvis, &c. *Thesaurisant sibi in die iræ.* Unde sciemus quid thesaurisamus? ex eo quod egimus. Sed qui se putat bene agere, videat ubi soleat esse cor ejus, ibi sciat suum thesaurum esse, juxta Matth. 6. alter in prædiis, honoribus, &c. Quid hæc? terra, fumus, tum verò quò te vertes, cum divites bonis thesauris ab inopibus DEUS separabit, sicut separavit Loth à Sodoma, populum à Dathan & Abiron Num. 16. oves Jacobi à Labani, cum dicetur Apoc. 22. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes (Avaritia est idolorum servitus) & omnis qui amat & facit mendacium.*

In Festo S. Theresiæ. CONCIO I.

Quinque ex eis erant prudentes, &c.

Matth. 25.

DIcturo mihi de S. Theresia idem faciendum esset quod Sponso cælesti, cùm de sua Sponsa in Cant. loquitur laudat oculos, vocem, labia, collum, &c. singula membra seorsim, quia omnia digna laude. Ita in Theresia laudandi sunt oculi, quia Virgo: lingua, quia Magistra: labia coccinea quia voto Martyr; caput & manus, quia vitam contemplativam activæ junxit: rursum manus quia unius magnæ Religionis Fundatrix. Omnia verò Sponsus hic concludit, Cantic. 7.

tic. 7. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Sic & ego his concludam. Est virgo sapiens.

Cùm dico Theresiam Virginem sapientem, nihil muto de Sponsi laudibus; nam Theodoret. in Cant. 7. dictum locum exponit. *Propter fortitudinem castris similis, chorus est divinas laudes in ore gerens.* Et hæc est ipsa Sapientia fortem esse, & laudes DEI dicere. Ita mulierem fortem dicit Salomon, *quæ os suum aperuit sapientiæ.* Et sapientia Christiana pro DEO bellare, fortis. Est Teresia similis castris, quia bella gessit aliqua. Dum adhuc penè infans acta legit Martyrum cum suo fratre, ita martyrii desiderio succensa ut versùs Granatam cucurrerit ubi sciebat esse Mauros, ut ab iis pro fide occideretur. Sed à parentibus ex via retracta, solo desiderio bellum hoc absolvit, servata rebus aliis. Cant. 4. *Sub arbore malo suscitavi te.* alii legunt, *sub arbore mali punici*, quod fert poma, quæ vocamus granata, quæ ut Ambros. lib. 5. Hexameron sanguinem continent, id est, humorem sanguini similem. Desiderium sanguinis fundendi hoc pomum notat in Teresia, quod tam avidè suum sanguinem effundere quærit, ut spontè rumpatur. Sub urbe Granata, suscitata est hæc Sancta, id desiderium DEO ita placuit, ut inde illam suscitaverit Fundatricem. Sed qualem? Isai 2. *Erit mons domûs Domini præparatus in vertice montium.* Virtutes sunt montes, *sed major horum charitas.* At verò Joan. 15. *Majorem nemo charitatem habet quàm ut animam ponat pro amico suo.* Posuit per desiderium Teresia, & in hac charitate fundatrix suscitata, itaque in vertice montium. Quod ipsum videtur Apoc. 21. in fundamento cœlesti. *Fundamentum primum Jaspis.* Alb. M. de mirabil. scribit, quòd jaspis habeat notas sanguinis. Idem innuitur Cantic. 7. *Caput tuum ut Carmelus.* Hebr. legit, *Caput tuum ut coccinum*, id est, Teresia coccinea desiderio martyrii. Ex hoc capite pro-

dierunt Martyres Carmelitæ Dyonisius, Gerhardus, Anastasius, Albertus, Angelus, Spiridion, &c. Sed ô Virgo S. quod tibi non contingit in infantia continget in senio, præparanda interim es martyrio per calumnias quæ in te maximæ jacientur, persecutiones etiam Principum, &c. nobilissimum enim tibi sequetur martyrium: ipsa etiam ad illud te dispones per flagra cruenta, duras cubationes, volutabis te in spinis, dulcescet tibi ita crux, & clamabis: *Aut pati, aut mori.* S. Th. in 4. d. 49. q. 3. artic. 3. *Causa facit non pœna martyrem, causa debet esse virtus non politica, sed ad DEUM relata*, & si virtus est major, majus est martyrium; maxima virtus est amor DEI. Ita eris martyr ut B. Virgo, cui mortis causa fuit amor, & iste occidet te; sic & Christus ex amore mortuus, ut scribit Chrysost. in Matth. 8. Deinde ut tuus Elias curru ignito cœlum conscendes. Sed priùs unum adhuc & alterum peragendum est bellum, progredere Debora.

En jam provocat ad bellum dæmon, & quædam quasi vulnera levia infligit, inducit ad vanitatis amorem & quædam leviora peccata. Sed electis omnia cooperantur in bonum, & ex ipsis damnis faciunt lucra, & tandem peccata ad hoc deveniunt, ut illis decorem augeant, ut imagini umbræ in illa depictæ, sunt maculæ sed ut in Luna, nam sunt montes. Et hìc Sancta vincit, vadit ad Religionem, obstant parentes, illa suâ manu resecat capillos ut eis spem rescindat, & ut Joseph vestem in manu parentum relinquit, ibi planè factum est quod Cant. 4. *Vulnerâsti me in uno crine colli tui.* Et ipse Christus cum illa incipit sed amoris bellum. Mittit Angelum ad Teresiam cum sagitta aurea, cujus erat cuspis ignita, & vulnus reddit, atque ut olim mancipia inurebantur, Teresiam victam signat. Sed hoc vulnus est medicina eorum quæ infligi poterant à dæmone. Sagitta enim ista est calculus quo Isajæ purgata

gata sunt labia, est gladius ignitus Cherubini custodientis paradisum, custodit hæc sagitta hortum voluptatum Christi in quo est arbor vitæ & scientiæ. Fluet de hac plaga ingens quædam religio, ut de plaga lateris Christi fluxit Ecclesia. Amos 1. *Lux erunt speciosa deserti, excoctus est vertex Carmeli.* Ecce chorus castrorum! Expectabam tertium hostem, scilicet carnem, sed hic ne quidam ausus aggredi Virginem. Nunquam carnis passa stimulos licet cum variis conversata & constitutionis sanguineæ. Cant. 6. *Decora sicut Jerusalem*, ista urbs fuit metropolis Palæstinæ, in finibus bella gerebantur, pax in metropoli. *Pulchra es amica mea & suavis.* Delrio, pro *suavis* legit *tersa* quasi Teresia, Isai. 37. *Non jacietur sagittta* in Jerusalem, sagitta carnis. *Pulchra ut Luna.* Sed quare, non ut Sol? procul à terra Sol, non mirum quòd de terra nihil contrahat: sed Luna terræ ex omnibus astris maximè vicina. Sphæræ ignis vicina, non tamen ab illo patitur: ita Teresia. Cypr. de singularitate Cleric. *Impossibilis est liberatio, flammis circumdari nec ardere.* Ecce hæc in Teresia possibilis, & quia ut Chrysolog. serm. 143. *Angelis semper cognata est Virginitas*, adjungunt se illi socios Angeli, tum eunti aliquando Salmanticam, ubi noctu in sylvis aberravit: multiplex instabat periculum à latronibus & feris. Et ecce duo veniunt Angeli, & errantem usque ad securum deducunt hospitium, & ita ut Luna, quia Lunam vehunt intelligentiæ.

Virgo Sapiens in laudibus DEI. Prov. 4. *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus?* alii legunt, *de margaritis pretium ejus.* Margarita nascitur ex rore. Hieron. epist. 22. *Concha margaritam gignit sed cœlesti rore perfusa.* Ros cœli Christus, *Rorate cœli*, ex hoc virgo sancta, *quæ os suum aperuit sapientiæ.* Inde 54. *Multi filii desertæ magis quàm quæ habet virum.* Virgo fuit Elias fundator ordinis Carmelitarum, reformatrix

S. Virgo

S. Virgo videbat parum esse ut ipsa laudaret DEUM nisi & plures ad hoc duxisset, & prolem reliquisser, sed erat virgo, fecit ut apis. Ambr. hexam. lib. 5. cap. 2. *E felici ore suo prolem legunt, & duplici cæteris avibus fæcunditate præponderant.* Filios & filias Moniales suo legit ore, non minor est labor reformare quàm fundare, sicut non minoris Christo constitit redimere quàm creare. Zach. 11. Tres pastores erant populi DEI, Moyses, Aaron & Maria. Fundavit Elias, formavit Joannes Patriarcha Jerosolimitanus, perfecit S. Teressa. Judic. 5. *Surge Debora loquere canticum*, alii legunt, *loquere principatum.* Quia Christus Teressæ imposuit coronam, Propterea S. Josephum sumpsit in Patronum, quia ipse est Virgo & Pater, Sancta Virgo & Mater. Ille sponsus Virginis, hæc Christo desponsata per clavum quem illi dedit, quo significata est perpetuitas illius Ordinis. Eccl. 12. *Verba Sapientum sicut stimuli & sicut clavi in altum defixi.* Opus ad hoc fuit DEI auxilio speciali, non defuit. Dum scribit regulam evocatur, atque imperfectam relinquit scripturam, & ecce cum redit à DEO completam reperit. Opus erat exemplo iis quos nudo pede incedere doctura fuit, ipsa prior abjicit calceos, sicut Moyses Exod. 3. *Locus iste in quo stas sanctus est*, depone calceamenta. Mos erat ut patet ex Ruth. 4. ut qui alteri inscribebat hæreditatem daret calceum, ille relinquebat posteris, dedit illis calceum, & sic ut Rupert de Trinit. lib. 16. *Nuda planta mulieris occidit serpentem.* Abjecit calceum ut mundum expugnatum. Mos erat ut patet ex Ps. 59. ut Dux volens expugnare hostilem terram, in eam suum calceum projiceret. *In Idumæam extendam calceamentum meum*, fecit Sancta. Opus erat ut perfectionem omni modo filii quærerent, præivit, & se voto obligavit semper perfectiora sectandi. Sed jam Virgo Sapiens ad Sponsi nuptias ingredere. *Veni de Libano.* In hoc monte ut scribit Josephus lib. 8. posuit David armamentarium

mentarium tu posuisti, ex hoc sument arma contra Paganos, hæreticos, imò contra Antichristum, ut tibi est revelatum *Veni de Libano* hic mons est totus candidus, veni de tuo purissimo corpore. *Coronaberis* alii legunt, *offerent tibi tributa.* Nos tibi tributum offerimus orationum, relinque nobis ut Elias Elisæo spiritum duplicem fortitudinis & sapientiæ Christianæ.

De Eadem CONCIO II.

Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. 25.

MOre veterum, non Sponsæ sed Sponsi dabant dotem. Patet hoc ex Gen. 34. Sichem voluit Dinam Jacobi filiam accipere in Sponsam: Jacob difficilis erat in danda, tum Sichem Jacobo. *Inveniam gratiam coram vobis, & quæcunque statueritis dabo, augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis, tantum date mihi hanc puellam uxorem* pro *augete dotem* Hebr. legit. *Augete mihi valdè dotem:* Chaldæus, *multiplicate nimis super me dotem.* Nihilominùs Dina debuit afferre ornamenta muliebria. Hoc ipsum Christus fecit cum Sancta, dedit illi manum. *Deinceps ut vera Sponsa meum zelabis honorem.* Videamus quæ ornamenta attulit Sancta, quam dotem Christus, siquidem Sichem fuit figura Christi.

Attulit Sancta ex sua parte quod Virgines sapientes in hoc Evangelio. Attulit inprimis lampadem plenam oleo S. Th. de Villan. conc. 1. de S. Doroth. *Oleum charitas est.* Sine hoc rejiciuntur Virgines. Idem l. c. *Quid hoc Domine? tuas ignoras Virgines? tuas nescis amatrices, post tot vigilias, post tot labores, dicis, nescio vos, hi fructus laborum? expergiscimini Fratres, erigite aures, sentite quod dicitur, non quinque Virgines, sed plusquam quin-*

que mille, quibus hoc infortunium evenire solet, &c. Quia in peccato perdurant. Noli gloriari Virgo in Virginitate. Noli Sapiens in sapientia si non habeas oleum. Hic infert. *Si Virgo excluditur, admittetur lubricus?* Adamavit Sancta DEUM, ita ut fuerint illi lachrymæ panes die ac nocte, cum illi diceretur, *ubi est DEUS tuus?* propterea *gestiebat contractiora fieri exilii sui tempora.* Inde adhuc infantula cœpit sangvine effuso illi conjurgi, & ad ejus amorem omnes trahere. *Teressa terris barbaris datura Christum aut sangvinem.* Hinc ipsius voces, *aut pati aut mori.* Hæc enim via certissima transformandi se in amatum, nam id facit amor ut quod amamus idem cum illo fiamus. Hieron. in 4. Ephes. *Si quis verberatus non respondeat, maledictus non maledicat, potest dicere cum Apostolo, vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hoc ipsum est signum quòd à Christo diligamur, ita enim illa ipsa in itinere perfectionis cap. 18. *Certissimum est per viam difficultatis ac laboris à DEO conduci quos multùm diligit, & quò magis eos diligit, eò etiam eos per majores difficultates conducere.* Et Mansione 7. cap. 4. *Semper observatum est eos qui Christo D. viciniores & propinquiores fuere, plus aliis laboribus, & adversitatibus lancinatos & divexatos fuisse.* Et hoc ipsum in hoc Sancta evenit. Ribeta lib. 4. ejus vitæ cap. 7. Etiam à Personls valdè spiritualibus passa, irridebatur ejus oratio & revelationes: alii advocare constituerant Exorcistas tanquam ad energumenam: alii ad S. Inquisitionem & examina trahere, passa à Superioribus à Domesticis.

Attulit eam puritatem ut nec sciret quid sit carnis tentatio. Confessarius ejus Rodericus Alvarez Soc. JESU aliquando sua ostendens perspicilia, dixit. *Sicut impossibile, ut hoc intret mala cogitatio, ita erat anima Teressiæ speciali DEI beneficio.* Recurrerat ad eam quædam Filia narrando, quantùm ab hoc dæmonio pateretur. Terassia cœpit mirari atque si res ex alio mundo

mundo dicerentur: denique dixit. Filia parce, consilium tibi non dabo, nescio quid hoc sit, qualis lucta, quam sum experta nunquam, nescio quid loquar. Parata semper fuit ad vocem Sponsi. Laudatur Abraham quia DEO vocante obtulit Isaacum. Ingenii partus non minùs cari quàm sangvinis. *Qui velit ingenio cedere nullus erit.* Habuit unicam filiolam, librum quem commentata in Canticum Salomonis, scivit à spiritu bono inspiratum, jussit Confessarius comburere, manibus suis combussit, ligna & ignem supposuit. Quare ô DEUS non misisti Angelum sicut ad Abrahamum qui prohiberet? Non fecisti, sed perinde compensasti ut Abrahæ. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris.* Ita fuit firma in obedientia ut de ea scripserit Joan. à JESU lib. 4. cap. 15. *Si omnes Angeli cæli dicerent ei aliquid, & ejus prælati aliud: quamvis illos sciret esse Angelos DEI: non quòd illi, sed quòd superiores ejus dicerent, hoc faceret. Superiorum enim obedientia est commendata à DEO in scriptura, ideò est de fide, & in hoc non potest esse deceptio: at revelationes quas valdè est difficilè dignoscere, possunt esse illusiones.* Et vos quid? vocatur alicujus Filius à DEO ad Religionem, immolandus est Isaac. omni modo occurritur. Sed evenit quod scribit Seneca lib. 2. de Ira cap. 17. Darius cùm indixisset bellum Scythis, & milites colligendo trahebat etiam cujusdam nobilis Oëbazi filios, noluit dare nobilis omnes, saltem volendo ut Darius unum illi relinqueret, promisit se relicturum omnes, & reliquit à se occisos.

Attulit alia plurima apparamenta quæ longum esset persequi, de humilitate ejus sola ipsius verba adduco quæ ipsa in itinere perfectionis cap. 15. reliquit. *Nunquàm ullum aliquid de me malè loquentem audivi, quin liquidò perspicerem, minùs illum dicere.* Claudo hanc partem cautelâ S. Thom. Villan. l. c. respiciendo

 ad

ad oleum quòd Sancta ante omnia attulit. *In morte vocantur Monachi, implorantur Sancti. Malè viximus ; Orate pro nobis, juvate nos precibus, date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur nullus potest alteri mereri gratiam. Ite ad vendentes, ad pauperes, eleemosynas date ; sed dum hæc opera non pietatis affectu, sed pœnarum timore fiunt, meritò contemnuntur à DEO.*

Hæc omnia fuerunt dos Sponsi, nihil enim à nobis & ex nobis habemus, sed in quibus tamen labor Sponsæ apparet, jam ad illa in quibus solus Sponsus agere videtur. Dedit illi Sponsus in manum duo Testamenta, vetus & novum, id est Religionem quæ in veteri cæpit, in novo durat, reformandam. In veteri Elias contra eos qui ad Baal declinaverant, ex Sacerdotibus & aliis Fidelibus collegit Religionem. Et hoc innuitur Ecclef. 45. ubi de Elia loquitur. *Qui ungit Reges ad pœnitentiam & Prophetas, successores facit post se.* Quòd Prophetæ nomine possint intelligi Religiosi, patet ex Abulen. in 3. Reg. 18. *Propheta dicitur à prophetando, id est, laudando:* quæ duo posteriora, sunt Monachorum officia. Meruit verò Elias ut ejus Ordo esset perpetuus. Quia 3. Reg. 18. occidit Sacerdotes Baal, sicut Num. 25. meruit Phinees Sacerdotium sempiternum. Quia occidit fornicantem cum filiabus Moab. Promiserat olim Sponsus Cant. 5. *Caput tuum ut Carmelus.* LXX. *Caput tuum ut Carmelus super te.* Carmelus in capite tuo erat pro Corona. Carmelus ex Hebr. idem quod *Agnus circumcisus*, id est, Christus. Carmelitæ primi erexerunt templum B. Virgini in eo loco de quo Elisæus vidit nubeculam ascendentem tanquam vestigium hominis, Basil. epist. ad Chilonem. *Hic est mons Carmeli in quo commorans Elias DEO placuit.* Placuerunt & Carmelitæ posteri Eliæ, Isai. 52. *Judicium & justitia in Carmelo sedebit.* Ex hoc monte prodiit S. Dyonisius Papa Martyr. S. Cyrillus Patriar. Alexandr. S. Spiridion. Ep. Cypr. S. Hilarion, S. Anastasius M.

&

& alii. SS. Virgines & MM. Eugenia, Euphraſia, &c. SS. Virgines Euphroſina, Magd. de Pazzis, &c. At hic Carmelus capiti Tereſſiæ commiſſus, illa reparat. Attulit amorem Chriſto Tereſſia & Chriſtus hinc ignem amoris in totum Carmelum diffudit. Erat & antea in hoc monte ignis, de Carmelitis dixit Innoc. IV. *Sibi, & Proximis, DEO propitio, ad ſalutem proficere hilareſcunt.* De iiſdem Clem. IV. *In agro Eccleſiæ hactenus uberes fructus produxerunt.* Sed ubi additus ignis Tereſſiæ ſi intra annos 1562. & 1606. Virorum monaſteria 32. Virginum ſurrexerunt 20. Tum comparuit ille admirandus Joan. à Cruce, qui acceptâ in manus Chriſti imagine ſubſultans canebat. *Si me amores occidere debent, amore moriar.* Admirandæ ſimplicitatis Franciſcus à puero JESU. Juliana à Cruce, Franciſca à JESU, &c. Ludovicus, &c.

Dedit Chriſtus Sanctæ in hac vita, quod aliis ad futuram reſervavit, ut illius arcana intueretur. Vidit quòd ex Ordine Prædic. (ut ſcribit Ribera lib. 4. vitæ ejus c. 5) multos adverſùs hæreſim gladio verbi dimicantes, & non paucos ex iis Martyres futuros. Vidit Balthaſarem Alvarez ita ſanctum ut eodem tempore nullus, quamvis tunc vixerint illi tres qui poſtea ſunt canonizati. Is Alvarez fuit unus ex tredecim Confeſſariis? quorum operâ è Soc. JESU Sancta eſt uſa, ut ſcribit Didacus Jepez Archiep. Turiaſonen. in vita Sanctæ. Ubi etiam cap. 40. multa DEUS illi revelavit de Societate JESU ut ipſa dicit. *Vidi & alias res ſimiles magnæ admirationis, propter quas habeo dictum Ordinem in veneratione, quia longo tempore converſata ſum cum illis, & video vitam eorum conformem ei, quam Dominus de ipſis mihi monſtravit.* Ita Martinus Martinez in ejus vita. Illi revelatum quòd proficiſcentes in Braſiliam 40. è Soc. JESU occiſi, verè fuerunt Martyres: illi privilegium illud ſpeciale. *Quòd mortuum Jeſuitam obvius JESUS excipiat,* &c. Ut eſt vitæ cap. 40.

& Itiner. perfect. c. 19. Ad illam misit Christus Angelum qui jaculo ignito præcordia ejus transverberaret. Sed ut breviter concludam quæ in eam Christus contulit, nam sunt innumera. Mortua est amore. Anima ejus in specie columbæ ad cœlum evolavit. Arbor arida cellæ proxima effloruit, &c. &c.

In festo S. Petri de Alcantarâ, CONCIO.

Complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Matth. 12.

DUM Sanctum considero, cogor exclamare Matth. 8. *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Rapidos fluvios suo pede trajecit. Fratres in extrema penuria cælitùs delatâ alimoniâ cibavit. Baculus ab ipso terræ defixus mox in viridem ficulneam excrevit. Cum noctu iter ageret densâ nive cadente dirutam domum sine tecto ingressus est, eique nix in aëre pendula pro tecto fuit, ut illius copiâ suffocaretur.* Et plura alia. Sed saltem similia in Sanctis reperiuntur. At illud, quòd cum suo corpore pactum inierit, ne ullam ei in hoc sæculo requiem concederet, ne in cibo, ne in somno, ne in habitatione, &c. Hoc mirum supra modum, & in hujus admiratione sistam.

Legimus de S. Francisco de Paula in ejus vita quam scripsit Simoneta. *Nullas horas sine fructu præterfluere, nil temporis, nec momentum quidem frustrà præterire passus est.* Sed hoc poterat etiam fieri cum requie corporis, juxta illud. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia ad gloriam DEI facite.* Potest recreatio necessaria honesta institui ad DEI gloriam, & erit meritoria, &c. At hîc, nulla requies. Sed minuit mihi admirationem, quando lego de illo quòd fuerit in contemplatione admirabilis, in qua

qua etiam à terra ſublevabatur. Dum ille corpore elevatur à terra, elevemur nos mente, ſepoſitis aliis cogitationibus, conſideremus peccati malitiam, & videbimus cur ſuo corpori nullam quietem indulſerit.

Gratia DEI Prov. 8. *Melior eſt cunctis opibus precioſiſſimis, & omne deſiderabile non poteſt ei comparari.* Ex quo ipſe videtur inferre S. Aug. lib. 2. ad Bonifac. c. 6. quòd *DEI gratiâ non ſolùm omnia ſydera, verùm etiam omnes Angelos ſupergreditur.* Ampliùs progreditur S. Th. 1. 2. q. 113. art. 9. *Donum gratiæ juſtificantis impium, hinc dono gloriæ beatificantis juſtum, majus eſt, quòd plus excedit donum gratiæ impii indignitatem, quàm donum gloriæ dignitatem juſti.* Hoc ipſum agnovit Moyſes, quia aliquando voluit cœlo carere, voluit de libro vitæ deleri; hoc Paulus, qui anathema fieri volebat, ſed neuter eorum à gratia excludi conſenſiſſet. Ita advertit Tauler. ſerm. de Aſſumpt. B. V. Rutbrech c. 2. & alii. Hanc rem tam pretioſam peccator comburit, & quidem ut oblectationem faciat dæmoni. Ampliùs, peccans quantùm eſt in ſe, DEUM occidit, quia illum ſuo honore privat, ſicut dicitur quis occidiſſe Senatorem, ſi dignitate ſpoliat Senatoriâ. Habitat in homine juſto DEUS. Joan. 4. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Peccator illum ex hoc loco dejicit. Præterea Chriſtus nos in filios recepit, & propterea totum ſanguinem expendit. Rom. 8. *Qui Spiritu DEI aguntur, Filii DEI ſunt.* Gal. 4. *Miſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda veſtra clamantem Abba, Pater, ipſe enim ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus Filii DEI, quòd ſi Filii & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti.* Jus ad hanc hæreditatem peccans conculcat; ampliùs, omnia mala in mundum inducit, bella, peſtem, &c. Et aliquando ob unius peccatum multi in hac vita patiuntur, ut ob furtum Achan, ob Davidem qui numeravit populum.

Ista & alia plura vidit in peccato Sanctus, & se reputavit peccatorem: igitur tam severam aggressus vitam. *Rex Ninive* solùm adverterat, quòd peccatum ejus civitati esset alterutrum exitium, inquit Ambr. serm. 40. *Depositâ purpurâ cilicio se præcinxit*, &c. *Obliviscetur se esse Regem ubi Regem omnium pertimescit, nec potentiæ suæ meminit ubi potentiam Divinitatis agnoscit*, &c. *jubet quoque jejunare, ut seniorum peccata innocentia parvulorum deploraret: pecudes quoque jussit.* At Sanctus profundè totum peccati malitiam penetravit. Qui ergo apud eum poterat esse finis affligendi se? *Venit* ad S. Simeonem Stylitam dæmon, ut est in vitis P.P. *ut eum veluti Eliam de columna subveheret in cœlum, ille elevavit pedem volens ascendere currum dæmonis, sed cognitâ illusione, dixit pedi suo. Non revertêris retrorsum hinc, sed stabis hîc usque ad obitum meum*, & sic anno integro stetit in uno pede. Quid hîc fuit peccati? fortè aliqua superbia non gravis, & tanta pœnitentia? S. Macarius ut est ibid. Quia semel somnium habuit impurum, collotenus se in fossa per triennium defodit. At nos post gravissima peccata, qualem agimus pœnitentiam? jejunamus. Qualia jejunia? &c. Plangebat continuò Sanctus, quia recordabatur quod Psal. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Verum etiam est quod dixit Remig. in l. c. *Nullus adeò justus est in quo non inveniatur aliquid emendandum.* Et quod Job. 25. *Ecce Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus, quantò magis homo putredo?* Excogitabat Sanctus omnes se affligendi modos; sciebat etiam quòd lachrymæ abluant peccata. Isid. lib. 2. de Offic. Eccles. c. 24. triplicem statuit Baptismum: *Unum quo regeneramur ex aquæ lavacro: aliud quo consecramur in sanguine; & est tertium Baptisma lachrymarum.* Licet æquivocè, quia multùm à prioribus differt tamen. *Ut sicut in Baptismate omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli credimus peccatum imputari: ita pœnitentiæ compunctione*

punctione fructuosâ, universa fatemur peccata deleri. Lachrymæ enim pœnitentium apud DEUM pro Baptismo reputantur. Unde Sanctus nunquam satiari poterat pœnitentiâ, & faciebat ad instar illius. *Ampliùs lava me Domine.* Ut fieret in illo quod Job. 19. optabat. *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint veluti mundissimæ manus meæ.* Et cùm nulli citra revelationem DEI constet in hac vita, an ipsi peccata sint dimissa, ampliùs & ampliùs oportet se lavare, ampliùs & ampliùs se punire. Hinc Psal, 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est DEUS tuus?* quem per peccatum à te rejecisti, ubi est? &c. Horrendum est Deut. 21. *Ammonites, Moabites, etiam post decimam generationem, non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.* Opus sit pœnitentia proportionata peccatis. *Potum dabit nobis in lachrymis in mensura.* Putabat se Sanctus causam omnium malorum in mundo; quia, ut Basil. serm. 3. in Divites Avaros, *Per paucos mala ærumnæque ad universum populum perveniunt, cùm unius ob noxam tota gens quandoque evertitur. Achan sacrilegium commisit, ac totus exercitus passus est. Zambri cum scorto Madianitide concubuit, ac Israel pœnas dedit. Igitur Filii charissimi, omnes privatim ac publicè conscientias nostras examinemus.*

Examinemus an plus hoc Sancto peccaverimus, & an majorem pœnitentiam agemus? sed priùs à peccatis desistamus. Ambr. epist. 3. *Nunquid potest placere Domino, si quis adhuc versatur in iniquitatibus, ac injustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? simile est, acsi quis æger sanum se simulet, magis ægrotabit.* Convertamur sincerè non sicut Saul. l. 1. Reg. 15. Qui dixit, *peccavi*; & rogavit Samuelem ut prò illo oraret. At Samuel illi: *Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini*; quia solùm ob amissionem regni dolebat. Quare addit Samuel, *Neque enim DEUS est homo ut agat pœnitentiam.*

Retractet quod de te se statuit. Agamus condignam pœnitentiam. Gregor. Pastot. p. 3. *Qui peccata deplorant, operum admonendi sunt, ut consummata perfectis diluant lamentis, ne plùs adstringantur in debito perpetrati operis, & minus solvant fletibus satisfactionis.* Thren. 3. *Divisiones aquarum deduxit deduxit oculus meus.* Greg. l. 7. *Divisas ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lachrymas damus.* Postquam verò defleverimus peccata, nunquam ad illa redeamus. Greg. l. c. *Flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cùm idcircò se lachrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Qui admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit.* De tali pœnitentia gaudebimus, sicut hic Sanctus gavisus, dum post mortem S. Teressiæ apparuit. *O felix pœnitentia quæ tantam mihi promeruit gloriam.* Talibus dare regnum Patri complacuit.

In Festo S. Ursulæ. CONCIO.

Simile est regnum cœlorum decem Virginibus.

Matth. 25.

MIrum est, cùm Christus loquitur de omnibus statibus, dicit, *Multi vocati, pauci electi.* Cùm de Virginibus, *Quinque prudentes, quinque fatuæ.* Non paucæ, sed medietas; igitur paucitas Electorum maximâ parte constat Virginibus. Et ratio potest accipi ex S, Ambr. lib. 1. de Virginib. *Jactet licet fœcunda se mulier nobilis partu, quo plures generaverit plùs laborat. Nubit & plorat, quæ sunt nota quæ flentur? Quid recenseam nutriendi molestias? &c. Quid ego famulatus graves & addicta viris servitia replicem fœminarum? Hinc illa nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus vultus depingant, &c.* Multitudinem hanc salvandorum

vandorum repræsentat Sancta, ex cujus numero nulla fatua, discamus ab illis prudentiam.

Vita nostra, ut dixit Job, *Militia super terram.* Quod legit S. Ambr. *Pyraterium est* locus pyratarum, & quidem nocturnus. Opus est arte Gedeonis, Madianitas cum lumine aggreditur & fugat, vincit, ut est lib. Judic. Ita Sancta cum suis egit, accendit in corde suo amorem DEI, vicit. Cant. *Meliora sunt ubera tua vino.* Hebr. lectio. *Meliores sunt amores tui super vinum.* Magis audacem faciunt. Tali vino plenus. Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Sancta potest dicere Cantic. 7. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Illa Dux hujus belli. Alii legunt, *Vexillum super me charitas.* Habet simul ignem & vexillum. Videamus jam bellum. Stant ad portam & custodiunt, ne quis intret. Sed quomodo cohæret cum Apoc. 14. ubi de Virginibus. *Hi sunt qui sequuntur Agnum quocunque ierit?* Agnus ivit ad portam, & ibi stat. *Ego sto ad ostium*, Apoc. Ita & Virgines stant ut audiant vocem Sponsi. Cypr. de habitu Virg. *Neminem Christianum decet, & maximè Virginem non decet claritatem ullam computare carnis & honorem, sed solùm appetere sermonem DEI.* Attendunt ne intret vanitas, ne aliud præter vocem Sponsi. Ambr. lib. 3. de Virginib. *Si tardare tibi videtur Christus, exurge; tardare videtur cùm diu dormis, tardare videtur cùm ab oratione vacas, tardare videtur cùm vocem non excitas psalmis, &c. Januam quoque tuam disce temporibus obserare nocturnis, non facilè quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult esse clausam cùm pulsat. Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur nisi antè pulsaverit verbum DEI.* Ideò Cantic. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Aperuit quædam Virgo, Cant. 5. Amisit pallium in plateis. Ambr. l. c. *Tollitur ei amictus Philosophiæ*, tollitur prudentia. Multi volunt per portam irrumpere, bellum est illos

non [illegible]mittere. Sed quare ſpecialiter Virginibus vigilantia commendatur? Quia Virginitas amiſſa non redit, in alia peccata labens poteſt recuperare priorem ſanctitatem. Quare ſemper debet Virgo adhærere Agno. Et ipſa B. Virgo, Luc. 1. cùm fuiſſet coacta exire domo, *abiit in montana cum feſtinatione*. Oportet fortem eſſe: columnæ ſuſtentabant templum Salomonis, ſed illis fuerunt impoſita lilia; illæ columnæ duæ fuerunt fuſæ ex metallo. Debet Virgo eſſe in columna, qualis olim ponebatur in finibus regnorum. Nota ſit inimicis. Nazianz. *Effulſit caſtimonia dividens mundum.* Columna prima dicebatur *Booz*, hoc eſt, *in fortitudine*: altera *Jahim*, hoc eſt, *præparatio Domini.* Fortis debet eſſe Virgo, quicunque pulſat portam præter Chriſtum, non aperiat. Tertull. lib. de Virginib. velandis. *Omnis publicatio Virginis bonæ ſtupri paſſio eſt.* Columnæ dividebant regna, ut ſcribit Valer. Tertull. l. c. *Diviſa eſt, inquit Apoſtolus, Mulier & Virgo. Quare? quoniam innupta, id eſt, Virgo cogitat ea quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Nupta autem, id eſt, non virgo cogitat ea quomodo placeat viro. Hæc eſt interpretatio diviſionis illius.* Alii mores, alia ſtudia in Virgine, & alii in Nupta. Sit Virgo domi, ne quod Tertulliani tempore l. c. accidit, eveniat. *Meritò itaque dum caput non tegunt ut ſollicitentur, ventres tegere coguntur infirmitatis ruinâ*, &c. *Non enim confitebuntur, niſi ipſorum infantium ſuorum vagitibus proditæ*, &c. *Ipſa concupiſcentia non latendi, non eſt pudica, patitur aliquid quod Virginis non ſit ſtudium.*

Opus magnâ Virgini cuſtodiâ. Audite Parentes. Cantic. 8. *Vinea mea coram me eſt, mille tui pacifici & ducenti hi qui cuſtodiunt fructus ejus.* Per vineam intelligit Ambr. Virginitatem. *Pacifici*, id eſt Salomonis ſapientiſſimi ut ad dolos adverterent. Ad lectum conjugalem Salomonis ſervandum ſufficiunt *ſexaginta fortes ex fortiſſimis in Iſraël.* Hîc verò mille ducenti, vigeſies tantùm. Aug. *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola*

duriora sunt castitatis, ubi quotidie est pugna, & rara victoria, gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & tamen non timet. Militavit Sancta sub vexillo Amoris DEI, vultis cognoscere hunc Amorem? ostendet Jacoponus, in schola PP. qui dicebat, *In hoc se cognoscere quòd amet DEUM, quia si quando oro aliquid ab eo, & ipse negat, eum vehementiùs quàm priùs amo; item, si contrarium faciat, tum duplò magis amo quàm antea. Amoris in alterum hoc est argumentum, si offensus, nihilo quàm antè minùs diligam offendentem; si enim minùs diligerem, argumento esset, non illum, sed me priùs à me esse dilectum.* Quare amans solùm quærit, quid dilecto, non quod sibi ipsi placet. Joan. 4. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; qui non diligit, sermones meos non servat.* Si amor est, omnes sunt virtutes. Coloss. 3. *Super omnia autem charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Talis exercitus fuit S. Ursulæ. Hoc igne lampades earum arserunt, & victus hostis. Sed manet aliud bellum, victoria erit cum lampade fidei.

Fuit Ursula, ut scribit Baron. & Goffred. Ep. Assafen. genere Regia, filia Dionetti, facta Monialis. Sub Valentiniano Imp. occupavit Angliam Maximus Tyrannus, & cùm vellet etiam Galliam occupare, ut securus de Anglia, Otilam sororem S. Ursulæ majorem natu accepit in uxorem, & Dionetto qui erat Regii sanguinis commisit regnum, ingressus viam versùs Turonem in Gallia eam cœpit, præsidio munivit, excidit; quare ne vacua esset, advocavit ex Anglia centum millia, & illis implevit terram pro Gallis. Qua de causa illa pars hucusque vocatur Britannia. Mortuo Maximo & Otilâ sine prole, illi Angli qui erant in Gallia cupidi matrimonii, rapuerunt Ursulam cum aliarum Virginibus undecim millibus, & in naves posuerunt ut uxores haberent. Quàm ferventes ibi sanctæ orationes! & ecce tempestas illas detulit versùs

Coloniam. Ibi erat exercitus Attilæ Regis Hunnorum crudelissimi, ubi cognoverunt eas esse Christianas, invaserunt gladiis. Ursula suas animabat; cæsæ aliæ, illa ut Princeps adducta ad Hunnorum Ptincipem, qui dum eam ad suam voluntatem inclinàre non potest, abit in furorem, & arrepto arcu cor illius sagittâ trajicit. Jam Sponsus adest, intrate ad nuptias prudentes Virgines; lampades vestræ non extinctæ, arsit amor, arsit fides quæ 1. Petr. *Lucerna in caliginoso loco*, &c. Fide utamur, & terrena despiciemus: fallere non potest, quia ita DEUS affirmat esse, ut illa nobis proponit. Non dubitamus de SS. Trinitate, quia DEUS dixit se esse trinum & unum. Pariter credamus illi dicenti. *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Jugum meum suave.* De omni verbo otioso reddes rationem, &c.

In Festo SS. Simonis & Judæ Apost.

CONCIO.

Hæc mando vobis ut diligatis invicem.

Joann. 15.

QUI legit Exod. 17. Plane atque si audiret DEUM Patrem Filio loquentem de reducendo mundo ad obsequium. *Elige tibi viros potentes ex omnibus filiis Israël, egredere & confligé cum Amalec.* Eò devenerat rebellio mundi ut dejectis veri Domini imaginibus idola inimici erigerent, illi tributa darent, in nomen ejus jurarent. Elegit Christus ex Israël duodecim viros Apostolos, sed quibus armis instruit? *Hæc mando vobis*, &c. his debellabitis. Et quia è Babilone hæc rebellio cœpit, certe insignes debebant esse in his armis Simon & Judas qui

Babilonem

Babilonem aggreſſi. Videamus eorum prælia & victorias.

Non mirum quòd charitate Apoſtolos armat, ſiquidem charitas eſt ignis, unde Eccleſia orat. *Ignem tui amoris in cordibus noſtris accende.* Siquidem origo rebellionis, quia ignis in aquam verſus fuerat in mundo Mach. 1. Servabatur ignis continuò neque illum extinguere licebat, interea Babilonis hoſtes ſuperveniunt, conſilium init populus DEI de igne, ſuaſit Jeremias ut in loco occultiſſimo proviſis in ſæcula alimentis reponeretur, abducunt populum Babylonem, tandem poſt multos annos reducitur, ſed dum quærunt ignem, reperiunt aquam craſſam. Quid hic miraculosè contigit, hoc vere in toto orbe. Idololatria incipit dum peccatis extinguitur charitas, & cùm ſit ſummum ſcelus, ad illam per minora peccata veluti gradus aſcenditur, peccata enim ſenſim obſcurant DEI notitiam, & tandem ignorantia veri DEI naſcitur, & cùm lumen dicat, eſſe DEUM, tandem falſus DEUS ſubſtituitur: & fiunt ſimiles idolis qui faciunt ea. Sic jam ex plebe aliquem vocat ſed Sacerdotem, Zach. 11. *O Paſtor & idolum.* Refert Paulus de Palatio in 1. Amos. Idolum Moloch habuiſſe intra manus ſuas exporrectas ſeptem cavitates, unâ recipiebat ſimilam ſive florem tritici: alterâ turtures, tertiâ ovem, quartâ arietem, quintâ vitulum, ſextâ bovem, ſeptimâ puerum. Videbit hic qui volet ſeptem peccatorum capitalium ſymbola, ex his conſurgit idolum, itaque ante idololatriam omnia præcepta violantur. Fuerunt plurima præcepta, nam in Levitico continentur mille trecenti tredecim. Cant. 4. Laudatur Sponſus. *Labia tua ſicut vitta coccinea.* Hæc laus videtur magis Sponſæ congruere, hæc enim magis vittâ utitur, ſed hic Sponſum per modum Sponſæ deſcribit. Pectit caput Sponſa, innumeri apparent capilli, tum aliquos è pectine abjicit, reliquos vittâ ligat, &c. Et quod innumerum erat, unum eſt. Leges erant innumeræ, veluti vittâ

ligavit

ligavit Sponsus Christus cum in unam charitatem collegit, inutiles autem cæremoniarum Judaicarum abjecit. *Charitas vinculum est perfectionis.* Velut vitta hanc habeatis Apostoli, reducetis præceptorum observationem & Idola evertetis.

Armati maximè hìc charitate Simon & Judas idola aggrediuntur, aqua crassa est urenda ut ardeat. *Refulsit Sol in nube* Mach. 1. Apostoli sunt nubes, juxta illud Isai. *Qui sunt isti qui volant ut nubes?* Ex illis Christus refulget, ambo propinqui Christi, Filii Mariæ Cleophæ, consangvineæ B. Virginis; Fratres Jacobi minoris primi Jerosolymorum Episcopi. Misit illos Christus, ut ait Chrysost. in Matth. *Ut Sol radios.* Simon Ægyptum aggressus, & vicit, Christo subjugavit. Quo circa S. Magnus Moyses, quia populum de Ægypto eduxit: non parvus erit Simon qui Ægyptum à cultu vituli idoli, ad cultum Christi reduxit. Illi debentur milliones SS. Monachorum & Eremitarum, qui solitudines Thebaidis & Nitri impleverant: Illi Doctores Cyprianus, Augustinus, Tertullianus. Ille mari divisam debellavit Britanniam, Persidem, Asiam. Pingitur cum serra quâ sectus est. Genes. cap. 49. *Dentes ejus lacte candidiores.* Explicat Eucherius in hunc locum, de Apostolis, hoc maximè dentibus serræ convenit Simonis.

Judas ille Gen. 49. habuit hoc elogium. *Manus ejus in cervicibus inimicorum.* Hoc in nostro evenit, nam vicit in domo Regis Abagari inimicos Christi. Decumbebat Rex e lepra, intulit Judas in ejus cameram imaginem in qua se Christus expresserat, & lux statim amænissima locum implevit, sanitas Regi reddita, & baptismus additus. Thaddæus, Thad mamillam significat, olim Ecclesiæ promissum, *mammillâ Regum lactaberis.* Iste Abagarum lactat. Idem Judas vocabatur Lebbæus, quasi leoninus, & in eo completum quod de suo Juda dixerat Jacob Patriarcha *Catulus Leonis Juda.* Vicit Judæam & Galilæam

læam, Samariam & Idumæam, Syriam & Arabiam, & Meſopotamiam, deinde Aſiam ingreſſus in qua hæreſum ſeminarium, Simonis magi ſchola fuit. Sed uterque Apoſtolus per lapides amoris ſymbola à S. Joanne viſus ſignificatus. Simon per Hiacynthum cœleſtis coloris, cœruleus color ex magna lucis & umbræ conficitur concordia. Judas per chryſopraſum, aureum porrum? Hieron. ubi vulgò nomen Lebbæi explicant Leoninum, explicat per verbum teneri Amoris, *Corculum.*

Vicerunt ambo, ſed per charitatem, nam in Perſide dum bellum ferveret contra Indos. Perſæ cum Duce Barradach Exquiſiverunt ab Idolis ſucceſſum belli, nihil aliud reſponſum quàm multos ex utraque parte caſuros: Sancti verò, fore die craſtinâ, amorem inter has gentes, & concordiam; & ita factum eſt, quò vicerunt falſitatem idolorum, & poſt eam Perſas. Poſt victa idola pugnârunt cum ſacrificulis idolorum, erant in Perſide celebres Zaroën & Arphaxad, ad quos recurrebat populus in morbis, rebus amiſſis, &c. Illi vi idolorum ſanabant, Sancti ad hoc, prodeant Dii veſtri: prodierunt dracones, & Magos diſcerpſiſſent, niſi ſancti vetuiſſent. Ecce & hic per charitatem victoria. Converterunt Reges Perſarum & Babilonis. Mulier quædam lapſa peperit, & crimen in Diaconum Euphreſinum conjecit diſcipulum Sanctorum, curârunt ſiſti hodie natum illum infantem, interrogârunt coram populo, quis eſſet ejus Pater, reſpondit infans. *Non eſt Diaconus*, prohibuerunt verò dicere, quiſnam alius eſſet, Charitas illos in omnibus ducebat. In ſcriptura DEUS Pater ſedet. Pſ. 46. *DEUS ſedens ſuper ſedem ſanctam ſuam.* Filius ſedet, dicit illi Pater, *Sede à dextris meis.* De Spiritu S. nullibi eſt quòd ſedeat, diſcurrebat cum Apoſtolis quos repleverat, Spiritui S. attribuitur amor, hic verò ſemper eſt in opere, ille ducit, Apoſtoli ſequuntur, ut 1. Reg. 1. armiger Jonatham, per ſaxa & rupes,

& hoc, ut Abulen. *Ex amore nimio faciebat quo diligebat Jonatham.* Inde & ipsi amore pleni. Voluit Batradach sacrificos tanquam filios occidere: Sancti ad hoc. *Missi sumus non viventes occidere, sed mortuos vivificare.* Quanta charitas etiam erga inimicos? Ubi verò charitas ibi Spiritus S. ubi iste, corda emolliuntur ac vincuntur, his armis in sola Babylone septuaginta duo millia Christo subjugârunt. Patiebantur contradictionem; quis enim non pateretur etiam modò inter Christianos, si clamaret cum Ezechiel. cap. 24. *Væ Pastoribus qui pascebant semetipsos, &c.* Quidsi *stulti Principes Taneos, insipiens consilium dederunt Pharaoni?* Quidsi cum hoc S. Juda increparet invidos, ut Glossa explicat. *Væ illis qui in via Cain abierunt.* Et contra alios. *In via Balaam* qui pro pecunia veritatem vendunt. *In contradictione Core*, qui Ecclesiam spernunt. *Maculæ* aliorum Detractores. *Nubes sine aqua*, qui vanis promissis alios deludunt. *Arbores autumnales*, continuò deficientes à bono, *bis mortuæ*, & in corde & in opere: *fluctus feri maris*, qui se attollunt ut alios submergant. *Sydera errantia*, in bono instabiles, & semper obliquè procedentes. Hæc inter Christianos quantas excitabunt persecutiones, quid apud Ethnicos, cùm illis dicebant: desere Deos qui in necessitatibus tibi dant responsa. Omitte bona quæ habes, propter bona quæ non vides. Corpus afflige, &c. O quantæ contradictiones? Solus eas sustinebit qui amat, quomodo Mater sustineret molestias circa infantem si non amaret? quomodo Medicus phrenetici contumelias? Lamentabatur missus ad populum Jeremias, quia non percipiebat sui fructum laboris. *Defecit sufflatorium in igne, consumptum est plumbum*, quod solet addi cùm liquatur argentum ut purificet, *frustra conflavit conflator, malitiæ eorum non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos.* At Sancti plus & plus addebant ignis, plus & plus amoris, quod etiam in morte

morte ſunt teſtati. Inſtigantibus Solis, quem Ethnici pro DEO colebant, Sacerdotibus in civitate Samur, ut ſcribit Conc. de SS. hîc Vega, conjecti ſunt in carcerem, venit Angelus ad eos. *Quid vobis placet, an hæc ut terra abſorbeatur civitas, an ut moriamini?* elegerunt mortem ut civitatem ſervarent. Serrâ ſectus Simeon, fuſtibus ad ſimilitudinem Jacobi minoris fratris ſui occiſus Judas. O Sancti pleni Spiritu amoris, accendite eodem corda noſtra, hic ſolus poſt mortem durat. In vita S. Bern. lib. 5. cap. 2. Dum eſſet morti proximus S. Bernardus allatæ ſunt ei ex Palæſtina reliquiæ S. Judæ, voluit illas poni in ſuo pectore ut ſic cum illis ſepeliretur. Reliquias veſtras ô Sancti, pauci ſunt qui habere poſſunt, veſter amor quo amâſtis DEUM & proximum recumbat in noſtris pectoribus, cum eo moriamur, & cum eo in æternum victuri reſurgamus.

In Feſto SS. Omnium. CONCIO I.

Merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Matt. 5.

SI Parens alicujus pauperis amantiſſimus peregrè dominium accepturus nec rediturus abeat, filius deſiderat ſcire quid de illo ſit; & ſi bene, cum illo eſſe: præmiſimus in cœlum multos, quid ibi agant, ſcimus quidem; ſed ſi etiam oculatum haberemus teſtem, ſolatio eſſet, producam illum, audite; mittit hac de re epiſtolam quæ hodie in Miſſa legitur.

Non qualemcunque producet, ſed ſapientiſſimum qui in pectore Chriſti ſapientiæ abſolvit ſtudia quem in Fratrem accepit, quia Matrem dedit illi in Matrem. Scriptor, Apoſtolus, Evangeliſta, ſcripta probata, ita ut ſi quis illi addiderit vel detraxerit, à cœlo ſit excommunicatus, hic ergo Apoc. 17. *Vidi ſtantes*, ſtant in cælo, hîc Lazarus jacet, alii ſub menſa, ad pedes

Potentum, adorant, ibi ſtant, ſtat Petrus ſupra Neronem, ſupra Tyrannos. Stant ut Chriſtus à dextris DEI, inimici ſcabellum pedum. Stant ut Adam in Paradiſo beſtiis dominantes. Pſ. *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem.* Atria hæc ait Bellarm. ſunt paradiſus: Ecce nova de his qui pauperes ſpiritu, qui perfectionem paſſi, qui lugent, &c. In hoc mundo ſtamus ut ſtatua Nabuchodonoſor ſupra pedes luteos, venit lapillus, frangit, etſi caput fuerit aureum; ſed ibi ſtant. Neque terreamur ſi hic percutiantur noſtri pedes, bonum id ſignum. Id ſcribit Sur. Jul. 5. S. Simeon de Sales antequam Edeſſa terræ motu concuteretur, flagellabat quaſdam columnas, aliis parcebat, iſtæ corruerunt, illæ manſerunt; ita DEUS facit nobiſcum, dum nos flagellat.

Vidi turbam magnam ſtantes, ait Joan. una turba, Pſ. 67. *Qui habitare facit unius moris in domo*, ſumma concordia. Non eſt meum, ac tuum frigidum illud verbum. Ecce quid agant pacifici. Nos id agamus quod S. Pachomius adhuc miles Conſtantini & Paganus, fame preſſus, dum videret ſibi ſuisque ſuccurri magnâ charitate à Chriſtianis, dixit. *DEUS horum eſto DEUS meus*, & ſtatim aliam incepit vitam. Erit meus, ſufficiet, non ſerviam idolo avaritiæ, pro DEO id habetur in quo quis ſuam ultimam felicitatem ſtatuit ut illi poſtponat omnia.

Quid ampliùs Joannes? *Vidi ſtantes ante thronum DEI?* qualis hic thronus? Dan. 7. *Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accenſus.* An iſte ſimilis currus Eliæ? ſit ita, in terra eſt currus, in cœlo jam thronus ſtabilis, non vehit ulteriùs, non merentur, quid in terra ſegnis ſumus? ſed nec in terram redit ille currus, ideò ſecurè ſtant ante illum, jam hic æternitas. *Filii DEI vocabuntur*, ſi filii, ſimiles. *Ego DEUS* ait de ſe, *& non mutor*, nec illi mutabuntur. Ibat currus per regiones aëris intra imbres fulmina, irides, cometas, jam ſtat: ibi ignis lucet, non

habet

habet fumum, cinerem, carbonem, quibus nostra gloria in terris plena. Thronum DEI Ezechiel 1. ait in medio habere electrum. Sicut electrum sive aurum non exuritur, ita regni illius non erit finis. Inde Cantus illorum est Alleluja, hic fugat dolorem, miserias. Invadebant Anglos Nortmanni, Angli confugiunt ad S. Germanum Episc. Altisidorien. prodit ille cum Clericis, & canit Alleluja, statim fugiunt Nortmanni. Ecce merces pauperum Spiritu.

Dic Joannes quis vestitus? *Amicti stolis albis.* Stola totum tegebat hominem. Sed cur stolis non stolâ? Aug. serm. 10. de SS. Duplex stola, quia animæ & corporis gloria. Hæc potissimum competit mundis corde. Sed si volumus eam consequi, habeamus cor mundum. S. Magd. de Pazz. *Ad pondus inventæ puritatis, coronabit nos DEUS veritatis.* Si aliquis in nigra veste, &c. Sed cur, *beati mundo corde* sexto loco ponitur? Glossa, quia debent esse puri ut Adam qui sexto die creatus. *Et palmæ in manibus eorum*, hîc jam omnia concludit. Victoris sunt omnia, palma signum victoriæ, omnia, tria homo requirit, victum, pacem, honorem. Ambr. serm. 24. *Palma utilis est ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum.* Hæc palma apud illos in manibus 1. Cor. 15. *Tunc erit DEUS omnia in omnibus.* Agent triumphum, & veluti Romani post currum trahent captivos, urbium imagines: ita illi spretas opes, victos per patientiam, per puritatem, &c. Et nos quid?

De iisdem CONCIO II.

Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.
Matth. 5.

NEscio an de tali gente audieritis quæ nihil aliud esurit aut sitit, quàm expugnare quandam civitatem, quam non

videt quidem nisi per exploratores, loco tali positam in quo nemo infirmatur aut moritur, opibus ita abundat, ut nunquam deficere possint, nulla tributa, nullæ pœnæ, non æstus aut frigus; & si eam semel ceperint, nemo illos poterit pellere. Ad capiendam hanc civitatem gens ista à Matribus, & in scholis, & in templis, & in foro, & in mensa, & in lecto instituitur, dicam quæ sit civitas, & quòd nos etiam illam possimus capere.

Capi facilè à nobis potest, quia ipse Princeps illius civitatis, si illam velimus oppugnare nobiscum certò erit, & modos ostendet capiendi, ipsi cives erunt pro nobis, non explodentur contra nos tormenta, imò nos juvabunt si velimus ascendere muros, si portas seriò pulsaverimus aperient nobis, intrantes excipient cum triumpho.

Sed quænam ista civitas? Cœlum, cœlum. Audite quid de illo dicunt exploratores. Isai. *Respicite in Sion civitatem solennitatis vestræ. Oculi tui videbunt civitatem opulentam, &c.* Tob. 13. *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem, portæ Jerusalem ex Saphiro & Smaragdo, ædificabitur ex lapide pretioso omnis circuitus murorum, ex lapide candido, &c.* Vultis tertium exploratorem? Apoc. 12. *Vidi civitatem Sanctam Jerusalem*, &c. Quòd ibi sit pax perennis. Ps. *Posuit fines tuos pacem:* Quòd Princeps ejusdem pro nobis erit. 1. Reg. 18. *Egredietur ante nos Rex noster & pugnabit bella nostra.* Et Psal. 117. *Dominus mihi adjutor & ego despiciam inimicos meos.* Omne bonum civitas illa continet, petit Moyses illam sibi ostendi. Exod. 13. Qualisnam? *Ostendam tibi omne bonum.* Sed quis explicabit quid sit omne bonum? Sanitas, amici, saturitas, deliciæ; sed nondum hoc omne bonum, cogita ampliùs & pone ante mentem *desiderabilia oculorum* tuorum, nondum omne bonum, sunt istæ micæ de mensa civitatis illius cadentes, sunt guttulæ so-

lùm

lùm illius maris, at ibi omne bonum. Hieron. lib. 3. in 12. Matth. *Humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non potest.* Sicut bruta non capiunt quæ sit voluptas in honore, gloria; divitiis, scientia, ita & nos quæ cœli voluptas. Omnis nostra cognitio procedit à sensibus, quod non cadit sub sensus, ægrè & solùm per similitudines & quasdam illationes apprehendimus. Similitudo plena illius gloriæ non datur in terris: ex visibilibus hujus mundi confusè illa invisibilia inferimus, & solùm dicere possumus, est in cœlo major voluptas quàm de divitiis, fama, scientia, sed inferre non possumus illa sit quanta & qualis. S. Th. in 1. Joan. lect. 15. *Habitatio DEI verbis explicari non potest.* Consideravit illam Baruch. 2. & solùm dixit. *O Israel quàm magna est domus, & ingens locus possessionis ejus?* Sed quantus, quomodo illa domus ornata, non dixit. Non capiunt vasa nostra mortalia istud oleum, & deficiunt priùs quàm illud copiosius infundatur, ut de oleo Elisæi 4. Reg. 4. est scriptum. Hugo vict. in 1. Miscell. 5. *Habet oleum DEUS habet oleum mundus, ad oleum DEI vasa deficiunt, oleum mundi in vasis deficit.* Hoc expressit Isai cum describere vellet domum DEI. *Fumus replevit domum,* quasi diceret, volui, sed oculi mei defecerunt ut in fumo. Hoc Ps. *Caligo sub pedibus ejus,* hoc ipsum dum dicit Propheta. *Posuit tenebras latibulum suum,* in DEO 1. Joann. 1. *Tenebræ in eo non sunt ullæ.* Sed nobis fiunt tenebræ, quia oculi obtenebrantur nostri, sicut dum lucem eximiam aspicimus. Euchar. lib. 3. *Posuit tenebras latibulum suum, ne à nobis modò in æterna & infinita sua claritate videatur.* In Thabor nesciebat quid loqueretur, & non viderat gloriam DEI, sed solùm corporis Christi. Ps. 14. habet. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Aug. & Hieron. legunt. *Domine quis peregrinabitur,* &c. Peregrini sumus circa res cœlestes, rerum illarum ignari illam civitatem nonnisi

incolæ

incolæ nôrunt. O felices incolæ? Si magnum fuit esse Sponsam Assueri Esth. 1. Quid Sponsam Christi? si magni facimus has. Ruth. 2. quæ messores negligunt, quid erit quando messe totâ fruemur. Quid si grata sunt ista quæ nobis terræ illius narrant exploratores, quid erit quando ipsam terram possidebimus? Numer. cap. 12. Vos estis caræ DEI columbæ. Cantic. 5. Vos oves quæ ascendistis *de lavacro*, &c. Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum.* Manna nobis, quærimus, *quid est hoc?* sed eo nondum vescimur, illis hoc manna dat omnem voluptatem, saporem, odorem, robur, sanitatem, &c. 1. Joan. 4. *Similes ei erimus*, Cui? DEO; quia ex cognitione & objecto fit quodammodo unum, *cùm illum videbimus* erimus unum, *immutabimur*. Sed hoc manna, vincenti.

Curemus vincere: sed quibus armis? Illa describit præsens Evangelium. Non est hic paradisus, ut ille terrestris. Narrat Perer. in Genes. l. 3. q. 4. Volebant quidam ad terrestrem penetrare, invenerunt in accessu montes celsissimos & præruptos, deinde invias solitudines & venenatis plenas. Non sunt hæ difficultates in via ad cœlestem. Non opus est formare oppugnare, sicut factum est Ezechiel. 4. Sed tamen Principis illius doctrinam sequi. His ergo armis urbs illa capitur. *Beati pauperes*, abjice omnia saltem affectu si non re, & tua illa est civitas, hoc est, si vel DEUM offendere sit necesse, vel temporalia perdere; potiùs ista amitte, non jura falsò propter lucrum, prædium obtinendum, &c. *Beati mites*, dimitte offensam, damna tamen illata per viam justitiæ ob justitiam recuperare potes, sed odium depone, signa communia benevolentiæ exhibe, possidebis illam terram. *Beati qui lugent*, defle peccata, plora ex illius patriæ desiderio, in res viliores non expone lacrymas, saturaberis possessione illius civitatis. *Beati misericordes*, transfer in illam civitatem per manus pauperum tuas

tuas opes, ibi illas invenies, & insuper misertus tui Rex illius te admittet. *Beati mundo corde*, in illa civitate nulla est immunditia, nulla fœditas, mundi corde illam incolunt. *Beati pacifici*, non tantùm discordias non ferre, sed etiam dissidentes concilia, ut filium sui Principis, te illa civitas recipiet. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Persequuntur te hæretici quia Catholicus es, impuri quia purus, ebriosi qui sobrius: non cade animo, porta illius civitatis tibi est aperta.

Sed an omnes volunt illam civitatem capere; amantes terrena valla contra se erigunt; Immites spicula hastarum intorquent; Gaudentes in peccatis ignes succendunt; Immisericordes tormenta contra se incendunt; Impuri fossas luto plenas ducunt. Persecutionem non sustinentes fugiunt. Quot sunt qui arma sumunt? Omnes *declinaverunt*, omnes *inutiles facti sunt*: ex altera parte *infernus aperuit* os suum absque ullo termino. Numera in quovis statu, quot sunt qui illam civitatem oppugnant, ideò *multi vocati, pauci electi. Stultorum infinitus est numerus.*

De iisdem. CONCIO III.

Merces vestra est copiosa in cœlo. Matt. 5.

QUot sunt qui nos in cœlo expectant quis nobis dicet? Job 25. de solis Angelit. *Nunquid numerus est militum ejus?* De aliis Sanctis, Apoc. 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Ex solo Ordine S. Benedicti canonisatorum 44. millia & 22. Ex Ordine S. August. ut numerat Ticinen. Itidem canonisatorum sedecim millia & ducenti. Quot verò non canonisati, quot ex aliis ordinibus, statibus, &c. August. 8. Confess. 11. *Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas,*

& graves viduæ & anus. Iſti nos expectant, iſtos colimus omnes ſimul hodie. Ambr. lib. de Viduis. *Obſecrandi ſunt Angeli qui nobis ad præſidium dati. Martyres obſecrandi, poſſunt pro peccatis noſtris orare, qui proprio ſanguine, etiamſi quæ peccata habuerunt, laverunt. Iſti enim ſunt DEI Martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum non erubeſcamus illos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt.* Gratulemur illis. *Merces veſtra copioſa.* Honoremus amicos DEI, interim in eorum felicitate contemplanda ſubſiſtamus.

Sicut non ejuſdem dignitatis ſunt omnes qui ſunt in cœlo: ita non idem honor omnibus defertur. Cultum *latriæ* ſoli DEO tribuimus juxta Deut 6. *D. DEUM adorabis & illi ſoli ſervies*, illi uni damus in cœlo titulum Domini. Illi ſola templa & Miſſæ ſacrificium, etſi cum invocatione alicujus Sancti hunc cultum nulli Sancto tribuimus. Cyrillus Alex. lib. 6. cont. Julian. *Nos non dicimus SS. Martyres fuiſſe DEUS, ſed illos omni veneratione proſequi ſolemus.* Hieron. ad Vigilantium epiſt. 13. *Nos non Martyrum reliquias; non Solem, Lunam, Cherubim, &c. colimus & adoramus ne ſerviamus creaturæ potius quàm creatori. Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum cujus ſunt Martyres adoremus.* Joan. in Apoc. Angelum putando eſſe DEUM, ut docet S. Aug. quæſt. 6. in Gen. dixerat enim Angelus, *Ego ſum primus & noviſſimus.* Voluit cultu latriæ adorare, prohibuit illum Angelus. Alter cultus dicitur *dulia*, hic datur creaturæ in quam DEUS ſua dona congeſſit, ut ſic DEUS colatur ſicut artifex in ſuo opere, dicamuſque. *Mirabilis DEUS in ſanctis ſuis, & laudetur DEUS in ſanctis ſuis.* Talis honor etiam in terra Prophetis & aliis ſanctis non rarò exhibitus. Ita Nazianz. Orat. de S. Cypr. honorat S. Cyprianum. *Reſpice nos de cœlo, dirige noſtrum ſermonem, præbe te noſtræ viæ ducem, & puſilli gregis*

eſto

esto tu Pastor. Basil. Orat. de 40. MM. *O turma inexpugnabilis, ô communes hominum custodes, ô fideles Socii nostrarum consuetudinum.* Videamus jam illorum felicitatem. Si cui daretur Regnum Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, &c. Hoc tuum est mare, istis populis impera: nihil est respectu ejus quod Beati tenent. Boëtius lib. 2. de consolatione prosa 7. *Omnem terræ ambitum sicut Astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cœli spatium puncti constat obtinere rationem.* Quid sunt nostri honores? Job. 20. *Gaudium hypocritæ instar puncti.* Punctum non habet partes? si tollis, totum tollis. Quid dvitiæ? *Viri divitiarum dormierunt somnum suum, & nihil in manibus invenerunt.* Quid verò cœlum? *O Israël quàm magna est domus DEI & ingens locus possessionis ejus. Magnus est & non habet finem, excelsus est & immensus.* A terra ad cœlum stellatum ponunt octo milliones, 680. millia, 490. milliaria Germanica, &c. Statuamus præ oculis domum Salomonis quam per tredecim annos ædificabant millia 165. architecti & Præfecti operis fuerant ter mille 3. Reg. 17. Statuamus domum Neronis auream, in cujus vestibulo stabat colossus 120. pedes altus, tabulata omnia se revolvebant instar cœlorum, dicet ad hoc S. Fulgent. *Quàm speciosa erit cœlestis Jerusalem, si sic fulget Roma terrestris? si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præstabitur sanctis diligentibus veritatem?* Imò dicit Chrysost. in Matth. 7. hom. 24. *Quo distamus in pueris ludendi gratiâ casulas ædificantibus, nos qui ampla prætoria & præclara extruimus? Ut nos pedibus illa subruimus, ita cœlestis sapiens ista subvertet.* Theophilus tantùm à S. Dorothea ex paradiso missum aspexit, & in omnia tormenta ruit. Paulus cœlum inspexit. *Quis me separabit à charitate, &c.* S. Francisc. Sales p. 1. c. 12. *O mi JESU, hæc lucidissima sydera, hoc spatiosum pavimentum, aliquando pedibus meis substernetur: & quemadmodum hæ stellæ in aquis relucent, sic animæ in vivo fonte Divinitatis refulgebunt.*

Quod attinet illas Animas ſanctas, omni ſunt repletæ ſcientiâ Aug. de doct. Chriſt. *Ad illam lucem cùm veniemus, nihil eſt quod neſciemus.* Greg. 4. Dial. 33. *Quid enim non vident qui videntem omnia vident?* de hoc prophetavit Jer. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo ad maximum, ait Dominus.* Viſionum ſequetur amor, qui amantem transformat in rem amatam. Joan. 3. *Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.* B. Jordanus Ord. Prædic. ut refert Jo. Herodot. dæmonem de gloria cœli interrogavit, hic reſpondit ex energumeno. Si omnium ſociorum poſſem pœnas perpeti ad diem judicii, vellem; dum, ſic poſtea poſſem DEUM videre. Quæſivit Beatus de DEI pulchritudine, reſpondit dæmon. Stulta petis; ſi tamen colligatur pulchritudo gemmarum, ſyderum, &c. in unum, hæc minus erunt quàm tenebræ ad meridiem. Sed certius eſt quod ſcribit Aug. epiſt. ad Cyrillum. ſcripſerat Aug. ad S. Hieron. ut illi ſuum ſenſum de gloria illa aperiret, interea mortuus Hieron. tamen venit ad Auguſt. *Si numerare potes ſtellas cœli, arenas & guttas maris, id facilius eſt, quàm gloriam explicando dicere. Eſt enim res tanta. quantam niſi vidiſſem, nunquam credidiſſem.* Proinde Auguſt. ſerm. 37. de SS. *O anima, ſi quotidie nos oporteret tormenta perferre, ſi ipſam gehennam pro tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria videre poſſemus, nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt?*

Diſtribuunt Beati in claſſes. Angelis adjunguntur Pœnitentes, qui gemunt tanquam mancipia deſiderantes è ſervitute peccati liberari, perpendunt ſua mala in hac vita. Inter Archangelos devoti, qui ſe non patiuntur in cultu ſuperari ab Ethnicis, qui currunt ad DEUM cum alacritate tanquam ab eo munera recepturi. Ad Principatus miſericordes, Chriſtus in perſona pauperis mendicat ſicut Rex ut ſuos exploret, venit ad nos

ad nos ſicut Elias ad Sareptanam. Ad virtutes qui viviunt pacificè, Chriſtus docuit B. Baptiſtam Veranam. *Ita ora pro proximo ſicut velles liberari membrum tuum à pœna crudeli.* Ad Dominationes boni Paſtores, Chryſoſt. hom. 29. in Rom. *Patiuntur nives propter over in Cappadocia.* Quidni tu pro anima proximi? quid ſi etiam ſcandaliſes? Greg. Paſtoral. p. 3. c. 1. *Tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos perditionis exempla transmittunt.* Ad thronos, contemplativi, qui deſiderant ab hoc corpore liberari ſicut æger ab emplaſtro fœtido, non pervenient huc qui temporalibus delectantur ſicut Jonas hederâ. Ad Cherubinos qui docent alios ſanctam vitam: ſed evenit ut qui non patitur Filium contra bonos mores peccare, non curat ut in DEUM peccat. Ad Seraphinos, Amatores DEI, ſed quis amat? accipe ſignum ex Aug. lib. de laud. Charit. *Qui non diligit, ei mandatum DEI grave eſt: ſi diligit, grave eſſe non poteſt.* Non eſt grave viſitare ægrum Filium, quia diligimus, non eſt grave venari, &c. His omnibus additur certitudo quod hæc bona non deficiant unquam in cœlo.

Pro Fidelibus defunctis. CONCIO I.

Mortui audient vocem Filii DEI.

Joann.

DAret DEUS ut ſemel inſpiceremus purgatorium, non multùm vos hortari opus eſſet pro illis animabus. Lazaros cogitate in monumento *ligatos inſtitis*, ligati oculi, pedes, tenebræ horror. Plus dico, cogitate Laurentios in craticula, Petros in cruce, Joannes in aheno olei. Parum dixi, umbra hæc. Qui iſta patiuntur? Mater tua, Pater, Frater. Quare?

 (ut ſcias

(ut ſcias quòd & tu non facilè evitabis.) Hugo Victorinus, quia omittebat flagellationem ſui, à ſingulis dæmonibus flagellatus. S. Vitalina, quia lavit caput jam feſto incipiente. Joannes fundator Hieronymianorum, quia Fratribus parcebat ob quandam prudentiam ſæcularem, &c. Sufficerent hæc ad nos movendum, ſed adhuc alia quædam afferam.

Sit primum. Matth. 25. dicit Chriſtus: *Eſurivi & non dediſtis mihi*, &c. *Ite in ignem æternum.* Quid dixiſſet, ſi non tantùm eſuriſſet, ſed etiam fame periret, quia jam hîc eſt extrema neceſſitas in qua omninò ſuccurrere obligamur; & non ſuccurrere æquivalet homicidio, juxta illud Ambr. *Non paviſti, occidiſti.* Jam judicate, an non ſint in extrema neceſſitate, qui ardent in fornace calcaria, vel aheno olei, & poſſumus illi ſuccurrere? de purgatorio enim intelligi poteſt Oſeæ 7. *Quaſi clibanus ſuccenſus eſt à coquente.* Lateres hic excoquuntur ex quibus cœleſtis Jeruſalem conſtruitur. S. Th. in 4. d 21. c. 1. *Minima pœna purgatorii excedit maximas hujus vitæ*, quia idem ibi eſt ignis qui in inferno. S. Aug. ait noſtrum ignem reſpectu illius pictum eſſe. Et lib. de vera & falſa poenit. Purgatorii tormenta ſuperare omnia martyrum tormenta. Anſel. ſuperare omnia paſſibilia hujus vitæ. Et ipſe Chriſtus dixit Henrico Suſoni. Si ſciret, pro venialia quanta luenda pœna, mallet quotidie ſibi caput amputari, & novam mortem ſubire, quàm peccare. Rurſum S. Aug. hom. 16. ex 50. *Per fluvium igneum, & horrentia globis vada tranſibunt.* Si tanta eſt vis DEI, ut, ſicut ait Job. *tribus digitis appenderit terram.* Quid ubi anima de ſe dicere poterit, *Manus Domini tetigit me?* Dum S. Hieronymus ſepeliretur, tres à mortuis excitati, & unus illorum dixit. *Omnia tormenta mundi reſpectu purgatorii ſunt ſolatia. Mallem ea quæ paſſi in mundo ab Adam ad finem mundi tolerare, quàm unum diem in purgatorio.* Quidſi iſte qui talia patitur ſit valde cara

DEO

DEO persona, quomodo non magis dicet, *quod uni ex his minimis fecistis?* Concludite hic, an animæ illæ sint in extrema necessitate, & an obligemini illas juvare?

2. Quia vix ipsi evademus tam horribile purgatorium, & si non juvamus defunctos, nec ipsi juvabimur. S. Vincen. feria 5. post Oculi, conc. 1. *Dicunt aliqui Juristæ & etiam Theologi, quòd pro quolibet peccato mortali debentur septem anni de pœnitentia, aliàs complebitur in purgatorio.* Si hæc doctrina est. Quotusquisque est qui non peccaverit mortaliter, & septem annis de eo pœnituerit, itaque residuum remanet in purgatorio solvendum. Sed idem Sanctus Conc. 1. Dom. 2. post Oct. Paschæ, affirmat doctrinam de septem annis. Computet quisque quàm diuturnum illum maneat purgatorium, nisi juvetur. Sed etiam Hugo Vict. statuit pro veniali purgatorii annum; sed sit mensis, sit septimana, sit dies. Quot erunt isti dies? & quot sunt quæ nulla videntur esse peccata, sunt tamen. De quodam suo Fratre scribit S. Vincent. conc. 2. Dom. 15. post Pentecost. Quia vespere bibit vinum purum ut melius dormiret, & sanior pro matutino surgeret, quòd fuerit uno anno in purgatorio. Plura ejusdem rei exempla non desunt. Sed an liberabimur si alios non liberamus? Scimus qualiter in Evangelio punitus immisericors, qui conservo suo noluit condonare centum denarios, non liberare verò animam cùm possis, an quoad immisericordiam non æquivaleat non condonationi vide? Universim certè dictum. *In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* In Chronico Francisc. scribitur de quodam qui non juvabat animas, cùm ipse fuisset mortuus, & Fratres pro illo sacrificia & orationes obtulissent, omnia aliis animabus fuisse à DEO applicata. Placetnè vobis habitare in ardoribus illis sine spe subsidii à vivis? Luc. 18. *Nunquid DEUS non faciet vindictam electorum*

rum suorum, clamantium ad se de die ac nocte? Sed hoc potissimùm premit testamentorum executores, de quibus vindictam suam Dominus sumet pro suis electis. *Nunquid DEUS non faciet vindictam electorum suorum?* Clamant illi, vindica, qui differt exemptionem' testamenti, hic me torquet, urit, quid causæ ad hanc crudelitatem dedi? Crudelissimum scelus fecit (Cedrenus) Ariadna Imperatrix, quæ Zenonem maritum sepulchro vivum inclusit, quæ ibi fames, horror, &c. Et sic miserum occidit. Crudeliùs nobiscum agunt executores nostri. Clamant. Gregor. 14. Moral. 24. *Ita nos affligitis acsi ipsi pati non possetis.* Quid vos verò Filii? ô Filii! ô imitatores Filii cujusdam Cartaginensis civis Cartelli; de quo Justin. l. 5. Hic cùm ejectus esset in exilium, Filius ejus cœpit conviviis vacare, festivè ornari, &c. Sed si DEUS permiserit, ut faciamus vobis quod Cartellus, digni estis. Adnavigavit Carthaginem, evocavit filium ad navem veluti res magni momenti illi dicturus. Tum verò tu scelerate fili, dum ego miseriis conficior, omissâ mei curâ tripudias; & arreptum suspendit è malo. Sed veniet tempus, quo Sap. 5. *Stabunt justi in magna constantia adversùs eos qui se angustiaverunt, & abstulerunt labores eorum.* Abstulistis labores nostros quibus juvari possemus, abstulisti Frater, Soror, &c. Filii estis an Tyranni, uno obolo nos à rogo redimere potestis, & negligitis? Estis planè Fratres Josephi, ille venditus in Ægypto. *Ferrum pertransiit animam ejus.* Illi verò ut Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph.* Sed veniet supra vos ut supra illos fames, tradet vos DEUS in manus Josephi. *Judicabit DEUS justitias vestras.* Et hoc est tertium argumentum. Si hæc vobis non persuadent, &c.

Pro

Pro iisdem. CONCIO II.

Qui in monumentis sunt, audient vocem, &c.

PLanè nobis accidit quod Josepho Patriarchæ, missus à Patre ut videret quid agatur circa Fratres, non invenit; quærit, respondetur: *Abierunt in Dothaim.* Ubi sunt Reges, Duces, Præsules, Parentes, &c? In sepulchro solùm pulvis, illi sunt immortales. Quòd in infernum, nolo dicere, nec possum; quòd in cœlum, raro id evenit. Et pius Bellarm. dixit. Magis optandum quàm sperandum; ergo in purgatorio. Visitemus illos.

Sed ecce quid video, ut Judic. 1. Reges quinquaginta sub mensa *amputatis manuum ac pedum extremitatibus*, juvare se non possunt, colligunt si quis illis projiciat micas, clamant: *Miseremini mei, miseremini saltem vos amici mei.* Misereamur & juvemus.

Ut succurramus, juvabit eorum miseriam considerare. *Quæ seminaverit homo, hæc eadem metet*, opera sua comedunt, peccata. Qualis cibus? S. Vincentius Ferrarius vidit sororem suam defunctam in igne ardentem, & infantem nigerrimum frustratim vorantem, qui semper renascebatur, quia cum Æthyope commiserat adulterium. Qui lectus? scribit Damiani epist. 2. de Barnerio, qui vidit fluvium igneum pice & sulfure plenum, in illo aviculæ, id est, animæ volutabantur. Qui socii? scribit Cantipr. l. 2. Apum, 18. Quidam pernoctans in sylvis audit latratum canum, accedit locum, videt duos molossos & duas claves, & hominem humi extentum, quem dum interrogat, quid esset rei? respondet: his clavis contundor, & hi molossi continuò me lacerant, quia nimiùm canes amavi. Ita fit cum illis, & nos quid? Providemus honestatem sepulturæ corpori, & non curamus quomodo anima habeat. Josue 22. Exstruxerunt altare qui manserunt trans

Jordanem; interrogati cur hoc fecissent, responderunt: *In testimonium inter nos & vos*, ne dicatur, *non est nobis pars in Domino*; sunt illi captivi, captivus recuperatur. Reddendo pro illo captivum alium, reddendo pecuniam, vi recipiendo, omnibus his modis utamur.

Primus modus, reddere captivum pro captivo, ita solet fieri commutatio inter hostes, Apoc. 6. Vidit animas sub altari, quid hoc? Aug. serm. 11. de Sanctis. *Sub altari quiescunt, quia corpus Domini in altari offertur.* Tenet manibus Christum Sacerdos, veluti captivum, petat DEUM Patrem, ut pro eo reddat captivam animam, ostendat Patri, ut in bello Ducem monstrant hostium, si ceperint. Bonav. in explic. Missæ c. 7. *Elevat Sacerdos corpus Christi, quasi dicat: ecce captivus noster est, eum non dimittimus, nisi quod petimus obtineamus.* Frangitur hostia in tres partes in Missa. Idem l. c. *Una pars pro vivis, altera ad laudem sanctorum, tertia pro his qui in purgatorio.* Fractio ista repræsentat mortem Christi. Moriente Christo mortui resurgebant. Hinc Jacob, Gen. 47. Petit sua ossa transferri in terram Chanaan, quia sciebat ibi Christum nasciturum & moriturum. Hinc etiam DEUS Levit. 17. prohibuit comedere sangvinem, quia ut S. Th. opusc. 58. *Dedi vobis sangvinem, id est, sacrificium corporis & sangvinis pro animabus in purgatorio.* Et hoc est, quod Zach. 9. *In sangvine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Hinc bonus latro sine purgatorio vadit ad cœlum. *Hodie mecum eris*, quia pendebat à dextro latere Christi, de quo sangvis fundebatur. Hugo Etherianus lib. de regressu animarum, c. 12. *Sacratissimo sangvine latro ille respersus est, ideoque in ictu oculi paradisum intrat.* Claudat hoc punctum S. Th. 3. p. q. 52. a. 8. *Sacrificium Missæ liberat à purgatorio, in quantum est sacrificium satisfactorium.*

Alter modus liberandi captivos est pro illis lythrum persolvere. Certè stultus & crudelis esset, qui non redimeret captivos eâ pecuniâ quæ certò ad illum, & cum certo lucro rediret

diret: & quidem ſi daret nummos æreos, redderentur totidem aurei. Quod damus ex charitate fit aurum; ita de hac virtute dicitur Apoc. *Eme à me aurum ignitum.* Imò pro potu aquæ frigidæ datæ amore Chriſti datur regnum. Fit enim, ut ſi Rex ſponſam expectet, nuptiæ paratæ, illa deeſt, quia capta ab hoſtibus: ſi captum eriperes & Regi redderes. Quid ipſa Sponſa nonne grata eſſet, & quantum apud Regem poſſet, pro te peteret? Inſuper opus charitatis eſt meritorium, ſic ad te redit. Sed quid fit? fortè ita, ut cùm Parens moriturus oraret Filios, ne ejus animæ obliviſcerentur. Major maxima promiſit; minimus non minora: medius quod uterque. Mirati medium qui adſtabant quomodo promiſſis ſatisfacturus eſſet, reſpondit. Scio Fratres nihil facturos, proinde facere potero quod uterque; ita res in jocum abit. Ita & Teſtamenti executores per jocos executionem differunt. Sed ſciant quid dicat Concil. Cartag. 4. *Qui negant Eccleſiis obligationes defunctorum, aut illas cum difficultate præbent ſint excommunicati tanquam occiſores egentium.* Quid qui ſuccedunt in bona nec pro defunctis faciunt. Salon in ſumma ſcribit. *Vir mortuus apparens uxori dixit: Filii mei immemores, ego veni ut illis damna faciam, & ſi ita pergant, ſine eos DEUS penitùs deſtrui.* Vindicabunt ſe defuncti, vindictam eorum juvabit DEUS. Soto p. 1. cap. 14. Illi qui teſtamento non ſatisfecit, comparuit mortuus poſt dies octo, & his increpuit. *Adeòne perfidè meo ſangvine paſceris, Chriſtique membra eleemoſynâ privas, quæ me ignibus exemiſſet? pro DEI tribunali de injuriâ queſtus ſum.* His dictis ejus cervices eliſit. Grave illis animabus pati pœnas, ſed ſi nullas alias paterentur, ſola pœna damni acuit illas ut clament vindictam. Abſalon quia occiſis filiis Regis in conſpectum Patris non admittebatur, vivere noluit. An non enim non grave detineri in captivitate ne patriam & tuos videas, etſi nihil aliud patiaris?

ris? An non grave si filius Regis jus haberet regni, & ab illo consequendo detineretur?

Tertiò vi recuperatur captivus. Hunc modum suggerit S. Paulus, cùm ait quosdam baptisari pro mortuis, hoc est corpora sua affligere, in se transferendo quòd illi pati deberent, parva autem hîc passio plus efficit quàm in purgatorio maxima. A præterito subsidio animarum aliquis se per paupertatem excusare posset, ab hoc nemo. Imò hoc est talentum, quod si defodis, reus es, neque sibi quisquam per hoc derogat, quia *charitas operit multitudinem peccatorum.* Teget ista charitas ejus peccata. Martin. de Roa, cap. 20. scribit de S. Gertrude, quòd cùm omnia sua satisfactoria donâsset animabus, sollicita de iis cœpit esse; apparuit illi Christus. Quid affligeris? condono tibi pœnas purgatorii pro hac charitate quam fecisti, & dabo pro uno gradu gloriæ tibi destinatæ centum, & per te liberatæ recipient te in hora mortis. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* S. Alerdis Virgo lepram patiebatur, obtulit hunc morbum pro animabus. Comparuit Christus morienti, & dixit. *Bonum certamen certâsti, en accipe coronam Martyris.* Menol. Cister. Jun. 2.

Pro iisdem. CONCIO III.

Merces vestra est copiosa in cælo. Matt. 5.

CUm audivisset David cecidisse in montibus Gelboë Saulem, cum flore exercitûs monuit populum. *Considera Israël pro his qui mortui sunt.* Vide quòd Rex & tot Heroës mortui. Job. 19. *Pertransierunt velut naves.* nec vestigium superest Simon Machabæus fratris Jonathæ mortui insculpsit tumulo naves. Mach. 3. ubi Dux, ubi doctus? &c. *Pertransierunt*

runt ut naves interroga, quis ſub hoc tumulo? vix fama ſupereſt. *Pertranſierunt.* Sed non ſolùm David illos conſiderare, ſed etiam pro illis jubet. Sunt illorum nonnulli qui ſub menſa noſtra micas amputatis manuum & pedum extremitatibus colligunt, ut apud Adonizebecum. Sunt qui velut Joſeph in ciſterna, inclamant opem. Saltem precemur benè ut Salomon mortuo Davidi. 3. Reg. 2. *David autem & ſemini ejus, & domui & throno illius ſit pax usquè in æternum à Domino.* Saltem dicamus quod Ambroſ. in funere Theodoſii. *Da Domine perfecto ſervo tuo Theodoſio requiem, requiem dico, quam ſervis tuis præparâſti.* Ad quod ut permoveam, ſtatum illorum audite.

Non loquor hîc de malis. Prov. 11. *Mortuo homine impio nulla erit ſpes,* & pro talibus qui oraret ſtultè ageret, unde cùm pro defunctis oramus, ſubintelligitur, ſi ſunt in ſpe, alioqui Aug. *Si ſcirem animam Patris mei eſſe in inferno, conſcientiam haberem orare pro illo.* Similiter orare pro illis non licet qui ſunt in cœlo. Aug. *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.* Solùm ergo pro illis orandum, quos probabile eſt eſſe in purgatorio. Et hoc docet S. Joan. in epiſt. 1. *Eſt peccatum ad mortem, non dico orare pro ejusmodi, & eſt peccatum non ad mortem.* &c. Hæc verba Evang. propoſita innuunt. *Venit hora & nunc cùm mortui audient vocem Filii DEI, & qui audient, vivent.* Sed qui ſunt iſti? non damnati, hi enim nunquam vivent, non beati, iſti jam vivunt, de reſurrectione etiam univerſali non poteſt intelligi, quia non eſt ſermo de omnibus, ſed de quibusdam. Pro his ergo qui ſpem vitæ habent, ſemper orabatur in Eccleſia. Hieron. in cap. 11. Prov. *Notandum eſt, quòd etſi poſt mortem ſpes veniæ non eſt: ſunt tamen qui de levioribus peccatis cum quibus obligati defuncti ſunt, poſt mortem abſolvi poſſunt, vel pœnis videlicet caſtigati, vel ſuorum precibus, eleemoſynis, Miſſarumquè celebrationibus.* Hoc ipſum fuit in vetere Synagoga.

Aug. de cura pro mortuis cap. 11. *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed, etsi nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parùm universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi precibus Sacerdotis quæ D. DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Hoc ipsum S. Petrus vehementer commendabat. Clem. Rom. epist. 1. *Quotidiana Petri prædicatio erat pro mortuis orare*, sed jam cum Aug. serm. ad FF. in Eremo incipiamus considerare pro illis. *Clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt multa mala pro nobis sustinere voluerunt*, Parentes nostri, *nec eis subvenire curamus. O verè magna inhumanitas! Ecce infirmus vocat & clamat, & à Medicis consolatur*, &c. Incidit in puteum jumentum, extrahimus; ægrotat, sanamus; & ecce &c. Pœnas illas Aug. hom. 16. ex L. vocat mare igneum. Greg. 4. Dialog. 25. *Eodem igne purgatur Electus & crematur damnatus.* Rursus Aug. in Ps. 37. Putas illas pœnas longè majores quàm ullæ sint in hoc sæculo. Invitat nos ad succurrendum ipsa ratio. Reus est perditi hominis qui supersederit juvare pereuntem. Invitat nostra utilitas, *judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam* S. Gertrudis, ut est in ejus vita apud Surium. Petiit à Christo quòd obsequium illi posset gratissimum præstare. Respondit Christus. *Quoties quis animam ex purgatorio liberat, obsequium id non minùs mihi gratum est, quàm si suis expensis me captivum liberâsset, dubio procul compensabo id suo tempore, mercede quæ meæ potentiæ & infinitæ bonitati sit proportionata.* Severè DEUS justitiam circa illas animas implet, nec se ipsæ juvare possunt. In Chron. Min. p. 2. l. 4. c. 7. quædam ejusmodi animarum dixit. *Nemo credit quàm districtum sit judicium DEI, quàm severè peccata puniat.* Scribit Aug. epist. 206. Quòd cùm sepeliretur S. Hieron. tres à mortuis surrexerint, & eorum unus dixerit. *Omnia tormenta hujus mundi solatia erunt. Mallem ab Adam usque*

ad finem mundi omnia tolerare, quàm unâ horâ esse in purgatorio. Quare meritò Concil. Cartag. IV. Canone 95. *Qui oblationes defunctorum aut cum difficultate reddunt, aut negant Ecclesiæ tanquam egentium necatores excommunicamus.* Sed ante Concil. Luc. 18. *Nunquid DEUS faciet vindictam Electorum clamantium ad se?* Faciet etiam in hac vita.

Alterum tormentum quod miseræ illæ animæ patiuntur est durius priore, DEO scilicet carere. Bern. epist. 5. *Ego multò durius tormentum esse assero quàm gehennæ est, non assecutum esse tantam gloriam, & illinc elapsum esse, nec opinor tanto dolore lugendum de malis gehennæ quàm casum deplorare, quia cœlo excidimus qui est cruciatus omnium gravissimus.* Scitis quanto dolore affligitur qui poterat æquè fieri Princeps ac alii, & suâ culpâ excidit. Scitis quomodo Tobiam tædebat esse absque filio, cap. 10. *Heu! heu Fili mi, ut quid te misimus peregrinari*, &c. Scitis quomodo Mater torqueatur, si non possit Filium videre. Anima in eo statu est, ut si quis adoptaretur à Rege, & interea suâ culpâ ejiceretur in exilium. Non videmus hæc mala in hac vita, in alia clarissimè videntur. Per rimam solùm id conspexerat Aug. Soliloq. c. 1. *Quare faciem avertis gaudium meum per quod gaudeo? ubi es absconditus pulcher quem desidero? O &c. Eja Domine, moriar & videam te. Nolo vivere, volo mori. Dissolvi cupio & esse cum Christo, mori desidero ut videam Christum, vivere renuo ut vivam cum Christo.* Absalon quia non fuit permissus venire in conspectum Patris. 2. Reg. 14. *Quare veni de Gessur? meliùs erat mihi ibi esse. Obsecro ergo ut videam faciem Regis, quod si memor iniquitatis meæ, interficiat me.* Sic malus Absalon, quid bonæ animæ? S. Bruno serm. de Judicio. *Addantur tormenta tormentis, & pœnæ pœnis, sæviant sæviùs sævissimi ministri, crescant crudelissima flagellorum genera, & DEO non privemur qui est cruciatus omnium gravissimus.* Chrysost. *Si mille mihi gehennas proponas,*

non tantùm hoc reputo atque abhorreo, ſicut à glorioſa illius ſocietatis jucunditate repelli, & exoſum fieri Creatori, & ejus aſpectu indignum æſtimari.

Modi juvandi illas animas, juxta S. Th. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. ſunt. Oratio, ſacrificium altaris, elemoſyna. Precemur ut S. Ambr. Valentiniano & Gratiano Imp. *Eritis ambo felices ſi meæ preces apud DEUM ſunt alicujus ponderis, nullo vos die ſilentio præteribo: nullâ vos oratione meâ non honorabo: nulla nox elabetur quin aliqua meis orationibus ad DEUM pro vobis dirigatur: nuſquam ad ſacras aras litabo, abſque veſtri memoria.* Juvemus eleemoſynis. Chryſoſt. hom. 41. in 1. Cor. *Juvatur mortuus non lachrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſynis.*

In Feſto S. Borromæi. CONCIO.

Negotiamini dum venio. Matt. 25.

CElebramus hodie virum omni ex parte magnum, & cui convenit quod Baſil. epiſt. 53. *Sapientiâ ſublimem, generis claritate, vitæ ſplendore, orandi facultate, & rebus ſæcularibus illuſtrem.* Si enim genus ſpectemus, dicere neceſſe, Tob. 5. *Ex magno genere es tu,* Si vitæ ſanctitatem, propter quam Joan. Bapt. Magnus vocatus coram Domino, & de hoc dici debet, *vinum & ſiceram non bibet.* Si dignitatem ſpectemus, Magnus, quia Nepos Pii IV. Cardinalis, Archiepiſcopus. Si mores & doctrinam, Magnus. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.* At Evangelium omnes has rationes colligit in unam, quia benè negotiatus eſt.

Duobus modis hæc negotiatio abſolvitur, faciendo, & dicendo, ita ut in utroque lucretur, nec una ſine altera ſufficit Prælato. Cùm Summum Pontificem deſcribit Iſai. 9. dicit.

cit. *Et factus est principatus super humerum ejus*, pro *Principatus* legit Chald. *Lex*, ut pro eodem sit utrumque. Debet esse Lex super humerum, id est, in opere, debent præter legem DEI & Ecclesiæ, S. Canones, cæremoniæ Ecclesiasticæ, Synodi, Rubricæ, servari. Debet exemplum dari populo in bono usu opum, contemptu vanitatum, castitate, jejunio, mortificatione, in modestia familiæ, in devotione, in laborum assiduitate, ut de Prælato dici possit, quod Aug. Conf. 5. c. 13. *In optimis natus orbi terræ*, hujus rei ipse Christus admonuit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. nam illi sunt *lux mundi*, quæ si extinguatur, tenebræ apud oves succedunt, & errant. Si sit modica, nihil perfectè agere possunt, unde Greg. de Prælato ait, epist. 24. *Loci sui necessitate exigitur summa dicere, eâdem necessitate compellitur summa facere.* Et paulò post, *Summus locus tunc benè regitur, cùm is qui præest, vitiis potiùs quàm Fratribus dominatur.* Quomodo enim obedientiam docebit qui ipse nescit obedire, quomodo castitatem &c. Greg. lib. 4. in Reg. c. 5. *Rectus ordo electæ conversationis est, ut obedientiam non injungat aliis, quam ipse aliis impendere non curat.* Ex moribus Superioris subditi suos formant, ut ex virgis Jacob oves. Caveat à peccatis cum populo communibus: sed non leviora sunt, quæ contra proprium statum admittuntur. Greg. lib. 5. c. 2. in Reg. *Qui ad culmen S. Ecclesiæ carnales provehunt, gravissimâ peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent, qui verò carnalem Præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille Fidelibus subditis præbet exempla.* De se Ambr. lib. Offic. c. 18. *Meministis quendam Amicum, qui cùm sedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen à me in clerum non receptum, quòd gestus ejus plurimùm dedeceret: Alterum quoque cùm in clero reperissem, jubere ne unquam præiret mihi, quia quodam velut insolentis incessûs verbere, oculos feriret*

riret meos. Idque dixi, cùm redderetur post offensam muneri. Uterqu ab Ecclesia recessit, ut qualis incessu prodebatur, talis perfidiâ anim monstraretur. Quid fecisset hic Sanctus, de avaris, de impuris rudibus, vanis in vestitu, sæcularia affectantibus? Quid de ambitiosis? de quibus Gregor. 7. epist. III. *Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultrò ambit, vel importunè se ingerit, est procul dubio repellendus.* Quid de illis, qui largiuntur pro ordine aut beneficio, cùm sit summum scelus Simoniæ. Sic & ab aliis peccatis sui statûs debet sibi Prælatus cavere.

Per principatum qui in humero, intelligunt Justin. M. Cyrill. Alex. Hieron. Cypr. Aug. Ambr &c. Crucem. Hæc debet esse in humero Prælati. Tertull. *Quis regnum insigne suæ potestatis suo humero præfert, & non aut capite diadema, aut manu sceptrum? Novus Rex Christus, novæ gloriæ potestatem humero extollit, crucem scilicet.* Crux est Regnum Prælati, quam ita dimetitur Paulus, ut cognoscatis quæ sit altitudo, longitudo, &c. Sanctorum. Altitudo charitas; DEUS amari debet & proximus, ita passim has mensuras explicant. Ex hoc amore oritur zelus, sed monet Bern. serm. 2. in Cœnam Dom. *Magnum prorsus & mirabile Sacramentum animæ resuscitatio, vide ne ad illud immundus accedat.* Oritur ex charitate proximâ, liberalitas in eleemosynis, quia ex Cruce accepta ad Crucem spectant, data sunt ut ea partiamur aliis. Oritur ex eâdem & compassio Greg. lib. 4. in Reg. c. 4. *Quicunque ad celsitudinem curæ Pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate, habere debet & vitæ propriæ altitudinem, & alienæ infirmitatis compassionem. Summi Viri dum Ecclesiæ Sanctæ culmen ordinant, illos quos in eodem culmine ponunt docent sublimiter vivere, plana prædicare, sibi esse rigidos, sed subditis temperatos.* Crucis profunditas est humilitas; hæc quomodo à Prælato servanda, docet Greg. epist. 36.

Humi-

Humilitatem teneamus in mente, & tamen dignitatem Ordinis nostri servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Latitudo Crucis est patientia; hæc virtus latissimum habet campum, ubique ejus materia. Bernard. epist. 6. *Vera patientia est pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat.*

Imaginem harum omnium virtutum exhibuit se S. Carolus. Visa est lux Divina supra cubiculum Matris eum parientis; sed etiam visa est in operibus ejus, non solùm spectantibus ad vitam privitam, sed etiam ad dignitatem, & benè negotiatus. E Cruce partis bonis usus ad Crucis emolumentum. Dum adhuc juveni sub potestate Patris data fuisset Abbatia, monuit Patrem, ne redditus illius in rem familiarem converterentur. Ipse ejus nactus administrationem, quidquid supererat in pauperes expendit; castitate enituit, & ultrò se ingerentes impudicas pepulit.: Ecclesiam suam juxta Canones Tridentinos composuit. Synodos frequenter convocavit; zelum exercuit circa hæreticos in Rhætorum & Helvetorum finibus. Postquam expendit in pauperes quod è bonis Ecclesiæ acceperat, etiam patrimonium proprium, id est, Uritanum Principatum vendidit, & totam pecuniam uno die in pauperes effudit. Non retinuit proventus plures sacros, quàm qui ad usus proprios & egenorum necessitates sufficerent; tempore pestis ita omnia in egenos expendit, ut ne lectum sibi reliquerit: & pro iisdem ut verus Pastor, placando iram DEI, fune collo suo injecto, nudis pedibus, veluti esset mali causa, in sacris processionibus incessit. Ipse man bus propriis Sacramenta ægris impertitus; ipse pro grege paratus mori. Tantùm pro disciplina egit, ut mortem quidem miraculosè evaserit, sed clarum illius periculum incurrerit, dum fuisset in illum ab osoribus disciplinæ sclopus explosus.

Ipſe exemplum dabat jejunandi, pane & aquâ ſæpiſſimè contentus. Ipſe orationis, in ſacris meditationibus per plures dies ſe recludens. Ipſe mortificationis acerrimè in ſe flagris ſæviens, & in nudo aſſere cubans. Ipſe devotionis quotidie in ſacro altari miniſtrans, quotieſcunque ſanitas patiebatur. Ipſe, ut hæc omnia perpetua eſſent, multas Eccleſias, Collegia, ac Monaſteria erexit. Verè bonus negotiator, & de lucro Domini unicè ſollicitus.

Altera pars eſt negotiationis Paſtoralis, prædicare, docere, monere. S. Animalia quæ vehebant currum gloriæ DEI, Ezech. 1. habebant manus, ſed etiam pennas. *Et manus hominis ſub pennis eorum.* Sed ad prædicationem nemo accedere debet, niſi priùs ipſe bonis operibus plenus. Pſal. 49. *Peccatori autem dixit DEUS, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Deſtruis, non ædificas. Greg. lib. 4. in Reg. c. 4. *De Prædicatoribus Chriſtus dicit, Matth.* 10. *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris qui loquitur in vobis. Quod & Paulus probat, cùm ſuos auditores interrogat, dicens: An experimentum ejus quæritis, qui in me habitat, Chriſtus? Quia ergo in ſanctis Prædicatoribus Chriſtus, & ejus Spiritus loquitur, ipſi Prædicatores tantò clariùs loquentem audiunt, quantò ei viciniores ſunt, cujus ſedes eſſe merentur. Sed in animam malevolam non introibit Spiritus Sapientiæ.* Loqui poterit pulchrè, concinnè; ſed nullus ſequetur fructus. Hoc ipſum etiam eſt in auditoribus qui non aguntur Spiritu DEI. Bern. in Septuag. ſerm. 1. *Nonnullos ſic interdum invenies audientes, acſi nihil omninò ad illos pertinerent quæ dicuntur; non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare ne fortè quod audiunt dictum ſit propter eos, &c.* Sed ſubdit ibid. *In his ergo ſalutis ſigna non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum DEI, quia non ſunt ipſi ex DEO.* Et Ambr. ſerm. 1. *Prædicatio noſtra aut regnum operatur in plebe, aut pœnam.*

pœnam. Tamen Prælatus non cesset clamare. 1. Reg. 14. DEUS noluit respondere Sauli. De quo Greg. lib. 5. in Reg. cap. 4. *Quod tamen si ideò dicitur, quòd Jonathæ culpa celatur, magnis timor Prælatis incutitur. Filius quidem peccat, & Patri ejus responsionem negat. Unus quidem deliquisse cognoscitur, sed pro unius culpa insequi hostes suos cuncti pertimescunt. Quid in hoc facto signatur? nisi quia peccata subditorum non solùm sibi, sed etiam Prælatis, & secum communiter viventibus nocent.* Quomodo verò correctio instituenda sit, docet Basil. in Institut. Monach. cap. 95. *Ex quibus fructibus probari debet is qui ex affectu arguit fratrem peccantem?* Respondet: *Primò omnium ex eo quod præcipuum est, si cum misericordia rem gerit. Quis scandalizatur, & ego non uror? Tum deinde si in omni peccato similiter affligitur, & contristatur erga omnes qui peccant; vel, si in se delinquat aliquis, vel in alium, similiter contristatur & luget.* Concio sit ex qua procedant non Concionatoris laudes, sed DEI. Correctio, in qua correctus agnoscat ex amore se correctum; prodat se in sermone affectio interna. Opus in monendo magno animo. Scribit Theodoret. de S. Ambrosio, quòd cùm Theodosius Imper. occupavisset in templo locum Sacerdotum Mediolani, sicut solebat Constantinopoli, misit ad illum Ambrosius, monendo, illum locum non esse pro sæculari. Ad hoc Imperator. *Solum Ambrosium novi Episcopum dignum eo nomine.* Animalia illa sancta habebant quatuor manus, quia duplò major debet esse virtus in Prælato quàm in populo. Manus erant in diversas partes dispersæ, quia prædicare debet tam parvis quàm magnis, &c. Debet esse *Fons hortorum*, qui irrigat & herbas, & arbores. *Puteus aquarum viventium*, qui cuique patet; nam dum exhauritur, meliores fiunt aquæ. Dicatur Pater communis.

Omnibus patebat aditus ad S. Carolum. Verbi DEI prædicationem gravissimis licet curis occupatus, nunquam intermisit.

misit. Arguit, obsecravit, increpuit in omni patientia. Omnibus se faciebat omnia, ut ab omnibus intelligeretur; nec contentus sermone, etiam per libros prædicabat. Plura scripsit ad Episcoporum præsertim instructionem utilissima, quia ad horum exemplum populus componitur. Ejus operâ Parochorum Catechismus prodiit. De illius scriptis dici potest illud Basilii, epist. 55. *Cognovimus te, non ex eo quòd nota quædam corporis tui menti nostræ impressa sit, sed quòd interioris hominis tui pulchritudinem veluti ex variegata sermonum pictura cognovimus.* Ex scriptis suis noscitur Carolus qualis fuerit. Fuit fons de quo multi profluxerunt rivi Justorum, loquebatur enim & scribebat Spiritu S. plenus. Benè est negotiatus, & ut laboris præmium recipiat, venit ad finem vitæ, sed priùs salutato in monte Varalli suo Domino, ubi sculptis imaginibus ejus passionis mysteria repræsentatur ad vivum: deinde in morbum incidit, & veluti malè negotiatus fuisset cinere & cilicio coopertus; spe tamen plenus, oculis in Crucifixi imaginem defixis, migravit in cœlum. Ibi lucra sua numerat, & de illis gaudet, & pro illis in dignitatibus constituitur. Nos monet verbis Augustini. *Doctrina lucida, vita tenebrosa, res est monstruosa.* Accepit cœlum, quia prædicabat ut cœlum. *Non sunt loquelæ neque sermones eorum quorum non audiantur voces eorum.* Quorum quisque vocem intelligit, quia rebus loquuntur & exemplo, pleni stellis. De omnibus talentis lucratus. *Euge serve bone, &c.*

In Festo S. Martini Episc. CONCIO I.

Si oculus tuus simplex fuirit, totum corpus tuum lucidum erit. Lucæ 11.

MOrbos corporis ex variis signis agnoscunt Medici: morbos

morbos ut animæ cognoſcamus, jubet Chriſtus conſiderare oculos, agnoſcentur cujuſque ſtatûs æger fuerit, videamus oculos.

Sicut candela ita oculus, lucet oranti, lucet furanti, vias demonſtrat, colores oſtendit. Sed ſi talis eſſet candela ex qua cognoſci poſſet quod qui eâ utitur, orat: qui eâ utitur in via non errat, colores etiam in profundo corporum videt? Hoc candela non præſtat, oculus præſtat, ſed ille de quo præcipuè Evangelium, ſcilicet, oculus mentis. Ita S. Martino oſtendebat gravitatem nuditatis mendici quem dimidio texit pallio. Oſtendit malam viam Ethnicorum per quam incedebat. Oſtendebat Maximi Cæſaris tyrannidem variè concretam licet. Unde cùm eum ad menſam invitaret, reſpondet. Se cum illo convivari non poſſe qui duos Imperatores regno ſpoliavit, Valentinianum & Gratianum. Oſtendit quantoperè oportet pœnitentem mori, unde ſe in cilicio & cinere deponi juſſit, quia ſæpè alii ſumus in oculis DEI quàm in hominum, unde etiam moriendo dixit. *Non decet Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori.* Vidit fraudes dæmonis cùm ſe Chriſtum fingeret. Vidit quòd nullo modo ſit hæreticis connivendum, unde propter Arrianos in Gallinariam inſulam ſeceſſit, & in ea aliquamdiu radicibus herbarum vitam ſuſtentavit, &c. Unde atteſtatus illi DEUS, quòd totum corpus lucidum habuerit, nam cùm hoſpitio carens in platea ſe projeciſſet Martinus, DEUS Angelum miſit ad Comitem Avitianum cum hiſce verbis *Servus DEI Martinus ad tua limina jacet, & tu quieſcis?* Lucidum totum corpus, nam non ſemel ut Sol reſplenduit, quocirca Martini tanquam indubiè bono relicto oculos noſtros conſideremus.

Aliqua vitia oculi innuit Evangelium, & quidem 1. quòd quidam illum non in capite ſed ſub modio ſervant, nam pro eodem

eodem lucernam & oculum ſumit. *Lucerna corporis tui eſt oculus.* De hoc in ſe gemebat aliquando David. Pſ. *Lumen oculorum meorum non eſt mecum.* Sed ubi? apud Betſabeam. Sed hîc de modio. Sub modio eſt oculus, cùm ſola terrena quærimus, oculus Paſtoris, Patrisfamilias, &c. debet eſſe in capite ut videat quid non tantùm ſecum, ſed etiam cum ſuis agatur. Ezechiel. 2. *Fili hominis ſpeculatorem te dedi filiis Iſraël.* Quid iſte ſpeculator? Iſai. 21. *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte?* dixit Cuſtos. *Venit manè & nox; ſi quæritis quærite, convertimini, venite.* Scit quòd fuerit dies & nox, de cætero facite quod vultis. De tali cuſtode, Iſai. 22. qui erat Sobna præpoſitus templi. *Excidiſti tibi hîc ſepulchrum, excidiſti in excelſò memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi. Quid tu hîc aut quaſi quis hîc,* ſolum modium reſpicis & tua lucra temporalia. Quid deinde? *Aſportare te faciam ſicut aſportatur gallinaceus.* Ligabunt tibi alas & pedes, &c. *Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam, ibi morieris, expellent te de ſtatione tua.*

Deinde languent oculi, Pſ. *Oculi mei languerunt præ inopia.* inopia oculi eſt defectus lucis & rerum quæ videantur. Sed hæc inopia externa, oritur verò interna à defectu ſpirituum. Ita fit in homine cùm remittit de oratione, mortificatione, & tum confuſè apparent omnia, neque diſcernitur benè malum à bono. Tandem ad hoc devenit, *Factus ſum ſicut pellicanus ſolitudinis.* Hæc eſt pellicani ſtultitia, cùm poſſit nidificare in alta arbore, nidificat humi, venatores accendunt nidum, quem dum ille alarum agitatione nititur extinguere, magis inflammat, & dum potuiſſet avolando fugere, comburendo alas fit præda, & capit ille venator de quo Apoc. 1. *Gladius egrediebatur ex ore ejus,* in ore ponunt venatores cultrum dum exenterant feras.

Vitium

Vitium oculi est quædam obnubilatio, cùm malè depingitur objecti imago in oculo, hinc etiam malè videt. Causa hujus est aliquando quia objectum non satis illustratur, aliquando quia oculus aliquâ membranulâ prætexitur. Christus est lux mundi. De Apostolis dictum, *Vos estis lux mundi.* In objectis materialibus opus ut illa illuminentur, circa spiritualia oportet ut oculus; tum fiet in oculo imago juxta quam objectum se formabit. 1. Petr. 3. *Forma gregis facti.* Si hæc in oculo turbida, etiam grex. Ps. 77. *In intellectu manuum suarum deduxit eos.* Qualis forma in intellectu, talis grex. Sed debet hæc forma esse in manibus; ita DEUS cùm duceret populum manna illi manibus Angelorum parârat. Sed cùm aliud forma in oculo demonstrat, aliud manna fit Doctoris, despectus est.

Est etiam oculus prædo, sicut latro subitò incurrit, rapit omnia & vitam. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Sunt etiam oculi tam obtusi ut non videant, etsi coram illis extinguatur lucerna, ut deinde ruant in tenebris, & alter illorum accipiat locum. 1. Reg. 3. *Heli non poterat videre donec lucerna extingueretur.* Dum vita extinguitur, post mortem clamant Sap. 5. *Ergo erravimus*; sed tardè. Nos oremus, *Illumina Domine lucernam meam, ne unquam obdormiam in morte.*

De Eodem. CONCIO II.

ITa fit in hoc mundo sicut olim in Ægypto. Videbant omnia Judæi, Ægyptiis erant *tenebræ palpabiles.* Vident Sancti minimos defectus, non vident maximos injusti; non vident præcipitium barathri ante se, dæmonem paratum, severum Judicem DEUM; non agnoscunt proximum, ut dent eleemosynam. Ita factum, alii milites rapiebant aliena,

Martinus dabat ſua. Alii in Brixio vexante non agnoverunt quòd illi proderat; ille agnoſcebat, &c. Unde hoc provenit, dicam.

Non ex Chriſto id procedit, ut patet ex hodierno Evangelio. *Lucerna ſplendoris illuminabit te.* Ubi ex eo quia ſe dixerat lucernam, & ideò ſe non debere abſcondere, dicit ſimilitudine lucernæ & oculi, de lucerna mentis ſive intellectu. Sicut lampas extinguitur cùm impletur impuritatibus: ita & oculus & intellectus, unde fiunt tenebræ ne ſenſus benè operentur. Chriſtus verò cùm ſit lucerna non ponit tenebras, imò illuſtrat, dummodo ipſe homo ſuum intellectum ſceleribus non faciat cæcum & incapacem luminis, dum juxta rationem vivat, uti vixit S. Martinus adhuc Ethnicus, jam poterat dicere. Rom. 8. *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer.* Ridebitis quòd pauperi dimidium pallii dabo, non curo. Ridebitis, ſi miles agam modeſtè, ſi libenter cum Sacerdotibus Chriſtianorum agam, &c. Id ratio jubet, video debere eſſe unum DEUM; mundus enim à pluribus benè regi non poſſet. Video noſtros Deos manibus artificum fieri, itaque potiùs artifices potiùs Dii eſſent. Reſponſa dant idola, ſed etiam dant energumeni, non tamen ſunt Dii, &c. Tum lucerna ſplendoris Chriſtus illuminavit. E contrà, Chriſtiani dum amori, odio, &c. lucris vacant, intellectum ita obtenebrant, ut etiam lucerna Chriſti ab illis tollatur. Hinc in fide fiunt debiles, dicunt bonum malum, tenebras lucem, pericula non æſtimant. Hinc illa procedunt: Peccabo, poſtea pœnitentiam agam. Per teſtamentum reſtituam, contra honorem meum eſſet deprecari offenſum; ad quid frequens confeſſio, & ſimilia pſeudopoliticorum axiomata. Dixi, qui intellectum ſuum non obſcurat, illum Chriſtus illuminat, quia juxta axioma. *Facienti quod eſt in ſe, DEUS non denegat gratiam.* Et ut Gregor. M. de diſci-

discipulis euntibus in Emaus, qui in fide deficiebant, nec capiebant dum illis Christus prædicaret, postquam illum veluti peregrinum hospitio exceperunt. *Non illuminantur discipuli Christi audientes, illuminantur pascentes.* Nam ut speculum impurum non reddit Solis imaginem, ita reddit purum. Apocalypſ. cap. 1. Vidit septem candelabra. Sed unde lux? septem stellæ. Homines veluti ponunt candelas, DEUS accendit per Spiritum Sanctum, cujus septem dona septem sunt stellæ. Sed si candelæ sive lucernæ sunt impuræ, earum lumen erit, aut Jupiter superbus, aut Saturnus piger & acediosus, aut Venus luxuriosa, aut Mars iracundus, aut Luna quæ trahit humores ac notat gulam, aut Mercurius furum præses avarus. Septem stellæ sunt lux, sed non erraticæ. In manu DEI sunt illæ stellæ, nec ad sinistram declinant.

Cùm Martinus lumen recepit, curavit ne fieret tenebræ, & per bona opera illud augebat; nam qui non utitur gratiâ & talentis, tolluntur. Non das eleemosynam, dicis non habes unde. Non habes quia non das. 2. Reg 13. Si non dedisset Elisæo Sareptana quod habuit modicum olei, non auxisset illi in multa vasa oleum. Utebatur præterea doctrinâ Martinus non eam retinendo velut sub modio, & semper illam sacrâ lectione augebat. Sciebat benè 1. Cor. 4. *Si quis ignorat ignorabitur*, scilicet illâ ignorantiâ, *Nescio vos.* Sacerdotis est illuminare, Isai. 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.* Et dum pabulum ac potum non habent puræ doctrinæ, famentes ac sitientes lacunas pseudopoliticorum aut etiam hæreticorum bibunt. Sciebat S. Martinus se esse Legatum Christi. *Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos.* Sicut ergo Christus totus in his erat quæ fuerant Patris; ita Martinus, sive esset in templo, sive domi, sive in foro. In his erat totus quæ

ſunt Chriſti, & ſemper lumine lucebat quo fuit accenſus, ſibi dictum putabat. Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus in iis conſtituitur quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, &c. Ita lucebat ut morientem diſcipuli orarent, vellet adhuc vivere, & planè illis verbis uti videbantur quibus olim ad Davidem uſi alii. *Jam non egredieris nobiscum ad bellum ne extinguatur lucerna Iſraël.* Moriamur nos ſanè, tu vive, es lucerna populi. Tranſiiſti à nobis Martine, nihilominus nos illuſtra, & fidei lumen auge ut fructus uberes proferat. Templum eſt domus DEI, honoremus illud. Quod pauperi datur, Chriſto datur, demus liberaliter. Judicem expectamus, placemus: Pater eſt noſter DEUS, amemus.

De Eodem. CONCIO III.

MEritò Prælatos Eccleſiæ Chriſtus appellavit Soles, quia ſicut Sol illuſtrat, vivificat, in terra producit, ita illi. Sed etiam ſicut Solem purum nemo miratur, ita in Eclipſi omnes concurrunt, mutuò oſtendunt, tubos opticos adhibent, imò etiam extra eclipſim maculas quærunt; ita accidit Prælatis. Soles appellavit Chriſtus, cùm dixit. *Vos eſtis lux mundi*, neque enim aliquid aliud illuminat totum mundum; non dixit tamen Solem, quia hic in Eclipſi aut noctu non illuminat, illi debent ſemper lucere ſemper. Dabo aliquas cautelas & his ut benè luceant, & eorum obſervatoribus alias.

Obſervabat S. Martinum Briccius ſatis malignè, & tandem ad hoc ventum eſt ut vitam mutaret. Obſervatores non evitabimus. S. Paulus vocat Corynthios *ſuam epiſtolam.* Quia quid ſentiamus cognoſcit qui legit epiſtolam: ita populus mores in ſe Paſtoris exprimit. Proinde ſit Paſtoris oculus ſimplex, nam *os bilingue* DEUS deteſtatur, certè idem faciet de

oculo duplici. Sequantur S. Martinum, qui non sua commoda sed populi quærebat, adeò ut voluerit etiam gloriam cœlestem sibi differri, si ex hoc populo sequeretur utilitas. *Domine, si adhuc populo sum necessarius.* Sit instar S. Martini in pauperes liberalis. Si membrum membra in eodem corpore succurrit, certè & caput debet, sunt dispensatores non Domini, quod negant pauperibus id Ecclesiæ amittunt, quia decuplum solet Christus pro datis reddere. S. Martinus dedit pauperi partem pallii, recepit à Christo auream casulam. S. Bonifacius Episcop. Terentinus quidquid habuit in granario pauperibus distribuit, & mox plenum granarium reperit. Adriani Papæ eleemosynario solùm quadraginta nummi expendendi in pauperes supererant, dabat ex illis continuò, & semper totidem reperiebat. Prochorus scripsit in Biblioth. PP. *Myron secundum præceptum Apostoli pauperibus sua distribuebat, & DEUS omnia multiplicabat.* Marc. cap. 8. Pueri Christo obtulit quinque panes, & duodecim cophinos recepit. S. Leo sermon. 13. *Qui pecunias suas optat multiplicare innumeris augmentis hoc fœnus exerceat*, id est eleemosynam det. Quia ut August. de Verbis Dom. serm. 25. *Fœcundus est ager pauperum.* DEUS enim hîc est creditor, qui non fallit. Sic erit Prælati oculus simplex: quia apud sæculum pro simplici reputatur, qui sua largitur. Hîc erit lucerna supra candelabrum, quæ non soli modio luceat; hîc fides ostendetur opere. Quodsi fortè oculus quoad ista caligat, utendum remedio, quo usus Christus ut cæcum illuminaret, lutum oculis imposuit. Meminerit se fore lutum, se moriturum, & hæc *quæ collegisti cujus erunt?* Idem Observatoribus præscribo, sit oculus simplex, id est, purus; simplex enim est res cui nihil admixtum. Sunt ægri, quibus ante oculos videntur muscæ volare, &c. Nihil in re est, in oculo est vitium. Ex hoc nascuntur judicia temeraria DEO valde inimica.

mica. *Si oculus ſimplex totum corpus lucidum*, hoc eſt, ſi intentio pura. Hanc verò in aliis non videmus, imò etiam in nobis ipſis circa illam ſæpè erramus. Ab hac verò omnia dependent, hâc ergo non cognitâ, quomodo poſſumus judicare? Judicium prudens quod ex certis ſignis procedit, non damno. Sed temerarium eſt, ut S. Th. 2. 2. q. 60. artic. 2. *Cùm ob levem conjecturam certa fertur ſententia.* Soli DEO noſtra intentio patet. Job. 19. *Quare perſequimini me ſicut DEUS?* S. Paſchal. l. 2. c. 1. *Authori tantùm debetur hoc privilegium, ut conſcientiam poſſit intrare ſecretam.* Imò etiam ſignis magnis habitis adhuc erramus. Cùm repertus eſt in ſacco Benjamini ſcyphus Joſephi, putaremus furto ablatum, à Joſepho fuit ſuppoſitus. Cùm oſtendebat Joſephi veſtem uxor Putifaris, creditum eſt quòd Joſeph eam tentaviſſet, at contrà fuit. Cùm Judith intravit ad Holofernum, putarunt milites quòd ſe proſtitueret, at verò illa necem hoſtis quærebat. Imò non judicant alios qui non ſunt in hoc ſcelere. Apoſtoli non judicârunt Judam fore proditorem. Chryſoſt. hom. 7. in Joann. *Cùm longè à tali ſcelere abeſſent, neque de aliis ſuſpicabantur.* E contrà verò Eccl. 10. *In via ſtultus ambulans, cùm ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* Cain fuit homicida, & ait Gen. 4. *Omnis qui me invenerit occidet.* Univerſim Hieron. ad Vigilant. *Oſtendunt quàm ſanctè ipſi vivant qui malè de omnibus ſuſpicantur.*

Pœna temerarii judicii hæc, ut in quo alium quis judicat, in id ipſe labatur vel in pejus. Chryſoſt. in Pſ. 90. *Impius propriis armis capitur.* Nam inprimis DEUS defendit innocentes. Judicavit Judas Magdalenam prodigaliter agere, tandem ipſe ad funem devenit. Aug in Pſal. 34. *Malitia tua ut alteri non noceat, fieri poteſt: ut tibi non noceat, fieri non poteſt.* Judicârunt Fratres Joſephum ambitioſum, cùm illis ſomnium de manipulis ac ſtellis referret, denique coacti ſunt Joſephum adorare.

adorare. Judicavit Pharao Judæos aliquid contra se molituros, periit ipse & magna pars ejus populi, &c. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

De Eodem. CONCIO IV.

Totum corpus lucidum erit. Lucæ 11.

CUM de S. Martino loquendum est, illis verbis uti possunt, *Numera stellas si potes.* Tot sunt virtutes Sancti hujus & tam lucidæ, tot DEUS in illum lumina contulit. Sed quia de omnibus loqui impossibile, cùm illum canat Ecclesia *virum ineffabilem*; in illis tantùm sistam quæ de illo eadem adstruit Ecclesia. *O Martine Prophetarum compar, Apostolis consertus, Præsulum gemma, pietate, misericordiâ, charitate, ineffabilis,* audite.

Legimus quòd Elias eundo ad paradisum reliquerit vestem Elisæo, quòd aliter Propheta conciderit, ac partem dederit Jeroboamo Regi. Simile fecit Sanctus, sed Christo dedit, & ille gaudet. *Martinus hâc me veste contexit*; sed dimidiam, dividit cum Marino. Quid hic prophetat Sanctus? ostendit ad Christum pertinere regnum Davidis, & velut Joannes Bapt. digito monstravit, *Ecce Agnus DEI*; ita hic, *Ecce filius David.* Nam Jeroboam accepit regnum Davidis. Ostendit Elias Dominum esse paradisi. Et sicut zelatus pro DEO, ita Martinus contra Arianos, unde incarceratus, publicè flagellatus. Et sicut Elias in deserto à corvo pastus: ita ille ejectus ab Arianis in deserto à sola DEI Providentia. Sicut Elias combussit igne viros 50. ita ille contra totum se obtulit exercitum solo munitus signo S. Crucis. Elias accinctus zonâ pelliceâ, hic

cilicio,

cilicio, in quo etiam dormiebat, ut ſcribit Sulpitius. Proximus morti annos habens 81. in cilicio & cinere jacuit in terra, & cùm diſcipuli ei ſaltem tunc ſuaderent lectum, dixit, terram debere eſſe lectum veri Chriſtiani. Eliam DEUS defendit contra Reges. Induxerat uxor Arriana Valentinianum Imp. ne Sancto aſſurgeret, & cuſtodias poſuit ne admitteretur. Sed Angelus monuit Sanctum, ut iret; ivit, nullum cuſtodem reperit qui obſiſteret; acceſſit Imperatorem, qui non ſurrexit de hoc indignatus, ſed de ſella Imperatoris ignis erupit, quare coactus aſſurgere Sancto, & omnia conceſſit priuſquam Sanctus quidpiam diceret: agebatur autem ibi de vita trium. Elias non ceſſavit zelare; de Sancto Eccleſia. *Nec labore victum, nec morte vincendum.* Si labore non victus, vicit labores Prophetarum. Unde nec mirum, quòd cùm antea non celebraverit Eccleſia feſta niſi SS. Martyrum, ut ſcribit Concil. Turonen. primi Martini Confeſſoris celebraverit. Sed neque illum mors vicit, ut & in hoc ſit aliquomodo ſimilis Eliæ. *Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.*

Apoſtolis conſertus, & hoc ideò quia in Apoſtolis deſcendit Spiritus S. in igne, in Martino Miſſam dicente viſus in ſpecie globi igniti. Ita Jo. Bethel. in Rationali. Inde fuit, quod expertus Sulpitius cùm viſitâſſet Sanctum, quòd tantam ſcientiam, ingenium, facundiam in San&o repererit, qualem in nullo alio. Uude id didicit niſi à Spiritu S.? Primi Apoſtoli erexerunt Chriſto templa. Cappa S. Martini à Regibus Galliæ exercitui præferebatur, ſub ea extenſa celebrabatur Sacrum, ut ſcribit Sulpit. Et ab hac cappa, loci in quibus ſacrificatur, dicti Capellæ, & ſacrificantes Capellani. Apoſtolos honoramus, pro Sancto ad ſe invitato Imperatrix uxor Maximi côxit cibos. Hìc impletum Iſai. 49. quod Eccleſiæ, & ejus principalibus, id eſt, Apoſtolis promiſſum. *Et erunt Reges*

nutritii

nutritii tui. Ipsa Imperatrix servivit mensæ, aquam porrexit, stetit suo tempore, micas collegit, servavit ut S. reliquias.

Præsulum gemma, sed polita, in qua se possint videre ut in speculo. *Totum corpus lucidum.* Orabat inprimis pro suis. *Invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Amabat Sanctus suos, & illi potest servire. *Filioli mei quos iterum parturio.* Sicut Delphinus suos filios cùm est tempestas reponit in ventre suo, & in sereno quasi rursus parit, etiam cœlum pro illis ad tempus relinquere paratus, *non recuso laborem.* Tertia virtus Prælati, mansuetudo. Eccl. 3. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super omnem gloriam diligeris.* Amant homines suam gloriam, famam, super hoc diligetur Prælatus non furiosus, non vindicativus. Basil. hom. 8. in Hexamero. *Tardos eos ad vindictam, pœnamque sumendam esse oportere qui maximas obtinent potestates.* Aspero Principi non propter illum, sed propter præmia servitur, nec ille amatur sed ista, unde si majorum spes aliunde effulserit, deseritur. At de mansueto Principe Plin. in paneg. Trajani. *Non opes tuas sed animum mirabamur.* Inter apes Rex aculeo caret & opibus, & omnes illi obediunt, pro illo certant. Sulpit. de Sancto scribit. *Neminem condemnavit, nulli malum pro malo reddidit, neminem reprehendit, nullum qui se offenderat castigavit; constanter tulit illatas ab Arrianis injurias & absque ullo iræ signo, nunquam animum perturbatum ostendit.*

Fide & meritis egregius. Quia *Fides* ut Dyonis. de Divin. Nom. 2. *Est unicum credentium fundamentum.* Et 1. Cor. 2. *Fundamentum aliud nemo ponere potest præter Christum.* Unde Aug. de fide ad Petrum. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed & omnes Judæos, & omnes Hæreticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Sed Fides debet verbo DEI inniti, non rationibus nostris credendum,

quia DEUS dicit, etsi nos non capiamus. Habebant multa argumenta Arriani quibus probabant Filium DEI esse Patre minorem, non abductus illis Sanctus, imò non desiit illas subvertere. Habuit & fidem ad miracula patranda, quâ processit, fugiebant ex energumenis dæmones, &c. De meritis Sancti nemo dicet meliùs quàm S. Paulinus qui ita scripsit epist. 5. ad Sulpit. vitam Sancti describentem. *Neque enim tibi donatum fuisset enarrare Martinum, nisi dignum os tuum sacris laudibus mundo corde fecisset.* Tanquam si DEUS esset describendus, quem non vident nisi qui sunt mundo corde. *Benedictus es tu à Domino, qui tanti Sacerdotis, & manifestissimi Confessoris historiam tam digno sermone, quàm justo affectu percurristi. Hæc quoq; verba tua vellera sunt, & Dominum JESUM gratissimo tegmine cooperiunt.*

Pietate, misericordiâ, charitate ineffabilis. Pietas fuit cùm idolorum templa destrueret, misericordia in pauperes patuit, quando pauperi hyeme dimidium pallii dedit. Dignum hoc pallium cui Christus insideat ut die Palmarum. Sed illud sumpsit pro purpura jam in gloria. *Martinus adhuc catechumenus hâc me veste contexit*, gloriatur. Patuit, cùm iret ad Missam faciendam, occurrit pauper, jussit Sanctus Archidiaconum dare vestem pauperi, morabatur ille cogitando quòd multum in eleemosynas expenderetur, recurrit ad Sacristiam pauper, & iterùm rogat à Sancto, dat suas vestes Sanctus, redit Archidiaconus monendo ut progrediatur ad Missam. Respondet Sanctus, se non posse egredi, nisi priùs feratur vestis pauperi, at illi; jam pauper abiit. Tum Sanctus: non deerit alius qui illâ induatur. Tulit tandem cum ira vestem vilissimam, induit Sanctus, abit ad Missam, in elevatione Sacramenti ceciderunt deorsum manicæ, quia erant largæ, sed Angeli manus ejus texerunt luminibus aureis stellantibus.

Charitate ineffabilis. De hac virtute dictum Eccl. 28. *Relinque*

linque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Et è contrario de odio. Canon. de pœnit. *Qui odium in corde gerit, sciat se veram pœnitentiam non posse agere.* Ampliùs 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.* Dion. lib. 4. de Divin. Nomin. charitatem appellat circulum, qui nos cum DEO jungit, quia cùm nos amamus proximum, DEUS nos amat. S. Ignatius M. epist. 14. *Principium vitæ fides, finis ejusdem charitas, hæc autem duo quoties in unum coëunt,* faciunt circulum, *hominem perficiunt.* Nec ulla probatio major, quòd amemus DEUM, quàm quòd diligamus proximum. Si enim proximum non diligimus quem videmus, quomodo amabimus DEUM quem non videmus? Amorem DEI explico. Charitatis gradus ponit hos Richard. à S. Victore, lib. de gradib. violentæ charitatis. 1. Ubi mens desiderii sui non est compos. 2. Cùm non potest illius oblivisci. 3. Cùm ei sapere aliud nihil potest. 4. Cùm non potest illius esse magnitudine contenta. Primus gradus insuperabilis est, quia nulli cedit affectui. Secundus inseparabilis. Tertius singularis, socium non fert. Quartus insatiabilis. Sic DEUS rapitur erga hominem: quem introspexit limam, servus propter hominem effectus. Hinc æstimemus in quo simus gradu amoris DEI, fuit in omnibus S. Martinus, imitemur eum. Et si aliquando Prælatos non habemus ei similes, consideremus quod dixit S. Greg. Moral. 25. c. 14. allegatis verbis. Job. 34. *Qui facit regnare hominem hypocritam propter peccata populi.* Ita Greg. paulò post. *Sed nullus qui talem Rectorem patitur, eum quem patitur accuset, quia sui fuit meriti, perversi Rectoris subjacere ditioni, culpam ergo proprii magis accusat operis quàm injustitiam operantis. Scriptum namque est, Oseæ 13. Dabo tibi Reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus quorum super nos regimina in furore Domini suscipimus?*

In Festo S. Stanislai Kostka. CONCIO.

Et vos estote parati. Lucæ 12.

VArii explicant variè currum Ezechielis. Justinus M. quæst. 44. per quadrigas illius intelligit quatuor status in quibus fuit Nabuchodonosor. Origenes in Ezech. elementa quatuor. Nazianzen. Orat. 47. de duplici appetitu, tum de voluntate ac intellectu. Hieron. in Ezech. de quatuor mundi partibus. Theodoret. de regno, Sacerdotio, Prophetia, scientia Christi, item de quatruplici pacto DEI, quod habuit cum Adam, Noë, Moyse & Ecclesia. Polychron. de quatuor gubernationibus, nempe dominatuum, principatuum, potestatum, & virtutum. Cornel. de quatuor Angelis. Lyranus de quatuor Monarchiis. Aug. Greg. de quatuor Evangeliis: alii aliter. In hac diversitate opinandi liceat mihi de Societ. JESU hunc currum intelligere, & inter quadrigas B. Stanislaum ponere.

Quòd Societatem JESU per hanc currum intelligam, rationes has habeo. Currus ille dicitur gloria DEI: Ignatius suis præscripsit ut omnia faciant ad majorem DEI gloriam. Huic quadrigæ præsidet JESUS, & Societati. Theoderet. in 1. Ezech. animalibus in curru *tot erant facies quot sunt partes orbis.* Societatis hominum est diversa loca peragrare, ut in iis gloriam DEI quærant. Quatuor animalia currum illum vehebant, quatuor è primis è Societate publico ab Ecclesia cultu affecti, & per ista animalia possunt. S. Ignatius per hominem ob eximiam prudentiam. Franc. Xaverius per leonem ob miram in difficultatibus fortitudinem. Franc. Borgias per bovem, quia hoc est stemma domûs illius. Noster Beatus per

Aqui-

Aquilam, quia ex Regno est Poloniæ, & ex Ducatu Masoviæ, quorum utrumque in stemmate gerit Aquilam. Adquod firmandum facit Ps. 67. *Animalia tua habitabunt in ea.* Arias legit, *Societas tua habitabit in ea.* Diversæ Nationes in societate, sed concordes. De dictis quadrigis Hieron. ad Pammach. *Discolores equi, sed voluntate concordes.* Quòd B. Stanislaum jungam huic currui & per aquilam, hæc me præterea adducunt; quia Ezechiel templum sibi ostensum ingressus, loco aquilæ vidit phœnicem seu palmam. Phœnix convenit Stanislao quia ex ejus morte Paulus ejus frater evolavit sanctus vir, per annos 40. severè pœnitens. Pro phœnice alii legunt palmam, Ezechiel. 41. Et hoc convenit Beato, palmæ est ire contra pondus; quis magis dum ingredi vellet religionem, jussu B. Virginis assurrexit? Quis tempore belli primi Chotinensis contra pondus Turcarum obstitit? Phœnix ab igne est famosus; Beatus ab igne amoris. In matris ejus pectore depingitur divinitùs nomen JESU colore purpureo: à Patre baptismali qui illum statim ac sacro fonte ablutus, ad pedem altaris in quo SS. Eucharistia asservabatur positum, in flamma amoris DEO in servum initiavit. Penè infans extases amoris patitur. In primo instanti usûs rationis ac DEUM agnovit, ardentissimè adamavit. In oratione ita accendebatur, ut frigidâ succurrere oportuerit. Nunquam oranti alia cogitatio occurrit, nunquam tepor spiritus, etiam dum non oraret semper ardebat, ut refrigerio venti opus esset. Religionem suam post mortem planè innumeris illustravit miraculis, propter quæ intra paucos annos etiam in Indiis notus fuit. Phœnix nescit corpoream commixtionem, Stanislaus ita adhuc infans ab impuritate abhorruit, ut si quid coram illo ejusmodi fuisset dictum, statim laberetur in deliquium, ut sellâ, cui si in ea antè consedisset, decideret. Palma petit admittit ad religio-

nem Viennæ, Dilingam remittitur: petit Dilingæ Augustam, petit Augustæ Romam. Quis juvenis non vacillaret; habet quidem de cœlo solatia, ab Angelis Viennæ reficitur Eucharistiâ; & iterum in via vincit dæmonem in forma canis assilientem, per aquas dum fugit fratrem sub Neostadio progreditur; sed ad tolerandas peregrinationes, ad fratris persecutiones opus erat esse palmam. Est palma & Phœnix idem, & hoc modo visiones Ezechielis concordant, dum se ait vidisse phœnicem, & juxta alios palmam. Hieron. in 10. Ezech. Est palmæ species quæ dicitur phœnix, dat hujus rationem Pineda in 19. Job. quia ut phœnix de se nascitur. Proinde idem est dicere: justus est ut phœnix, atque justus nt palma, juxta Epiph. Physcol. cap. 11. & Tertull. de Resuscit. cap. 21. Et hæc ipsa similis aquilæ. Herodot. in Euterpe.

Phœnix ut Tertullian. l. c. *singularitate famosus.* Eccl. 44. *Non est inventus similis illi.* Stanislao inter virtutem non solùm Polonam sed etiam aliam, qui vel tanta de cœlo expertus, vel tanta pertulerit, & semper paratus. De illo verum est dicere, *Ab utero vocavi te.* De illo Ps. 10. *Prævenit eum in benedictionibus.* De illo Ps. 21. *In te projectus sum ex utero.* De illo Ps. 45. *Adjuvabit eum DEUS manè diluculò.* De phœnice Epiphan. l. c. *Phœnix sequenti die est avis alis, tertiâ die hæc ales integra reperitur.* Ita Stanislaus quasi die sequenti subvolat, die tertiâ perfectus, jam infans ut David puer adhuc leones & ursos vincit. Epiph. l. c. *Phœnix statim ad locum proprium revertitur*; *locus illius*, ut ait Lactant. de phœnice, *est paradisus.* Aldrovand. l 12. ideò *dicitur avis paradisiata.* Ille mortem prædicit, nullus Medicus pu tat moriturum, veniunt Sancti qui ad paradisum deducant. Apostoli post descensum visibilem Spiritûs S. non peccabant mortaliter, ille statim ab infantia. Quodsi martyrium illud est majus quod suscipitur ob virtutem majorem, ille maximum

pertulit

pertulit, quia propter amorem mortuus. Abraham filium obtulit, hic ſemetipſum: Petrus in aula Pontificis negavit, hic inter ſocios malos Chriſtum non deſeruit. Et de illo dici poterat quod Hieron. ad Pammach. *Lucet margaritum in ſordibus.* Lucet in maris limo, alga, arenis. Job dictus eſt vir rectus, de quo Greg. 1. Moral. 1. *Idcircò dicitur ubi vir ſanctus habitaverit, ut ejus meritum virtutum exprimatur.* Apul. *Non eſt qui phœnicem viventem viderit.* Non eſt qui Stanislaum ſibi viventem. Varro in Senarin. Phœnix *mediâ nocte dulciter canit.* Pulcherrimè ante mortem de laudibus B. Virginis cecinit. *Eſtote ſemper parati.* Interrogatus an paratus eſſet mori, reſpondit: *Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum.* Poſt mediam noctem mortuus.

Et hîc rurſum ad palmam redeamus. Ambr. ſerm. 14. de Quadrag. *Nunquam palma marceſcit, ſemper virens, ſemper veſtita foliis, ſemper parata victoriæ.* Corpus Stanislai poſt mortem integrum manet. Plin. lib. 13. c. 2. *Palma in locis ſterilibus maximè provenit.* Maximè cœpit clareſcere ſepultus. Moritur rubens & inflammatus. Dion. hierarch. cap. 13. *Angeli igneam continent proprietatem, amoris paroxiſmos edunt.* Nos aſcendamus in palmam & apprehendamus fructus ejus. Fructus bona animæ & corporis quos toties miraculosè exhibuerit.

In Præſentatione B. M. Virg. CONCIO.

Beatus venter qui te portavit. Lucæ II.

DUcitur vix triennis Puella Sancta à parentibus SS. ad templum, an ut ſit victima & Iſaac habeat ſociam? An ut veluti Samuel in templo, id eſt in ædificiis templo adnexis & ad illud ſpectantibus ſub cura Sacerdotum inſtituatur, quæ in Re-

in Regem deinde ungat Davidem? Sed agno ſervatum ut cadat pro mundo victima. Pater æternus unget Filium, cùm illi dicet, *Sede à dextris meis.* Quid ergo aget per annos undecim in templo? dicam.

Agat ut Pater æternus, mittat Agnum, qui pro Iſaac, id eſt, pro mundo moriatur. Spontè id promiſerat ille adhuc in paradiſo poſt lapſum Adæ, ſed tamen, ut ait Gregor. quæ liberalìter decernit DEUS, orationibus Sanctorum impetrantur; nemo verò licet tanta merita potuerit afferre, ut pro illis Pater tanquam pro condigna mercede Filium daret, afferre tamen poterant ut eſſet congruum id facere. Illæ iſtæ furunt preces, *Emitte Domine Agnum dominatorem terræ*, &c. Ultimò tamen Pater motus precibus Virginis annuit. Ut cùm Rex quiſpiam ex ſua mera bonitate ampliſſimum alicui familiæ ſcripſit privilegium, ſed non tradit, verùm expectat ut illius familiæ petant homines, petunt varii, condatur, accedit tandem perſona gratiſſima, petit, obtinet. Finxerat Homerus, non dubium acceptâ à Judæis de Meſſia promiſſa notitiâ, quam fictionem S. Aug. magnifacit. Jupiter, ait Homerus, dixit, faciam catenam eamque in cœlo tenebo, ſed altera extremitas ejus dependebit in terram, eaque in multas catenulas dividetur, me per illas in terram trahent populi, ego illos viciſſim traham in cœlos. Ita in præſenti factum, trahebant DEUM in terras SS. Patres illi, ſed non pertraxerunt donec accederet Virgo. *Exultavit Abrahæm ut videret diem*, non vidit niſi ut figura. Exultavit Jacob ut videret, vidit innixum ſummitati ſcalæ, ſed non deſcendentem.

Hinc B. Virgo ſpecialiter educatur, quia ut Samuel ſuâ impetratione uncturа fuit Regem. Sed nonne abſque hoc fuit tam grata ut impetrâſſet? Nonne ſtatim atque concepta fuit Sanctiſſima? Hieron. de Aſſumpt. B. V. *Cæteris datur*

per

per partes gratia, Mariæ se tota plenitudo simul infudit. Quod alii totâ vitâ vix consequuntur illa statim simul totum. Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI* id est, B. Virginem, in quem Psalmum Aug. *Qui sunt isti impetus fluminis nisi inundatio illa Spiritûs S.* Alii sancti ut vasa majora aut minora pleni gratiâ quæ illos sanctos facit, B. Virgo ut flumen quod ipsum Isai. aliter explicat, montium nomine sanctos exprimens. *Ecce præparatus mons Domini in vertice montium,* de quo S. Greg. in 1. Reg. 1. *Patet hujus montis nomine B. Virginem designari* Ps. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis,* quomodo ejus cùm sit priùs dictus? Hugo Card. *B. Virginis fundamenta altiora quàm apices Prophetarum, Patriarcharum, &c.* Ps. 88. *Thronus ejus sicut dies cæli.* DEUS est immensus, quomodo Virgo finita est thronus infiniti? quia est *sicut dies cæli.* In terris Sol oritur & occidit, & sic finitur dies, in cælo non occumbit semper est dies, atque est quodammodo infinitus, item S. Aug. explicat, sic B. Virgo est quodammodo infinita. Comprehendit hoc omnia magnus ille Theologus Soarez. 3. p. q. 27. disp. 1. sect. 1. *Major gratia fuit in virgine in instanti conceptionis suæ quàm omnium hominum,* & Angelorum; jam verò in uterò accepit usum plenum rationis, & singulis instantibus tantundem augebat gratiæ, etiam in somno juxta illud. *Ego dormio cor meum vigilat,* Unde Ambr. lib. de Virg. *Ut non tam vestigium pedis tolleret, quàm gratiam attoleret.* Ita se hæc habent, & ita gratiam augere debebat & merita ut tandem Filium à Patre æterno impetraret, nam in conceptionis instanti gratia, fuit data sine illius merito, ad impetrandum verò Filium DEI à Patre opus erat meritis quæ cæterorum Sanctorum merita excederent, hinc ut ea sine interruptione cumulet templo se trimula includit. Hinc ut scribit Hieron. Angeli ferebant illi cibos, ut Sabell. l. c. 4. A prima diei horâ ad tertiam orabat, à tertia ad meri-

diem laborabat, deinde S. Scripturam legebat. Claudant hoc punctum ipsius virginis verba ad S. Elisabetham dicta, ut refert. S. Bonav. de vita Christi cap. 3. *Putas quòd omnem gratiam quam habui, habuerim sine labore? sed non est ita, dico tibi quòd nullam gratiam vel virtutem habuerim à DEO sine magno labore, continuâ oratione, multis lacrymis, multâ mortificatione, exceptâ sanctitatis gratiâ in utero Matris.* Jam si tantum fecit B, Virgo ut impetraret DEI Filium, & quidem de congruo impetravit, quantò facere debemus beneficium Christi Incarnationis?

Ivit B. Virgo in templum non solùm ut à DEO impetraret Christum, sed ut impetraret nobis, sciebat illum nonnisi propter oves Israël quæ perierunt venturum: sciebat etiam, quia optimè intelligebat Scripturas, Synagogam à DEO rejiciendam, quia ipsa Filium ejus rejectura erat, legerat illud Jer. 18. *Vade in domum figuli ibi audies verba mea, &c.* Ubi uno vase fracto fecit aliud, bene sciebat hæc esse de Synagoga, cujus in locum assumendi erant alii, legerat illud. *Ponam in desertum cupressum, spinam, & myrthum,* Arbores quasi immortales. Legerat, quòd Abraham habuit duos filios, majorem de Agar, minorem de Sara, & major est rejectus. Legerat quòd in Rebeccæ utero luctabantur duo populi, qui erant duo Fratres, Esau major natu & Jacob minor; rejectus Esau, electus Jacob, Esau & Ismaël filius Saræ exprimebant Synagogam, hoc intelligebat, sciebat Gen. 5. *Quod, Masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam, hoc nomine vocavit eos ab initio.* Id est, vocavit eos Homo sed postquam dictum est. *Ipsa conteret caput tuum, vocavit nomen uxoris Eva,* id est Mater viventium, hoc sciebat spectare ad se B. Virgo, & oravit ut nobis denique nasceretur Christus, & ita nos DEO peperit, Aug. de Virgin. *Facta est Mater membrorum Salvatoris.* Dami. ser. de Nativ. B. V. *Hæc est regeneratrix nostra.* Gratulemur

mur S. Virgini gratiam apud DEUM obtentam, pro obtento nobis Salvatore agamus gratias. Interea meminerimus sublatum à Judæis Messiam quibus missus, tolli regnum a Filiis *& dari genti fructus ejus facienti.* Non habuimus in particulari tanta ut illis promissa, & salus ab eis sublata, non blandiamur nobis quin sumus Chrlstiani, vel etiam altiùs positi, & illi se solabantur & omnia sibi sancta promittebant dicentes, *Templum Domini, templum Domini, gens sancta sumus, nulli serviemus,* & ecce quid de illis factum quia non cognoverunt tempus visitationis, non obedierunt mandatis & verbis Christi.

In Festo S. Catharinæ Virg. & Mart.
CONCIO.

Date nobis de oleo vestro. Matt. 25.

NOn licuit dare aliis Prudentibus Virginibus de oleo, quia agebatur de hoc ut aliarum meritis cœlum emerent quod est impossibile. Quisque enim *recipiet prout gessit in corpore suo.* Alieni labores possunt nos juvare ut gratia nobis ad bene agendum detur, sed nobis mereri cœlum nemo potest. Sed per oleum in Scriptura intelligitur sapientia passim, de hac dari potest & hanc dabit nobis Sancta, quæ post mortem lac de collo fudit, & sepulta in Sina ubi lex data. Quatruplex est sapientia. 1. Carnis, uxorem formosam quærere, decipere puellas. &c. hæc omninò est stultitia. 2. Mundi, quærere divitias, uti pseudopoliticâ &c. ut describit S. Greg. in lect. quæ leguntur pro Confess. non Pontifice. *Deridetur* &c. de hac dictum est. *Prudentia hujus mundi inimica est DEO.* 3. est dæmonis. 4. Christi, & hæc est Sanctorum. De hac Eccl. 27. *Homo Sanctus in sapientia manet ut Sol.* Hâc fuit ple-

 na S.

na S. Catharina. 1. Filius Cæsaris expetebat eam in uxorem, nam & ipsa fuit filia Regis Ægypti, respondit Matri, se nolle ulli nubere nisi eum primò viderit. Tum Mater ipsa infidelis quendam Eremitam prudentem Christianum vocavit ut id Filiæ suaderet. Suasit ut Christo nuberet; annuit, si illum viderit. Comparuit illi B. Virgo cum Christo, & amore ejus capta, sed Christus avertebat oculos, dicendo illam esse deformem, explicuit illi Eremita de peccato originali, & illud per baptisma sustulit. Tum B. Virgo dato annulo desponsavit illam Christo & dedit quinque præcepta. Et hanc vobis Virgines sapientiam Sancta communicat. 1. Ut esset humilis, aliàs displiceret Sponso. 2. Misericors erga pauperes. 3. Socias malas fugeret. 4. Ut esset abstinens. 5. Fugeret otium; hæc ex S. Vincent. Conc. hodierna.

2. Sapiens fuit in contemptu mundi, constituit opes & vitam pro Christo prostituere, & omnia ut paleam æstimabat propter cœlum, & hæc est sapientia. Cùm B. Godefrido, quòd comitatu Cappenbergensi relicto ingressus fuisset Ordinem Cistercensium, quidam illuderent, dicebat: *Nonnè stultus esset qui unâ siliquâ nollet emere unam civitatem cùm posset? talis ego fuissem si retinere maluissem meum comitatum, quàm pro eo emere cœlum?* Sur. 13. Jan. Talem habuit sapientiam Henric. Cardin. ex eodem Ordine, qui moriendo dicebat. Utinam potiùs scutelas in meo ordine lavissem quàm purpuram assumpsissem. Talis Ferdinandus III. Rex Hispaniæ: Maluissem per hos viginti duos annos quibus regnavi Eremitam agere quàm Regem. Hujus contemptûs sui ac mundi Mater est timor judiciorum DEI, juxta illud. *Initium sapientiæ timor Domini.* Hoc timore plenus fuit Pius V. qui dicebat: Heu mihi de tot millionibus animarum reddenda ratio. Hoc timore plenus S. Hieron. dum tubâ vocans ad judicium perpetuò

petuò ſonaret in auribus. Hoc S. Hilarion. Hoc plenus gemebat Ludov. Bertrandus. Neſcio quale me manet decretum. Hoc S. Aug. *Quid faciemus ſub tanti Judicis Majeſtate?* Hoc nobis crebrò repetamus. Quid faciemus? quid faciemus? Chryſoſt. *Quid faciemus quando & tenebræ erunt & ſtridor dentium?* Qui apprehendit quòd bona temporalia, & ſunt peritura, & periculum faciant gehennæ, & de illis ratio reddenda, non illa amabit.

3. Sapientia Sanctæ in aggrediendo Maxentio Tyranno qui partem Imperii Romani ultra mare occupaverat, & ſolenne Diis feſtum ut ſui populi celebrarent Alexandriæ indixerat. Sic enim ſecum philoſophabatur. Deducam Tyrannum ad cognitionem veri DEI, tot millia hominum illum ſequentur. Non deducam, turbabo interim Sacra dæmonis, & ubi veritatem audierint, ſaltem aliquis convertetur, aut ſaltem permovebitur ut inquirat veritatem. Aggreditur in ipſo templo Tyrannum, proponit, ſuadetur Tyranno ut potiùs ſapientisſimam Virginem vincat argumentis quàm tormentis, id enim fore glorioſiùs, & plures Diis acceſſuros, nam dum alacriter Chriſtiani moriuntur plures à Diis recedunt. Convocat ergo Doctisſimos quinquaginta. Oſtendit Virgo inprimis non poſſe eſſe illos quos colit Tyrannus DEUS. Quia naturæ lumen dictat nobis, DEUM eſſe id, quo nihil majus, nihil melius eſſe poteſt. Apud vos verò ſunt alii Dii majores alii minores, itaque Dii minores non ſunt Dii, quia eſt illis aliquid majus. Sunt Dii & Deæ ſeu fœminæ, itaque illis eſt aliquod melius, nam melior eſt ſexus Virilis, quocirca non ſunt Deæ. Tum de ſingulis Diis ita Virgo. Melior eſt non fur quàm fur, itaque Mercurius famoſus à furtis non eſt DEUS, quia illo aliquid eſt melius. Iterum; Meliùs eſt fidem thori ſervare, quàm fallere, Juppi-

ter eam sæpe fefellit & Gaminedem habuit quo abutebatur. Item melius est esse temperantem quàm ebriosum, Bacchus vester in continuis fuit ebrietatibus. DEUS debet esse beneficus, Saturnus filios devorabat, Mars regna vastabat, Pluto Proserpinam rapuit, Æolus insontes mergebat. Rursus, DEUS debet esse æternus, vestrorum Deorum notæ sunt nativitates, si nati sunt nec sunt, omne enim quod nascitur, moritur. DEUS debet esse immensus, hoc enim est melius quàm certis limitibus claudi, ut Juppiter solius Cretæ Rex fuit, Æolus solius freti Siculi, Neptunus, ut vos fatemini, solius maris, Pluto inferni, Saturnus Italiæ. DEUS apud vos qui imperat monti non imperat fonti, qui sylvæ non lacui &c. Denique unus debet esse DEUS, quia ut vester Aristoteles ex Homero. *Non est bona pluralitas principatuum.* Ubi enim plures ibi non una voluntas: ubi multiplex voluntas ibi sunt discordiæ. Hoc vos fatemini, sed quàm rectè! Ovid. trist. 1. eleg. 2.

Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo, Æqua, Venus, Teucris, Pallas iniqua fuit. Atqui discordia non conservat mundum, itaque nec isti Dii, ac proinde non sunt Dii. Itaque unus est qui conservat omnia. Unus est DEUS. Victi his Philosophi. Tyrannus ad tormenta. Ut est in vita sanctæ. Mortui sunt in igne Philosophi, sed minimè combusti: In carcere Virgini per 12. dies Angelus ministrabat cibum. De hac sapientia nobis impertitur. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram ploriam* & nos sæpe illam propter lucellum miserum, propter asperum verbum deserimus!

Denique se Magistram præbet, & collum exhibet, lac fluit pro sanguine uti S. Paulo Doctori Gentium, de quo Chrysost. hom. de S. Petro & Paulo. *Sit mihi gladius Pauli pro corona, lac colli ejus pro Ambrosia.* Lac ostendit Matrem sapientiam,

tiam, ſed ampliùs mons Sina ſapientiæ Moyſis in ſchola, in quem corpus ejus deportatum ab Angelis. Inde illa nobis tradit tabulas. Sed dum caput illi tolleret carnifex, vox audita eſt. *Veni electa mea, ecce tibi beatitudinis janua aperitur, his verò qui paſſionem tuam celebrabunt opem de cælis promitto.* Per lac nos invitat ut infantes, ut ad eam pro ſapientia recurramus, quod ipſum vox cœleſtis confirmat. Et hîc nobis dat tria documenta. In omnes occaſiones ſalutis noſtræ intendere, fortasſis enim ſi hanc neglexiſſet tam glorioſa non eſſet. Virgines in Evangelio dormitaverunt & rejectæ ſunt, non dormierunt quod craſſi peccatores faciunt qui per Jonam figurantur, qui non excitabatur clamoribus nautarum, & versùs terram in profundo navis dormiebat. De tali Proverb. 23. *Et erit ſicut dormiens in medio maris, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo, & dicet, verberaverunt me & non dolui, traxerunt me & non ſenſi.* Non dormitant filii hujus ſæculi ad ſua negotia, non dormitant Virgines cùm ſe ornant pro ſponſo terreno. De quodam tali dixit Arſenius. *Nunquam ego ſic curavi aimam meam ut iſte corpus.* 2. Ut cùm benè agimus non deficiat nos gratia DEI, ſicut Virgines iſtas oleum. Iverunt obviam ſponſo, pervenerunt ad portam. Sed quid? gratia DEI culpâ illarum defuit. Ita multi jejunant, ſacris, ſe inſcribunt confraternitatibus, quid prodeſt ſi gratia deeſt, ſi non dimittunt offenſas, non reſtituunt quæ debent, &c. Gratia in fine deficit; omnia pereunt. 2. Cor. 3. *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis.* Accedunt templum, confitentur, ſed occaſiones proximas peccati non deſerunt. Cantic. 3. *In lectulo meo quæſivi per noctem quem diligit anima mea, quæſivi & non inveni.* Manent in conſuetudinibus ut lectulo. Bernar. in l. c. *Si extra lectum proceſſiſſet, & in cruce quæſiviſſet, inveniſſet.* 3. Sancta omni horâ fuit parata, noctu illi B. Virgo apparuit,

paruit, noctu illam desponsavit. *Nescitis diem neque horam. Mediâ nocte sponsus venit.* Isto decipimur, quia putamus non venturum hodie. Ps. 31. *Mensurabiles posuisti dies ejus.* Hebr. legit. *Quatuor digitorum posuisti dies ejus.* Longam vitæ mensuram nobis fingimus, quatuor digitorum est. Ludit in aqua piscis, dum non putat, capitur. Eccl. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo.* Dicis, peccabo, postea agam pœnitentiam, interea caperis. Ita Sancta egit, nec virtutem ad senium reposuit.

In Dedicatione Ecclesiæ. CONCIO.

Hodie in domo tua oportet me manere.

Lucæ 19.

CUm Jacob vidisset scalam ad cœlos ascendentem, dixit: *Verè Dominus in loco isto. O quàm terribilis est locus iste!* Quomodo non terribilis in quo DEUS? Coram oculis Regis terribile rustico comparere, coram exercitu armato inermi. DEUS in templo nostro. Videamus quâ agendum reverentiâ.

S. Lucas in hoc Evangelio, ut erat pictor arte pictorum usus, priùs illi carbone delineant, deinde coloribus: ita ille prius velut carbone dixit Zachæum publicanum, deinde pulchris coloribus depingit & incipit. *Volebat videre JESUM*, hic boni initium, quia cum JESU non aliud volebat, sicut Judæi & JESUM & Lazarum, & cœlestia & temporalia. *Ascendit in arborem*, jam tum figuram quandam Christi crucifixi exprimebat, adhibuit in ascensu conatum, superavit quæ illum ab ascensu retrahebant, & fortè non deerant irridentes, qui eum parvum homunculum viderant in Sycomoro,

moro, id eſt, in ficu fatua. Sed ecce benedictiones Abrahæ ad illum deſcendunt, efficitur enim filius Abrahæ. *Salus huic domui hodie facta eſt.* Imago hæc eſt euntis ad templum, debet ire ſolùm ut videat JESUM, non etiam Lazarum. Debet aſcendere Sycomorum, ad Crucifixi pedes provolvi, difficultates retrahentes vincere, atque devotionis irriſores. Magna res habere templum, de hoc Judæi Jer. 2. gloriabantur. *Templum Domini, templum Domini.* Sed ſi non aſcendatur propter JESUM. Tunc & templum rejiciet & ejusmodi adoratores. Iſai. 66. *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, aut quis eſt iſte locus requietionis meæ?* Ædificabant templum, ſed ſimul ſceleribus ſerviebant. Deſcribit hæc ſcelera (videamus ne ſint noſtra) Ezech. 8. poſtquam illum DEUS adduxit ad templum, dicit illi. *Fili hominis putasnè vides quòd iſti faciunt abominationem magnam? Fode parietem.* Poſtquam perfodit. *Vidit reptilia & animalia, & idola domûs Iſrael.* Nunquid in templo ſervabant idola? non, ſed eas petulantias fortè in templo agebant, quas Ethnici coram ſuis idolis, cachinnos, nutus obſcænos, &c. *Et Septuaginta Seniores iis adolentes.* Et iſta ſcelera non tantùm in populo, ſed etiam in Senioribus, in Judicibus quibus incumbebat cura ſacrorum, & iſti fortè ſunt qui conſtituebant ſynederim, à quorum ſententia cæteri pendebant. Dum ad hoc Propheta obſtupeſcit, dicitur illi. *Adhuc converſus videbis abominationes majores.* Sed quæ poſſunt eſſe majores? *Mulieres plorabant Adonidem* filium veneris, hîc jam impura colloquia, hîc laſcivi ſermones. Et ulteriùs, *& abominationes majores his. Et introduxit me in atrium domûs Domini interius.* Et ecce obvertebant dorſum arcæ Domini, hîc contemptus altaris & rerum ſacrarum, tum ſubjungit DEUS. *Nunquid leve hoc eſt domui Juda ut facerent abominationes iſtas? ergo & ego faciam in furore meo, non parcet oculus meus, nec miſe-*

rebitur. Mittam Barbaros qui & templum illis eripiant, vastent, & ipsos in servitutem redigant. O si viderem eorum mentes qui sunt in templo, exclamarem. Hæccine in conspectu DEI, sancti DEI, vindicis DEI? Ubique est equidem DEUS, sed speciali modo in cœlo & templo, quia in cœlo dat gloriam, in templo gratiam. Ut anima nostra est in toto corpore, sed in capite specialiter. Ps. 10. *Dominus in templo sancto suo Dominus, in cœlo sedes ejus.* In templo Baptismus administratur, confessio, communio, sed ita fit cum domo DEI, ut quondam fecerunt Ethnici qui in loco in quo Christus natus erexerunt templum Adonidis. Chrysost. hom. 24. in Matth. *Prostibulum tibi videtur Ecclesia, & fortè ignobilior.* Perierunt filii Araonis quia ignem non sacrum in templum intulerunt, quid si intulissent ignem Veneris, aut Martis? Cùm ædificaretur domus DEI 3. Reg. 6. *Malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita.* An illo jam extructo audientur?

Sed sunt alii, qui in templo devotè orant, confitentur &c. tamen hæretico, vel ut ipsi dicunt politico spiritu pleni, templa impugnant. Quid tantum auri in templo, quorsum tantæ possessiones, meliùs hæc verti in subsidium Patriæ, Clerus inde lascivit &c. Unde isti novi Cleri Judices? unde illis venit Jurisdictio in Sacerdotes servos DEI, quam si aliquis supra eorum servos usurpaverit indignum & vindicandum facinus clamabunt. Dent in subsidium Patriæ Instrumenta peccandi, impendant quæ impendunt in canes, in scorta, &c. justiùs hoc erit quàm semel, & non ab iis DEO data eripere. Cùm oppugnaret Josue Jerichuntum, videretque non posse capi, donavit DEO omnia quæ in illa reperisset si eam caperet, & quidem igni absumenda. Ecce quidam Achan. *Ut quid perditio hæc!* meliùs his frui, furatus aliquid. Ecce & exercitus Josue profligatus, & audivit *non ero*

amplius vester DEUS, placavit Deum Josue punito Achan sacrilego, & edixit. Josue 6. *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho, in primogenito suo fundamenta ejus jaceat, & in novissimo liberorum ponat portas.* Hiericho DEO est data per destructionem, maledictus qui illam sibi usurpet per reparationem. Impleta maledictio 3. Reg. 16. in Hiel. &c. Esse devotum, & oppugnare templum, est imitari Philisteos. Acceperant isti Arcam Domini, & honorarunt, collocaruntque eam simul cum Idolo Dagon, quid inde? & manus & caput amputatum est Dagon, per istam prudentiam quâ volebant & DEO vero, & Dagoni servire, politicum illorum consilium & illius executio vertit in malum, eo multa hominum millia perierunt.

Beneficii hodie memoriam recolimus, quod fecit nobis DEUS, cùm hoc templum acceptavit; quanto emisset id David, cui dictum. *Non ædificabis mihi domum?* ditantur incolæ ubi Princeps domicilium locat. In magnam pœnam ademptum est Judæis templum. Affiguntur 12. candelæ in pariete ubi cruces sunt unctæ, quod significat nos facilè per gratiam DEI cœlum obtenturos, quod est civitas 12. portas habens. Vexillum è summo templi appenditur, quod indicat nos esse sub vexillo Christi. &c. O quanta felicitas! dicebat Centurio Matth. 8. *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Ecce hìc habitat cum hominibus DEUS, diligamus illius tabernacula, diligamus decorem domûs ejus & augeamus, non sit grave illi dare aliquid, cùm sit jucundum dare mundo totum. Impleat nos benedictionibus Abrahæ & nos faciamus opera Abrahæ. Joan. 8. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Rom. 6. *Non omnes qui filii Abrahæ ii semen Abrahæ, sed in Isaac tibi vocabitur semen*, non simus filii carnis ea sapiendo quæ sunt carnis, sed Filii DEI, voluntatem DEI facientes.

De Eadem Dedicatione. CONCIO II.

Hodie in domo tua oportet me manere.

Lucæ 19.

SIcut civitas gaudet cùm in ea Rex collocat ſtabile domicilium, ita & nos, cùm DEUS antea tantùm quaſi viſitabat mundum, jam ſub ilice Mambre venit ad Abrahamum: jam ad Moyſen in rubo ardenti, jam aliis modis: demum juſſit ædificari ſibi templum, quod Salomon cum ſumma lætitia fecit & DEO reddidit, dedicavit. Sed illud templum continebat ſolùm ciſtam unam in qua ſervabantur legis tabulæ, manna, virga Moyſis: at in noſtro ipſe DEUS, proinde eſt locus ſanctus, honore ſummo dignus, & quem omni modo tueri ac conſervare decet, & in his duobus ſiſtet mea concio.

Apud ipſos Ethnicos falſorum Deorum in tanto honore fuerunt templa, ut Seneca ded. 12. ſcripſerit. *Non admittebantur in templum quæ fuerunt in proſtibulo vel carcere.* Apud Judæos ubi umbra tantùm fuit DEI veri, ſcribit Joſeph. l. 6. c. 6. de bello. *Tunc vigebat conſuetudo, ut viri per unum iter, mulieres per aliud incederent*, ne ſi ſimul ad templum pergerent, alicui daretur occaſio irreverentiæ. Cùm templum exſtrueretur ita proviſum eſt, 3. Reg. 6. ut nec ſecuris nec malleus fuerit auditus. Si tantum ſilentium in fabricatione, quantum in ipſo templo? Approbavit hanc reverentiam ipſe Chriſtus, qui neque eas res quæ ad ſacrificium ſpectabant, in templo illo paſſus eſt vendi, flagrum fecit, vendentes ejecit, menſas nummulariorum ſubvertit. Hoc in illo templo, quid in noſtro? S. Nilus, *Eccleſiam ut cœlum adi, nihil in eo loquere aut age quod terram ſapit,*

Gen.

Gen. 18. Sara quia in præsentia Angelorum risit etsi modestè, tamen ita est territa, ut hoc negaverit; an ista risisset in templo nostro, in quo est præsens DEUS? Nondum erat templum cœnaculum in quo Christus ultimam instituit cœnam, nam non nisi post mortem Christi in templum est consecratum, cùm de eo Christus loquitur solùm dat signum. Occurret vobis homo aquæ amphoram bajulans, ipsum sequamini, cur nomen illius domûs non exprimit? Theophilact. *Ne proditor* Judas *cognito nomine, domum panderet Pharisæis*, per quos irreverentia inferretur. Sæpè miraculosè DEUS injuriam templi vindicavit. Baron. scribit An. 480. quidam insolentes templi portas calcibus percusserunt, statim illorum pedes portis accreverunt, similiter an. 902. dum Ungari altare S. Basoli aggressi frangere incipiunt, cum lapidibus altaris manus eorum concrescunt. An. 1032. dum Sancius Rex Castellæ cervam insequitur, eamque propè Ecclesiam vult configere, manûs arefactione subita punitur. Quis Princeps patitur suam cameram invadi, tumultus in ea fieri aut insolentias? crimen est Majestatis, delictum insigne in tali audere loco. Non patitur DEUS in loco sacro scelera, Angelum peccantem de cœlo, Adamum de paradiso expulit statim. Sed quid Ps. 78.? *DEUS venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* Quomodo? Hugo hoc loco. *Fecerunt desertum ablatis omnibus bonis ejus.* Famulos tuos non patiuntur esse malè vestitos, tuos esse volunt: parietes suos vestiunt serico, tuum perpluit templum. Sed ajunt istæ gentes. S. Urbanus Papa Martyr legem tulit *Ipsæ res Fidelium quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus quàm Ecclesiasticos, & Christianorum fratrum, vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Ita est. Sed famulum vestrum ab eo qui jurisdictionem non habet, judicari non patimini, ser-

vos DEI veſtro judicio ſubjicitis? convertunt plurimi ita ut decrevit S. Urbanus, ſi quis aberret, habet ſuos Judices, & ſi quis bonis Chriſti abutitur, non ideò illa ad Gentes, relabuntur, quæ illis magis abuterentur.

Lex naturæ & ſcripta dictat DEO cultum faciendum, hic cultus ſine miniſtris ejus non poteſt eſſe, neque miniſtri abſque ſuſtentatione. Jam verò qui legem naturæ non ſervant, in graviſſima peccata permittuntur labi, ut patet ex cap. 1. ad Romanos de ſapientibus qui cum cognoviſſent DEUM, *non ut DEUM glorificaverunt, ideò DEUS illos tradidit in reprobum ſenſum* In lege Moyſis præſcripſit DEUS copioſam ſuſtentationem Miniſtris ſuis. Decimas inprimis omnium fructuum terræ non ſolùm frugum dari juſſit tribui Leviticæ ſive Eccleſiaſticis, igitur quando quævis alia tribus habebat v. g. manipulum unum, Eccleſiaſtici habebant manipulos undecim, non univerſim tribus duodecim, patet id ex Deut. 14. Præter has decimas dabantur alia quovis triennio Exod. 22. Præterea ter in anno dabantur omnes primitiæ fructuum terræ, Deut. 16. Præterea quilibet homo pro perſona ſua major annis viginti dabat dimidium ſiclum, hoc eſt, noſtrates groſſos 23. & ſolidum, Exod. 30. hinc ſi non plures fuerunt quàm de Ægypto exiverunt homines, exiverunt verò ut Pererius in 12. Exod. de 17. tres milliones, itaque ab illis accipiebant Eccleſiaſtici, milliones duos trecenta tria millia, trecentos triginta florenos, groſſos decem, multò verò plures fuerunt. Præterea dabantur primogenita boum, ovium, caprarum, pro homine verò primogenito dabantur quinque ſicli Num. 18. hoc eſt, ſeptem floreni & groſſi 23. ac ſolidus unus. Præterea qui domi ſuæ habuit Eccleſiaſticum alere lautè debuit. Deut. 14. Victimæ plurimæ offerebantur quorum pars cedebat Eccleſiaſticis. Num. 7. & 3. Reg. 8. Habebant præterea 70. civitates, habebant agros, fuerunt

& alii

& alii proventus adeò copiosi ut Deut. Jer. 30. dixerit. *Inebriabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur.* Quod decimas attinet, docent multi cum Layman quòd per illas cultus latriæ DEO fiat, qualem cultum si quis redderet creaturæ, idololatriam committeret, sicut si quis sacrificaret alicui homini, nam cultus aliqui proprii sunt aliquarum dignitatem, ita Rex solus defert coronam, sceptrum, &c. Et si quis hæc sibi usurparet, gravissimum crimen committeret, sicut etiam si ista Regi tolleret, & nota est pœna quam sustinuit Baltasar qui tantummodo vasa sacrificii Divini ad suos converterat usus. Judas Iscarioth furto usurpavit decimas, effuderat Magdalena unguentum quod ille æstimavit potuisse vendi plus quàm trecentis denariis, *fur erat*, ut horum decimam quam perdidit recuperaret, triginta argenteis Christum vendidit, sed *suspensus crepuit medius, & abiit in locum suum.* Ex his patet quòd qui Ecclesiarum reditus abstrahunt peccent gravissime, quòd sint sacrilegi & ad restitutionem teneantur, quod dum facere nolunt novum peccatum incurrunt dum confitentur & communicant, & si ita moriantur in loco sacro sepeliri non debent, neque pro illis Oratio publica instituenda est, quòd damna ex sua injusta detentione emergentia Ecclesiæ, compensare sint obligati, Tenentur DEO satisfacere, qui ut loquitur Ecclesia in Pontificali die consecr. *Decimas ad universalis dominii sibi signum reservavit.* Sicut Princeps aliquis quo dat alicui ad usum aliqua bona, relinquit tamen aliquod sibi tributum in signum hujus rei, quòd sit dominus illorum bonorum, quod si nolit solvere vasallus, & rebellis est, & meretur bonis illis spoliari, ibid. *Hæc est enim Domini justissima consuetudo, ut si illi decimas non dabis, tu ad decimas deberis, Dabis impio militi quod non dedisti Sacerdoti, & quod non habebit Christus, accipiet fiscus.* Sed & ipse DEUS apud Malach. *Revertimum ad me,*

& ego

& ego revertar ad vos, quia enim mihi decimas non redditis, in pecunia maledicti estis, & fame. *Quia decimas & primitias non datis ubertatem possessionum vestrarum, & communem frugum abundantiam perdidistis.* Ut autem sciatis hoc me irascente parte vestrâ privatos, quia me fraudastis parte meâ. Hortor vos atque commoneo, ut inferatis decimas in horrea mea, hoc est in thesauros templi, ut habeant Sacerdotes atque Levitæ qui mihi ministrant cibos. *Et probate me*, si non effundam tantas pluvias, ut cataractæ cœli apertæ esse credantur, & effundam benedictionem usque ad abundantiam, &c.

De Eadem Dedicat.. CONCIO III.

TAnti facit Christus Ecclesiæ consecrationem, ut ipse jam gloriosus de cœlo in terras propter illam non semel descenderit. Consecravit S. Dyonisii Parisiis, & quia nocte illâ leprosus quidam erat in templo, in signum facti detraxit Lepram, & affixit lapidi, quæ hucusque spectatur. Guagnin. *lib.* 3. Annal. Franc. In Helvetia templum B. V. ad Eremum dictum Einsidell. consecravit, & in signum reliquit manum impressam marmori. Dicitur & templum S. Viti Pragæ in Boëmia consecrâsse & aliàs, alia. Proinde dignum est ut hoc festum benè perpendamus.

Cæremoniæ quæ in templi consecratione adhibentur explicant nobis propter qnem hæc dies celebratur finem. Crux erigitur, & fit memoria Crucis erectæ in monte Calvariæ, in qua redempti sumus, duodecim candelæ accenduntur, & significant totidem Apostolos ad illustrandum orbem missos. Ter circuit Episcopus templum aspergendo, quia per trecentos annos continuos martyrum sangvine usque ad Constantinum magnum perfundebatur Ecclesia. Scribitur alphabetum

betum Græcum & Latinum in crucem ſupra cineres, quid hæ duæ Gentes in orbæ præcipuæ vocatæ ſunt in unitate fidei ad pœnitentiam. Aqua pro aſperſione miſcetur ſale, cinere, vino, quia his quatuor Eccleſia conſervatur, aquâ Baptiſmi, ſale verbi DEI, cinere pœnitentiæ, vino Euchariſtiæ, quia Chriſtus dixit. *Ego ſum vitis vera, &c.* Cruces unguntur oleo, quia datur ſolatium cœleſte patientibus pro Chriſto. Reliquiæ Sanctorum altari includuntur, ut Sanctos imitemur, qui in Apoc. ſunt ſub altari, quod eſt Chriſtus.

Duplex eſt templum, & utriuſque hodie celebratur dedicatio, ut docet S. Bern. ſerm. hod. nos, & templum materiale. Incipiamus à nobis, ut ſimus DEI templum. Invitat ſe Dominus ad Zachæum, an hoc decet Chriſtum? an ipſe Zachæus non invitaret? Invitat ſe ut Elias ad viduam 3. Reg. 17. *Mihi primùm fac de ipſa farinula panem.* Sed poſtea ipſam viduam ſatiavit. Niſi Dominus ad nos prior venerit, non erimus templum. Niſi Petri latus Angelus in carcere dormientis percuſſiſſet, non evigilaſſet ut de carcere exiret, niſi nos Dominus excitet, &c. Sed ſi non recepiſſet Zachæus Dominum quid fuiſſet? Invitaverat ad cœnam. *Cœperunt ſe ſinguli excuſare*, quid deinde? *Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meam.* Ita contigit cuidam renuenti dum ſæpiùs cor ejus pulſaret DEUS, & illi moribundo fuiſſet allata Chriſto crucifixi effigies, ut ſcribit S. Anton. Implorabatur miſericordia Chriſti, at ille de cruce. *Vocavi & renuiſti, ideò vade ad pœnas inferni*, ideo quilibet ſecum. *Audiam quid loquatur D. DEUS.* Aliàs ut Salvian. lib. 3. de Providentia. *Non audivimus non audiemur.* Deinde ut fecit Zachæus ſi debitores ſumus alicui, reſtituamus. *Ecce dimidium bonorum meorum de pauperibus.* Sed reſtitutio fit ex bonis *meis.* Inſuper *ſi quem defraudavi reddo quatruplum.* Debet reddi quod accepiſti, dabent compenſari damna quæ propterea paſſus cui

accepisti, debent lucra quæ habuisset ille ex re sua si illi non abstulisset, debet solatium fieri afflictioni quam alter sustinuit propter rem ablatam, ita Exod. vigesimo secundo cap. decretum. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, quinque boves pro uno bove restituat, & quatuor oves pro una ove.* De cætero August. epist. ad Macedonium. *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Quia in peccato manet qui rem alienam retinet dum restituere potest. Ambr. epist. 3. *Nunquid potest placere DEO, si quis cùm adhuc versetur in iniquitatibus, & injustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam?* Injustitia est retinere alienum. Nec tantum ad illum damnatio spectat qui rapuit aliena, sed etiam ad illos qui sic raptis fruuntur. Ostendit se quædam anima damnata B. Mariæ de Ognies, & hanc causam damnationis dixit. *Enutrita fui & vixi in his quæ per injusta mercimonia & usuras acquisita furrunt, & conscia mihi mali, ablata non restitui.* Legatur Cantipratanus lib. 2. Apum cap. 64. de decem Comitibus successoribus in bonis injustè acquisitis, quorum, uno ad inferos descendente, alter profundiùs ad inferos descendebat. Quid si de Ecclesia rapuissent, ubi non jam simplex est furtum sed sacrilegium? legatur cap. 1. Aggæi, ubi post alia. *Respexistis ad amplius & ecce factum est minus: & intulistis in domum & exsufflavi illud quam ob causam dicit D. DEUS exercituum? Quia domus mea deserta est.* Quid si fuisset direpta? ita Zachæus quod templum attinet. Nos templum DEI, in nobis Crux erigitur cùm fronti nostræ imponitur, ungimur oleo Chrismatis, aquâ baptismi aspergimur: nostro capiti cinis imponitur: duodecim articulos symboli Apostolici profitemur. 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum DEI estis, & Spiritûs S. qui habitat in vobis, si quis autem templum DEI violaverit, disperdet eum DEUS.* Hujus beneficii memoriam hodie recolimus, & ad servandum sanctè hoc templum pro vocemur. Theodosius Senior Imp. ut scribit S. Ambr.

Ambr. magis gaudebat quòd esset Christianus quam quod Cæsar. Ludovicus IX. Rex Gallorum, quia baptisatus erat in loco qui dicitur Possiacum, dici voluit Possiacus. Aug. serm. 210. *Quoties aliquod peccatum aut cogitando aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum DEI destruimus.* Templum sumus DEI, videamus ne in nobis eveniat, quod Ezech. 8. Quando dixit DEUS. *Fode parietem & vide abominationem*, quæ fit in templo. Cùm Christus in domo Zachæi fuerat templum erecturus, *perambulabat Jericho.* Græcus legit, *pertransibat.* Non morabatur in Jericho, quo nomine omnes intelligunt mundum, non moremur in desideriis & pompis mundi, & jam illas prostravimus in Baptismo eis renuntiando. Josue 7. Qui voluerit eversam Jericho reædificare, ita maledicitur. *Maledictus vir coram Domino qui suscitaverit & ædificaverit Jericho*, &c. Et cùm 3. Reg. 6. voluit eam reædeficare Hiel. *In Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo posuit portas ejus juxta Verbum Domini.* Quomodo ille in fabrica procedebat, ita filii ejus ordine à DEO occidebantur, *secundùm ordinem nativitatis decedentibus filiis*, ut notat Rupert. in 20. Josue. Quocirca, ut monet Aug. serm. 252. *Quantùm possumus laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis inveniat, quod oculos suæ Majestatis offendat.*

Pauca etiam de templo materiali dicam. Convocamur ad illud expositione vexilli de turri. Quare hoc? labores omnes quos circa nos Christus sustinuit, victoriam appellavit. Joan. 16. *Confidite, ego vici mundum.* Victor erigit vexillum, & nos ad illud vocat ut gaudeamus fructibus ejus victoriæ, ut quæ lucratus nobiscum dividat. Et in templo velut in palatio id facit; magna huic domo reverentia debetur. Non allego, quia notissimum est Matth. 21. Quando ejiciebat de templo ementes & vendentes ad sacrificia. De quo Aug. tract. 10. in

Joan. *Quid si ibi ebriosos invenisset, si vendentes ea quæ licita sunt & contra justitiam non sunt, expulit?* Non adduco Heliodorum ab Angelis flagellatum, quòd templum DEI violaverit. Non omittam Davidem, 2. Reg. 17. cui est dictum. *Non recedet gladius de domo tua in sempiternum.* Etiam alii peccabant, non ita nihilominùs puniti. Sed cur David? quia domus ejus tunc fuit instar templi, deposita enim tunc in ea fuit arca DEI. Heli domus periit, quia 1. Reg. 2. Filii ejus *in vestibulo templi peccabant*, nec desunt alia exempla. *Si quis violaverit templum DEI, disperdet eum DEUS.* Scelus enim grande est in præsentia Regis, cùm dat audientias (ut vocat) cùm distribuit munera peccare. 2. Paralip. 6. Ipse de templo dicit. *Erunt oculi mei aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus qui oraverit in loco isto.* Assistunt Regi Principes, Chrysost. hom. 15. in 9. Heb. *Plenæ sunt Ecclesiæ in corporeis virtutibus.* Idcircò olim ut scribit S. Clemens 8. Constit. Apost. 11. *In templo quidam ex Diaconis inambulabant, contemplantes viros & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis ructos faceret, aut mussitaret, aut dormitaret.* Cùm templum intramus, hic mos fuit, ait Chrysost. in 2. Cor. 13. *Vestibulum & ingressum templi osculamur.* Theodosius Minor Imper. in Concil. Ephesino. *DEI templum ingressuri foris arma relinquimus, & sacra altaria munerum tantùm deponendorum causâ accedimus; quibus quoque oblatis ad extimum communeque atrium mox non recipimus.* Sepulti fuerant, in quodam templo fuerant excommunicati. Vidit hoc dedecus S. Gothardus Episc. Heldesemiensis, præcepit ut indigni eo loco exirent, paruerunt mortui. Uno verbo, *Domum DEI decet sanctitudo. Domus mea domus Orationis.* Statutum in Synodo Provinc. an. 1635. ne cum sclopis, avibus, aut canibus venaticis, &c. sint excommunicati.

De

De Eadem Dedicat. CONCIO IV.

Cùm anniversaria dies dedicationis templi recolitur, simul etiam gratitudinem DEO reddimus, quia nos in suam vocavit Ecclesiam, & quoddam templum sibi de nobis, ut de vivis & electis lapidibus extruxit: Corruente Ecclesia Judæorum, nos in ejus locum substituit. Greg. hom. 21. in Ezech. ad hoc adducit illud Isai. 9. *Lapides ceciderunt sed quadris lapidibus ædificabimus.* Ex non quadratis lapidibus fuit Synagoga, ideò corruit, ut sit stabilis Ecclesia Christiana construetur ex quadris, & ita Greg. l. c. ait de DEO. *Videns quippe in S. Ecclesia Apostolos, Martyres, atque Doctores surgere, de lapidum casu, id est de Judæorum perditione minus doluit.* Videamus quid & templo & nobis id est Ecclesiæ debeamus. Docebit nos, quod Ecclesiam vivam attinet. Idem hom. 13. in Ezech. *Dominus ac Redemptor noster cum S. Ecclesia quam redemit secundùm carnem unâ substantia est, Paulo attestante Col. 1. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus quod est Ecclesia. Hujus capitis corpus Ecclesia est, & hujus corporis caput Christus.* Videamus qualia sub hoc sub capite simus membra. Christus non vult in suo quidquam corpore monstrorum esse. Si sub humano capite pectus esset leonis, cor vulpis, &c. Ibid. hom. 13. *Fundamentum portat lapides, à lapidibus non portatur.* Videamus ne hunc ordinem invertamus, portare vult Christum qui ejus verba in suum sensum trahit, ut credat sicut vult, eique verba serviant, non ille verbis. Ex quadris lapidibus est Ecclesia, quia stabilis, constans, perpetua, non persequamur Christum Bern. de convers. S. Pauli serm. 1. *An non persequebatur Christum qui Christi membra trucidabat in terris? Aut verò persecuti sunt Christum qui sacratissimum illud corpus Crucis affi-*

xere patibulo, & non persequebatur eum qui adversus corpus ejus quod est Ecclesius est enim corpus ejus etiam ipsa, odio furebat iniquo? Sed quomodo quis apud Christianos persequi potest Ecclesiam? pergit idem. *Denique si proprium sanguinem dedit in redemptionem animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione malignâ, exemplo pernitioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quàm à Judæo qui sanguinem illum fudit?* Videte quid agitis qui scandalisatis parvulos, &c. Non subvertamus Ecclesiam, Chrysost. in acta Apost. hom. 30. *Hoc subvertit Ecclesiam quòd non quæritis audire sermonem qui compungere possit, sed qui oblectet & tinnulo strepitu ac verborum compositione concionatores quasi cytharædos & cantores audimus.* Nemo Ecclesiæ velit dominari. Ambr. Orat. ad Auxentium. *Imperator bonus intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ non reputat.* Quid illo minores? Denique horreamus ad nomen excommunicationis qnod est ejici de Ecclesia per illam qui fuit particeps omnium timentium Dominum, jam non est particeps, non est particeps indulgentiarum, nullum fructum ex sacrificio Missæ percipit, dum in alios pluit de cœlo aureus imber illum præterit. cœlum non spectat ad illum, DEUS non est illi Pater; est enim sicut Ethnicus & publicanus, amputatur à Christi corpore. Ut vim excommunicationis S. Antonius ostenderet, panem candidum excommunicavit, qui statim in nigrorem versus, & rursùs ubi eum exolvit anathemate, rediit candor, ita in Schola PP.

Jam, quid templo debemus? maximam inprimis reverentiam, Salvian. de gubernat. lib. 3. *Præsidum aut præpositorum non omnes præsumunt intrare domum nisi quos Judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit, &c. In templa autem vel potiùs altaria atque sacraria DEI, passim omnes sordidi ac flagitiosi, sine ulla penitùs reverentia sacri honoris irrumpnnt, non quia non omnes ad exorandum DEUM currere debeant,*

beant, sed quia qui ingreditur ad placandum non debet egredi ad exacerbandum. Garritur, ridetur, clamatur, ambulatur, &c. in templo. Alterum est, Christus in templum ingressus ejecit nummularios, isti in templo non compareant. Ambr. l. c. *Non patitur in templo suo esse eos qui vendunt cathedras, quid sunt cathedræ nisi honores? Quid sunt columbæ nisi simplices mentes velamine fidem candidam & puram sequentes. Jubetur exire qui dignitates vendit & honores, jubetur exire qui simplices vult vendere mentes Fidelium.* Præterea fabrica & reparatio templi, non est negligenda, Aggæi 1. *Hæc ait Dominus exercituum dicens. Populus iste dicit, Nondum venit tempus Domûs Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens. Nunquid tempus est vobis ut habitetis in domibus laqueatis & Domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum, Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multùm & intulistis parum, comedistis & non estis satiati, bibistis & non estis inebriati, operuistis vos & non estis calefacti & qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum, &c. Respexistis ad ampliùs & factum est minus, & intulistis in domum & exsufflavi illud, quam ob causam? dicit Dominus exercitum. Quia domus mea deserta, & vos festinastis unusquisque in domum suam: Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita, est ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montem, & super triticum, & super vinum & super oleum & quæcunque profert humus, &c.* Legatur c. 2. a. v. 16. Reprehendit & illud DEUS cum domus nostras valdè vicinas templo ejus extruimus. Ezech. 43. *Qui fabricati sunt limen suum juxta limen meum, & postes suos juxta postes meos, & murus erat inter me & eos, & polluerunt nomen Sanctum meum in abominationibus quos fecerunt, propter quod consumpsi eos in ira mea. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & ruinas Regum suorum à me, & habitabo in medio eorum semper.* Conferamus in ornamenta templorum quæ possumus, Cypr. epist. 2. *Auro tibi distincta laquearia, ex pretiosi marmo-*

marmoris coruscis splendoribus vestita domicilia sordebunt, cùm scias ad excolendum magis tibi Domum hanc potiorem esse, quam Dominus templi vice insedit. In templo cum DEUS exhibet misericordiam, Ps. 47. *Suscepimus misericordiam in medio templi tui DEUS,* de quo Bern. in Purif. serm. 1. *In medio templi misericordia est non in angulo & diversorio.* Nam licet & domi nostræ debeamus sanctè agere velut in templo, quod Tertull. cap. 8. de Corona militis commendat. *Tua curia Ecclesia Christi est, illic purpuræ tuæ sangvis Domini, & clavus latus in cruce ipsius, illic securis ad radices arboris posita, illic virga ex radice Jesse.* Templum tamen est locus dandæ misericordiæ. Non hîc templa infidelium; de quibus idem lib. 4. adv. Marcionem c. 5. *Faciunt favos & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.* In templo specialiter nostros actus observant Angeli, Basil. in Ps. 28. Et in templo ejus omnes dicent gloriam. *Audiant hæc verba Psalmi illi qui longos alienosque in templo edunt sermones, &c. Assistunt verba describentes Angeli, adest & Dominus affectus intrantium considerans, &c. Vide ne quando inde abscedas loco recipiendæ mercedis pro laudibus Divinis, unà cum iis qui nomen DEI execrantur condemneris.* Quod verò signum habebitur quòd iveris ad templum ut laudes DEUM & non aliud acturus? audi Salvian. lib. 3. de gubernat. *Si vult quispiam scire quid in templo homines cogitaverint, videat quid sequatur, siquidem consummatis solennibus sacris statim ad consuetudinaria studia omnes discurrunt, alii ut furentur, alii ut inebrientur, alii ut fornicentur, alii ut latrocinentur, ut evidenter appareat hoc eos esse meditatos dum intra templum sunt, quod postquam egressi fuerint, exequuntur.* Et pergit ibid. lib. 8. *Quis non dæmoniorum sacrificiorum nidore plenus Divinæ domus limen introivit?* Peccata supponit esse dæmonis sacrificia. *Et non tam immanis fuisset criminis ad templum Domini non venire, quàm sic venire, quia Christianus qui ad Ecclesiam non venit negligentiæ reus est: qui autem sic venit, sacrilegii, &c. Dicimur Christiani ad contumeliam Christi.* Ejiciebat

ciebat Christus de templò mercantes. Aug. tr. 10. in Joan. *Quid audivimus, Fratres? ecce templum illud figura adhuc erat, & ejecit inde Dominus omnes qui sua quærebant, qui ad nundinas venerant, & quod vendebant illi? quo opus habebant homines in sacrificiis illius temporis, &c. Quid si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus, si vendentes ea quæ licita sunt, & contra justitiam non sunt, expulit tamen? &c. Si negotiationis domus non debet fieri Domus Domini, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus strident dentibus suis adversum nos, & consolatur nos Psalmus quem audistis striderunt in me dentibus suis. Novimus & nos audire unde curemus, etsi ingeminantur flagella Christo quia flagellatur sermo illius. Congregata, sunt inquit in me flagella & nesciebam. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemiis falsorum Christianornm, multiplicant flagella D. DEO suo & nesciunt.* Gen. 28. Excusat se Jacob quòd ignorans dormierit in loco sacro. *Terribilis est locus iste & ego nesciebam.* Quia postea, templum in eo fuerat ædificandum, nos quid? Horrendum est Jer. 7. *Tu autem noli orare pro populo isto, neque assumas laudem pro eo.* Quare prohibet? Quia 1. Joan. 5. *Est peccatum ad mortem, non dico ut pro illo quis oret.* Quodnam tale peccatum? Catharinus, Titelman. dicunt esse peccatum eorum qui contemnunt pœnitentiam & pro his non esse orandum. Olim, ut refert Aug. pro venialibus orabatur, pro mortalibus, cinis, cilicium, &c. Imponebatur sed non opus quærere multùm quòd sit istud peccatum, legatur ulterius Jerem. l.c. *Fecerunt filii Juda malum in oculis meis, iu templo meo, posuerunt offendiculum in Domo in qua invocatum est nomen meum, &c.* Peccata hæc sunt quæ in templo committuntur, tales ægri ordine consueto non sanantur à Medico, qui tamen non negat eos posse supernaturaliter sanari. Gravissimè enim Princeps læditur, si in conspectu ejus, in Domo ejus pecces.

INDEX
CONCIONUM
DE SANCTIS,
Partis Æstivalis.

In

INDEX

1 200 —

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
Nr 830840
Biblioteka Jagiellońska
stdr0017153